15. 2. 183

6 I. Ω 15. F. 2

Digitized by Google

XXXVI

Franciscani

1759.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ordo fratrum minorum conventualium.

CÆREMONIALIS
ORDO ROMANUS

AD USUM

TOTIUS SERAPHICI ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

JUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI

JO: BAPTISTÆ CONSTANTII

DE ASSISIO

EJUSDEM ORDINIS POST SERAPHICUM PATRIARCHAM

MINISTRI GENERALIS LXXXVI.

NUNC DEMUM IN LUCEM EDITUS,

ET NOVIS DECRETIS A SAC. RIT. CONGREGATIONE EMANATIS

LOCUPLETATUS

Additis in fine aliquot neceſſariis Adnotationibus.



ROMÆ MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL APUD MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. JO: BAPTISTA CONSTANTIUS

DE ASSISIO

ARTIUM ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR,

Univerſi Seraphici Ordinis Minorum S. P. FRANCISCI Conventualium

MINISTER GENERALIS LXXXVI.

Cunctis in Domino ſibi Chariſſimis Patribus, & Fratribus ſuo moderamini commiſſis, ſalutem in Chriſto Jeſu, qui eſt vera ſalus.

U*T honeſtè omnia in Eccleſia Dei, & ſecundùm ordinem fierent, ſicut monet Apoſtolus* (1), *pluries operam dedit Apoſtolica Sedes Summorum Pontificum Conſtitutionibus varia variis temporibus præſcribendo, atque illud ſollicitè curando, ut in Divinis Officiis, ac Laudibus perſolvendis, quotquot ejuſdem Romani Ritus fuiſſent, ambularent omnes cum conſenſu. Ea propter felic. recordat. Clementis Papæ VIII. ſollicitudine ac ſtudio prodiiſſe anno* 1600. *Cæremoniale Epiſcorum* (*ne de Pontificali, ac Rituali dicamus*) *quo veteres Cæremoniarum collectiones emendatæ, reformatæ, atque in meliorem formam reſtitutæ, per quaſcumque Perſonas Sacerdotali, aut quovis alio Eccleſiaſtico munere*

(1) 1. Cor. cap. 4.

fungentes ſervarentur, *omnibus compertum eſt*. *Nobiſque pariter notum*, *ejuſdem Summi Pontificis curam æmulando Ordinem Noſtrum*, *operam tunc ſuam præſtitiſſe*, *ut Cæremonialis Ordo Romanus ad uſum Fratrum Minorum Conventualium in lucem emitteretur* (1); *ſicut emiſſus eſt* (2) *juſſu Reverendiſſimi P. Mag. Felicis Franceſchini de Caſſia Noſtri ejuſdem Ordinis Generalis Miniſtri*; *ex certis probatiſque Authoribus*, *ac Cæremonialibus Romanam Curiam omnino ſequentibus*, *præcipuè verò ex Cæremoniali Epiſcoporum* reformato *adeo feliciter collectus*, *ut Patres Minores de Obſervantia nuncupati*, *qui Valliſoletani ipſorum Capituli Generalis Decreto* De Rituali Libro primo quovis tempore conficiendo *tenebantur ejuſmodi Cæremonialem Ordinem componere*, *novum laborem in vanum aſſumi crediderint*, *atque illum ipſum Prædeceſſoris noſtri P. Mag. Franceſchini prælo S. Congregationis De Propaganda Fide denuo impreſſum*, *a ſuis omnibus tenendum decreverint in ſequenti Generali Capitulo apud S. Mariam De Ara-Cœli in Urbe Anno* 1639. *celebrato* (3). *Cùm autem ſucceſſu temporis in prælaudatum Cæremoniale Epiſcoporum*, *etſi antea correctum & reſtitutum*, *plurimos errores & menda*, *ſive diuturnitatis injuria*, *ſive Typographorum incuria*, *ſive alia de cauſa irrepſiſſe*, *in comperto haberet felic. pariter record. Innocen-*

(1) Ex Decr. Capit. Gen. Romæ 1617. Urbanis tunc coordinatis Conſtitutionibus, vulgatiſque Anno 1628.

(2) Romæ Typis Ludovici Grignani Anno 1632.

(3) Conſtitut. PP. Obſerv. cap. 3. Tit. de Sacris Ritib., & Cærem.

centius Papa X. (1) , *ut proinde iterata emendatione opus eſſe non dubitaret : ſicut ejuſdem reformationi & correctioni idem Summus Pontifex accuratiſſimè incubuit , ſuiſque Apoſtolicis litteris , Anno* 1650. *datis , decrevit , ut omnes impoſterum Eccleſiaſtica munera quomodolibet exequentes , prædicto Cæremoniali abs ſe denuo recognito atque emendato conformarentur ; ita Ordo Noſter pro ſua in Apoſtolicam Sedem reverentia , proque reformationis nuper factæ ſectandæ ſtudio , novum Cæremonialem Ordinem ad illius præſcriptum & formam edi juſſit* (2) , *ediditque cùm primùm licuit Mediolani impreſſum* (3) *juſſu Reverendiſſimi* P. *Mag. Bernardini Angeli Carucci Ordinis Miniſtri Generalis , plurimis præfatæ reformationis Innocentianæ , aliiſque Sedis Apoſtolicæ , vel Sacrorum Rituum Congregationis emanatis identidem Decretis locupletiſſimum .*

Anno poſtremò 1727. *cùm proceſſu pariter temporis* (4) *novos conſimiliter errores non minus Typographorum imperitia , quàm aliorum culpa & negligentia eidem Epiſcoporum Cæremoniali accidiſſe adverterit Benedictus Papa XIII. , rem maximè utilem ac neceſſariam arbitratus eſt , rurſus idem Cæremoniale novis curis recognoſcere , obſcura quædam & ambigua illuſtrare , corrupta alia & depravata emendare , nonnulla præterea inter*

(1) Ex Brevi Innoc. X. *Et ſi alias* 30. Julii 1650.
(2) Ex Decr. Capit. Gener. Aſſiſii 1707.
(3) Typis Friderici Agnelli Mediolani Anno 1710.
(4) Ex Brevi Bened. XIII. *Licet aliàs.* Romæ 7. Mart. 1727.

ter ſe contraria & pugnantia conciliare, aliaque demum hactenus prætermiſſa ſuis locis opportunè addere : quod & fecit, aſſumpto per ſemetipſum hoc opere, adhibitiſque in eamdem rem piis aliis ac eruditis Viris, Sacrorumque Rituum apprime peritis. Quibus omnibus pauca quædam pro nata ſibi re ſubjecit Summus Pontifex Benedictus XIV. felicis recordationis, atque immortalis apud Nos beneficentiæ.

Reſtabat jam verò, ut noviſſimo hoc maximèque proficuo Summorum Pontificum labore uteretur Ordo Noſter, ac ipſorum veſtigia, demandatamque normam ſequendo, veterem Cæremonialem ſuum Ordinem & ipſe corrigeret, ſuppleret, illuſtraretque. Quod quidem operis Nos, ſuadente etiam Noſtro Diffinitorio Generali, triennio ante, aggreſſi, ſed aliis curis occupatum intermiſſumque, nunc ſolùm labente Officii noſtri Miniſterio perficere, ac Typis mandare potuimus. Num autem ſat laboris ac diligentiæ impenderimus, ut concinnè omnia nitidèque, ac ſuis in locis opportune reficerentur, uſu quodam conſiderandum & judicandum Lectori relinquimus. Interim verò cùm ſciamus pleroſque Conventus Cæremoniali Ordine, jam dudum impreſſo, quem per præſentem aboleri, aut abrogatum cenſeri minime volumus, niſi in his, quæ nuperæ huic editioni adverſari viderentur, deſtitui: idcirco omnibus & ſingulis Noſtri Ordinis Miniſtris Provincialibus in ſuis maximè Viſitationibus, aliiſque Localibus Superioribus & Guardianis diſtrictè præcipimus & jube-

jubemus , ut ſuper Sacrorum Rituum ac Cæremoniarum obſervantiam invigilent, & novi hujus Cæremonialis Ordinis uſui maximè Noſtro accomodatum exemplar a ſingulis Provinciarum Conventibus & Locis , ſinguliſque Novitiorum, ac Profeſſorum Seminariis haberi, ſervarique procurent; ſuam in hoc noſtræ ſollicitudini commodantes, ut res Divinæ appoſitè & ex ordine , ſicut nos maximè decet, perficiantur.

Datum Romæ ex noſtro Cœnobio SS. XII. Apoſtolorum Kalendis Aprilis 1759.

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

CÆRE-

Digitized by Google

CÆREMONIALE
SERAPHICI ORDINIS FRATRUM MINORUM
S. FRANCISCI
CONVENTUALIUM
PARS PRIMA.

CAPUT I.

De conſervando, & renovando Sanctiſſimo Sacramento.

1. TABERNACULUM, in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſervabitur, ex laminis argenteis, aut æneis, iiſdemque inauratis, aut e marmore, aliove pretioſiori lapide polite elaboratum, atque compactum fieri convenit, piis Myſteriorum Paſſionis Chriſti Domini Imaginibus exculptum, intrinſecus autem tabulis cypreſſinis, vel ſimilibus ad prohibendam humiditatem contextum, & oloſerico albo, vel aureo ornatum; vel ſaltem erit e ſolido ligno eleganter factum, & inauratum cum ſacris Imaginibus, amplum pro ratione Eccleſiæ,

Digitized by Google

in cujus Altare majori, vel in Sacello aliquo minori erit collocandum.

2. Sacra Euchariſtia intra Pyxidem, cujus ſaltem Cuppa ex argento puro ſit, eoque intus deaurato, in ipſo Tabernaculo ita includatur, ut facilè extrahi poſſit. Pyxis verò prius conſueto more benedicatur, & Conopeolo ſerico albo, vel aureo cooperiatur.

3. Tabernaculi exterior ambitus ſerico Conopeo juxta temporum qualitatem colorato, aut ſaltem ſemper albo, nunquam verò nigro cooperiatur; & in interiori ejus planitie ampla Palla, ſeu Corporale mundum ſæpè mutandum abſque rugis explicetur.

4. Amplitudo Tabernaculi talis erit, ut ſaltem duæ Pyxides, necnon, cùm opus fuerit, Oſtenſorium, omnino pro Proceſſionibus habendum, in eo contineantur. Oſtiolum verò erit ita patens, ut Pyxides facilè efferri, & inferri poſſint; & ab extra obſerabitur Clavi argentea, vel ſaltem ex metallo inaurato, in aliqua Capſula depicta, & ornata ſeorſim conſervanda. In præfato Oſtiolo ab exteriori parte ſacra Chriſti Jeſu vulneratum pectus exhibentis, aut alia ejuſdem Imago erit.

5. In Tabernaculi ſummitate ſacra Effigies Chriſti Domini Reſurgentis, aut Crux aliqua ſimplex collocetur. Deſuper autem in Altari appendatur Umbraculum, ſeu Baldacchinum; & hinc inde a lateribus Tabernaculi gradus unus, vel duo erunt, ſuper quos Candelabra ex aurichalco, aut ex ligno inaurato, & in ſolemnitatibus, quantum fieri poterit, ex argento debitis ſpatiis diſponantur. Lampades perpetuò collucebunt ante Sanctiſſimum Sacramentum; Lampadarium autem non a latere Sacelli, niſi fortè pro locorum qualitate Cornucopiæ affigerentur, ſed e conſpectu Altaris congruè ab infimo gradu diſtans collocetur.

6. Præ-

6. Præcipuum itaque Superioris, & Sacriſtæ munus erit, ut Sacra Euchariſtia perpetuò in Altari Clavi obſerata, decenter cum luminibus accenſis conſervetur; & ab eodem Sacriſta, ſeu a Sacerdote ad id deputato, octavo quoque die, hoc eſt, ſingulis diebus Dominicis renovetur. Verùm hæc ſacra actio nunquam in Miſſa ſolemni peragatur.

7. Celebrans Sacram Euchariſtiam renovaturus, ſumto Corpore, & Sanguine Domini, priuſquam dicat *Quod ore ſumſimus, Domine.....*, ac Purificationem ſumat, Cuſtodiam aperiet, & genuflectet: Pyxidem extrahens, ſuper Corporale in medio locabit, & reverenter Hoſtiam majorem, & Particulas abſumet. Pyxidem benè mundabit, & terget, fragmenta, ſi quæ remanſerint, digito Indice in Calicem immittens. Inde majorem Hoſtiam renovatam in Pyxide ponet, & in altera Pyxide Particulas recens conſecratas; poſtea utramque Pyxidem claudet, & facta genuflexione, in Tabernaculo recondet; tandem repetita genuflexione, Oſtiolum obſerabit, Miſſamque de more proſequetur.

8. Si qua in Eccleſia ex poſteriori parte Altaris Sanctiſſimum Sacramentum, ut renovetur, fuerit accipiendum; ubi Celebrans Sacram utramque ſpeciem ſumſerit, præſtò aderit alius Sacerdos Cotta, Stola juxta temporis opportunitatem, & Velo humerali albo amictus, qui præcedentibus duobus Clericis cum Intortitiis, ad Altare, in quo Miſſa celebratur, deferat Pyxidem cum Sacramento. Illam in medio Altaris deponet; & genuflectens, accipiet aliam Pyxidem cum Particulis renovatis, quas eodem ritu in Tabernaculum aſportabit. Celebrans autem manebit genuflexus in ſuppedaneo a latere Evangelii, donec Sacerdos Sacramentum deferens diſceſserit ab Altari.

9. Quòd ſi Sanctiſſimum Sacramentum quando-

A 2 que

Digitized by Google

que e Sacello, in quo aſſervatur, ad aliud Sacellum deferri contigerit; tum in Altari, a quo amovetur, tum in Altari, ad quod aſportatur, binæ accendentur Candelæ. Præcedent autem duo Clerici cum Intortitiis, & alius cum Umbella erecta Sacramento inſerviens, & Sacerdos Superpelliceo, Stola, & Humerali albo indutus cum eo Pyxidem obteget. In incedendo, Pſalmos, ſeu Hymnos recitabit, & Pyxidem ſuper Corporale in Altari deponet. Inde genuflectens, ſe ſiſtet genibus flexis in ſuperiori gradu, ibique recitabit Antiphonam *O Sacrum Convivium* .... & ℣. *Panem de Cœlo* ..... addito *Alleluja* tempore Paſchali, & per Octavam Corporis Chriſti; Inde aſſurgens, Orationem de Sacramento dicet. Aſcendet ad Altare, ubi præmiſſa genuflexione, Pyxidem humerali Velo coopertam accipiet, cum qua Populum benedicet. Pyxidem in Altare deponet, & Velo humerali ſe exuet. Tandem Tabernaculi Oſtiolum aperiet, & repetita genuflexione Sacram Pyxidem recondet, & denuo genuflectens Oſtiolum claudet. Qui Intortitia deferunt, genuflexi in plano aderunt ad latera Altaris extra infimum illius gradum.

CAPUT II.

De conficiendo Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

1. SAcerdos Sanctiſſimam Euchariſtiam miniſtraturus, pro Populi multitudine Hoſtiarum minorum, ſeu Particularum ſufficientem numerum in Pyxide reponet. Et ſi in Miſſa ſolemni facienda ſit earum conſecratio, dicto Offertorio, defertur a Credentia per Cæremoniarium, ſeu per Acolythum Pyxis cum Hoſtiis conſecrandis albo Linteolo, vel ſerico Velo tecta. Mox a Diacono reponitur ſuper Corporale quaſi in medio Altaris, & cùm

Ce-

Celebrans dicturus eſt *Suſcipe Sancte Pater*..... Diaconus illam detegit, ſtatimque poſt Offertorium operit.

2. In Miſſis privatis Celebrans Pyxidem opportunè accipiens ſuper Corporale collocabit, & ad *Suſcipe Sancte*... ipſam diſcooperiet, & poſt Offertorium claudet.

3. Dicturus in Canone *Qui pridie*..., Pyxidem quaſi ante Calicem trahens diſcooperit; & tunc accipiens Hoſtiam, format ſignum Crucis, verbaque conſecrationis profert ſuper ipſam, & reliquas omnes abſque numeri determinatione, ſed quotquot ſint, conſecrare intendet. Poſt Elevationem, repoſita ſuper Corporale Hoſtia conſecrata, cooperit Pyxidem, eamque loco congruo, intra tamen Corporale, ita ut ſacra actio non impediatur, collocabit; Et quando Communicandorum parvus eſt numerus, Hoſtiæ conſecrandæ poſsunt in Corporale ad latus Calicis deponi.

4. In communicando nunquam dentur partes majoris Hoſtiæ, quæ renovatur, vel quæ poſt Orationem Quadraginta Horarum reſervatur, ſed ipſe Sacerdos ſumat, quod etiam facere poteſt poſt ſumtionem Sanguinis.

5. In Communione, quæ fit intra Miſſam, non datur benedictio Communicatis, etiam ſi Miſſa ſit pro Defunctis.

CAPUT III.

De Communione generali in Miſſa ſolemni.

1. QUando Communio generalis facienda erit in Miſſa ſolemni, tot parvæ Hoſtiæ, quot erunt neceſſariæ, a Sacriſta parentur in Pyxide ſupra Credentiam reponenda. Tempore, quo Subdiaconus Cali-

Calicem ad Altare defert, Magiſter Cæremoniarum, ſive Acolythus poſt eum portat Pyxidem Linteolo mundo, ſeu ſerico Velo albo tectam. Diaconus ſtatim illam collocans ſuper Corporale a parte Epiſtolæ, operculum amovet. Oblatione autem Hoſtiæ a Sacerdote peracta, Pyxis a Diacono operitur vel operculo, vel Palla.

2. Celebrans poſtquam Domini Sanguinem ſumſerit, Diaconus operto Calice cum Palla, eoque poſito ultra medium Altaris versùs cornu Evangelii intra Corporale; genuflectens Pyxidem in medio Corporalis collocat, eamqne aperit. Quòd ſi extrahenda foret e Tabernaculo, ipſe cum genuflexionibus ante, & poſt extrahet, Celebrante interim in Pradella a parte Evangelii genuflexo, Subdiacono etiam genibus flexis ſtante ſupra gradus ab eadem parte. Surget exinde Celebrans, junctiſque manibus conſiſtet inter medium Altaris, & latus Evangelii ad latus Epiſtolæ converſus, Confeſſionem a Diacono faciendam auſcultaturus. Diaconus enim ſe retrahens extra Pradellam ad latus Epiſtolæ, verſa facie ad Celebrantem ſtans manibus junctis, & profundè inclinatus, alta voce recitabit *Confiteor....*

3. Celebrans, poſtquam Diaconus Pyxidem aperuerit, ſtat facie verſa ad Diaconum in medio Altaris; Subdiaconus verò poſt Celebrantem. Acolythi interea ad latera Altaris in ſuperiori gradu genuflexi, facie ſibi invicem verſa Linteum mundiſſimum, ſeu Velum album ex ſerico extendunt. Mox Diacono, & Subdiacono ante Linteum pariter genuflexis Celebrans dicit *Miſereatur veſtri ...*, *Indulgentiam ...*, inde cum debitis genuflexionibus Pyxidem accipiens, & ad Communicandos converſus, Communionem eis porrigit præmiſſis verbis *Ecce Agnus Dei ...*, *Domine*, *non ſum dignus ....* quod cæteri Fratres pectus percutiendo ſecretò dicent; indeque in Choro cantabitur Hymnus *Pange lingua...*

gua . . . . . Fratres bini, ac bini factis debitis reverentiis e Choro egredientes per latus Evangelii accedent ad Communionem; digniores primùm, inde minus digni, qui in plano prope infimum Altaris gradum flexis genibus cum profunda inclinatione adorantes, Sacram Euchariſtiam ſument. Inde quin terga Sacramento vertant, abeuntes, iterum in plano ita genua flectunt, ut in medio excipiantur ab iis, qui nondum Communionem acceperunt; huncque ritum omnes devotè ſervabunt; nullaque ad invicem ob Sacramenti reverentiam facta ſalutatione, eodem ordine ad Chorum revertentibus a parte Epiſtolæ, tum Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis purificationem Diaconus Miſſæ prope infimum Altaris gradum ſtans miniſtrabit; cæteris autem purificationem in Vaſe non ſacro porriget Acolythus. Presbyteri venient poſt Diaconum, & Subdiaconum Miſſæ, inde Diaconi, poſt hos Subdiaconi. Sequentur Cæremoniarum Magiſter, Acolythi, & tandem cæteri Fratres; Presbyteri verò, & Diaconi Stolis Ordini ſuo, & tempori convenientibus ſemper utentur. At ſi Presbyteri, & Diaconi impares numero fuerint, incedent tres ultimo loco, quod reliqui Fratres quoque ſervabunt.

4. Acolythi, qui linteum, & Intortitia tenent, ubi Communionem ſumere debebunt, aliis ea tenenda dimittunt, inde ſumta Euchariſtia, ad ſuum munus ſinguli redituri uſque ad finem Communionis.

5. Si Miſſa abſque Diacono, & Subdiacono celebretur, Vaſa purificationis ponentur in Choro ſuper menſam decenter ornatam, eamque unuſquiſque pro libito ſumet.

6. Abſoluta Communione, antequam Celebrans Altare aſcendat, ſi fortè in planum Presbyterii communicaturus deſcenderit, Miniſtri ad ipſum accedentes, dum gradus aſcendit, hinc inde elevant fimbrias

brias anteriores veſtium ; ipſe verò tenens digitos dexteræ adhuc ſuper Pyxidem conjunctos, aſcendit ad Altare, ubi ſupra Corporale illam reponens, advertat ne quid fragmenti digitis adhæreat, illos ad majorem cautelam ſupra Pyxidem leviter executiendo.

7. Deinde Diaconus operit Pyxidem, & reponit, genuflexo interim Celebrante, & poſtea Subdiacono; quibus deinde ſurgentibus, & repoſito Calice in medio Altaris, Corporali non amoto, purificationem ſuam facit Celebrans, qui nullam hìc Communicatis, quod eſt ſemper obſervandum, benedictionem dabit, in fine Miſſæ daturus.

8. Quòd ſi Sanctiſſimum Sacramentum adhuc remaneat in Altari, portatur Calix ad credentiam, & Celebrans, & Miniſtri debitas reverentias obſervant, præſertim verò Diaconus cùm eſt dicturus *Ite Miſſa eſt*:

9. Reverentiæ autem debitæ ſunt: Ut Sacerdos genuflectat quandocunque accedit, vel recedit a medio, vel tranſit ante Sacramentum in Altare poſitum; & cùm dicit *Dominus vobiſcum*, non debet ſe vertere ad Populum in medio Altaris, ſed prope cornu Evangelii, ubi etiam in fine dabit benedictionem non perficiens circulum; nam tunc verteret terga Sacramento, ſed per eandem viam redit ad medium, quod & in *Orate Fratres* eodem caſu obſervabit. In initio Evangelii non ſignat Altare, ſed ſeipſum tantùm: & ad *Verbum Caro*... genuflectit versùs Sacramentum.

10. Hoc eodem modo, quando diebus Dominicis, aut aliis feſtis, & ubi non parantur Miniſtri, Communio fiat in Miſſa, procedendum erit, exceptis iis, quæ de Miniſtris ſunt dicta.

CA-

CAPUT IV.

De Communione particulari infra Miſſam.

1. QUando poſt Communionem Sacerdotis de utraque ſpecie, aliquis eſſet Communicaturus, eadem reſpectivè obſervanda erunt, de quibus in præcedenti capite fuit mentio facta, & ſemper Velum a Miniſtro ante Communicandos ponatur; ipſe verò a latere Epiſtolæ genuflexus dicet *Confiteor*..., & Celebrans ſemper ſubjungat, *Miſereatur veſtri*.., *Indulgentiam*, *abſolutionem*..., etiamſi unus tantùm communicetur, eodemque modo, *Ecce Agnus Dei*... *Domine*, *non ſum dignus*... quamvis mulier eſset communicanda.

2. In Communione, quæ fit communiter a Religioſis non Sacerdotibus, dicto *Sanctus*... deferuntur ante Altare duo Intortitia, quæ non extinguuntur, niſi peracta Communione.

CAPUT V.

De particulari Communione extra Miſſam, & in fine.

1. SAcerdos extra Miſſam communicaturus, Superpelliceo, & Stola coloris Officio congruentis indutus, duabus Candelis cereis, & quantum fieri poteſt, duobus etiam Intortitiis, vel ſaltem uno Intortitio accenſo, cum Burſa, & Corporali intus, accedit ad Altare. Ibi poſt factam debitam genuflexionem, & Corporali extenſo, collocat ſe in medio Altaris, donec Miniſter, ſine quo non decet communicare, a parte Epiſtolæ genuflexus dicat voce intelligibili *Confiteor*.... Eodem tempore Sacerdos Cuſtodiam aperiens genuflectit; extrahit Pyxidem, eamque aperit, iterumque genuflectens, inter medium Altaris, & cornu Epiſtolæ ſemiverſus ad Communicandos dicit *Miſereatur*.., *Indulgentiam*... In-

de in medio iterum genuflectit, & Particulam unam manu dextera inter indicem, & pollicem capit, & converſus ad Communicandos dicit *Ecce Agnus Dei....*, *Domine, non ſum dignus ...* Deinde deſcendens, a latere Epiſtolæ incipit communicare proſequendo uſque ad latus Evangelii; & ſi alii acceſſerint, quoties opus eſt, revertitur, ſemper incipiendo a latere Epiſtolæ eodem ordine, donec compleatur circulus uſque ad ultimum lateris Evangelii: deinde ad Altare reverſus, digitos ſuper Pyxidem excutit, ſi fragmentum aliquod iis adhæſerit, & genuflectens Pyxidem operit. Digitorum ſummitatem in Pelvicula ſeorſim poſita abluit, & Purificatorio tergit. Inde genuflectens, Pyxidem in Tabernaculo reponit, iterumque genuflectens, Oſtiolum claudit. Aqua purificationis quotidie mutanda, in Piſcinam, vulgò -- Sacrario, eſt projicienda.

2. Peracta Communione, dici poteſt Antiphona: *O ſacrum Convivium ....* cum ℣. *Panem de Cœlo...* & Sacerdos dicit Orationem *Deus, qui nobis...* Tempore verò Paſchali, addito *Alleluja* ad Antiphonam, & verſum, dicit Orationem *Spiritum nobis, Domine, tuæ Charitatis infunde, ut quos Sacramentis Paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen*, & hoc maximè quando communio poſt Miſſam ſit facienda. Deinde repoſita Pyxide intra Tabernaculum, genuflexione facta, ad Communicatos ſe convertens, eos benedicit, dicendo: *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris, & Filii ✠, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper.* ℟. *Amen.*

3. Communicandi verò habeant ſemper ante ſe velum aliquod mundum ſuper Cancellos, vel alio modo extenſum.

CA-

CAPUT VI.

De Defectibus in Communione præſtanda occurrentibus.

1. SI dum fit Communio, aliqua Hoſtia decidat in terram, reverenter eam Sacerdos accipiat, & locus, in quem ceciderit, obſignetur; atque aliquid interim ſuperimponatur, opportuno poſtmodum tempore abradatur, & abraſio in Sacrarium projiciatur.

2. Si ceciderit ſupra mappam, aut velum, hujuſmodi mappa, aut velum ſignetur, & poſtmodum diligenter lavetur, ipſa verò lotio in Sacrarii piſcinam projiciatur.

3. Si ſupra veſtes Communicantium ceciderit, locus ſignetur, ac poſtea lavetur, quòd ſi commodè, vel decenter fieri non poterit, ſi fortè aliquam mulierem tetigerit; eidem, ut veſtem, vel locum a Sacramento tactum lavet, Sacerdos committat, & lotio, ut ſupra, in Sacrarium projiciatur.

CAPUT VII.

De Sacerdote ad Communionem miniſtrandam deputato.

1. SAcerdos ad ſacram Communionem Fidelibus opportunè miniſtrandam, in Eccleſiis majoribus præcipuè deſignandus, omnem diligentiam adhibebit, ut nihil eorum prætermittat, quæ ad Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cultum, & ornamentum pertinent, ita ut munda, ornata, & ſplendida pro viribus omnia appareant; Pyxides octavo quoque die purificando, Altare, in quo ea miniſtratur, ornando, vaſcula mundando, Pelviculam cum Purificatorio pro ablutione digitorum ſemper adhiben-

do; Vela, Linteamina, atque etiam parva Conopea Pyxidum ſuis quæque locis recondendo: Scamnum ſemper ante Cancellos, ubi ſumenda eſt ſacra Communio, Panno laneo, vel ſerico contegendo, ſupraque Linteum, aut Velum album extendendo, & alia his ſimilia accuratè, prout tanti Sacramenti dignitas poſtulat, efficiendo. Item paretur unum Vas, aut plura cum vino, vel aqua pro purificatione Communicantium, & Mappula una, vel altera.

2. Cùm transferendum eſt Sacramentum ad Altare, omnibus in eo præparatis, lotis ſemper prius manibus, Superpelliceo, & Stola debiti coloris, Veloque humerali albo indutus, cujus extremitas Pyxidem cooperiat, præcedentibus ſaltem duobus Intortitiis, transferet, & aliquem Pſalmum, aut Hymnum ſubmiſſa voce cum Adſtantibus recitabit; ipſe autem cum Umbella per aliquem elata procedet.

3. Poſt celebrationem Feſti, & Octavæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ubi fuerit facta Proceſſio, ac poſt celebrationem Orationis Quadraginta Horarum, & quoties Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo fuerit expoſitum, Sacerdos ſacram Hoſtiam ex Tabernaculo, cùm celebrat, aſſumat in Miſſa, diligenter advertens, ne aliquod in Lunula fragmentum fortè remaneat.

CAPUT VIII.

De exponendo Sanctiſſimo Sacramento in Oratione Quadraginta Horarum.

1. Quandocunque celebranda erit Oratio Quadraginta Horarum, in qua exponitur Sanctiſſimum Sacramentum, Altare, in quo illud exponendum eſt, Pallio albo, & ſolemni apparatu decorè ornetur, & cum

cum candelabris multis concinne diſpoſitis. In die autem ſuper eodem Altare decem & octo ſaltem ardebunt Candelæ, & prope infimum gradum bini Cerei majoris ponderis in præaltis candelabris. Nocturno tempore idem numerus non minuetur, ſed clauſo Eccleſiæ oſtio lampadibus appoſitis decem ſaltem Candelæ cereæ lumen dabunt. Adhiberi etiam poterunt Angelorum ſimulacra, florum vaſcula; & alia Eccleſiaſtica ornamenta, & aromatici odores. Sacræ autem Imagines, ſeu Reliquiæ Sanctorum in qualibet Sacramenti expoſitione ſuper Altare ne collocentur: ut in Inſtructione Romæ emanata 20. Jan. 1705. Itidem, quandocunque expoſitum eſt Sacramentum in Altari, Crux cum Imagine Crucifixi in eo non eſt apponenda etiam tempore, quo Miſſa ibidem celebratur, ita Summo Pontifice BENEDICTO XIV. in Epiſtola Encyclica anni 1746. approbante; niſi obſit contraria conſuetudo.

2. Miſſa, etiam ſi ſit Duplex, vel Dominicus dies, erit de Sanctiſſimo Sacramento, in Paramentis albis: diebus verò Feſtis, & Privilegiatis duæ Miſſæ dicantur in Conventibus, ubi ſufficiens ſit Fratrum numerus, altera de die poſt Tertiam, altera de Sanctiſſimo Sacramento poſt Nonam ante Proceſſionem: erit autem votiva, ac ſolemnis pro re gravi, hoc eſt, quando ad eam cantandam convenire debeant omnes Fratres, ut fit in Capitulis generalibus, & provincialibus, & hujuſmodi; & una tantùm Oratio dicetur cum *Gloria*, & *Credo*, & ſi dies ſit ex majoribus Privilegiatis, Miſſa erit omnino de die cum Commemoratione Sanctiſſimi Sacramenti ſub unica Concluſione in Paramentis coloris tempori, ac feſto congruentis. Paramenta autem in Proceſſione ejuſdem coloris erunt, nec mutabuntur; at Baldachinum, Velum humerale Celebrantis, & Proceſſionalis Crucis Flamen, ſeu Velum erunt coloris albi.

3. Pro-

3. Proceſſio autem celebrabitur per Eccleſiam, vel circa eam, juxta conſuetudinem Locorum, eodem modo, quo *infra Cap. XI.*, & dum in Proceſſione tranſitur ante majus Altare, vel aliud, in quo fortè eſt Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, non fit genuflexio, quia ipſummet defertur. Poſt Proceſſionem verò Sacramentum ponetur loco decenti, & elevato in medio Altaris ſub Baldachino, velis pretioſis, & infulis hinc inde pendentibus.

4. Dum Sacramentum erit expoſitum, duo ex Fratribus in Tabella per Chori Vicarium deſignandis, incipiendo a majoribus uſque ad minores, continuè, cùm Oratio celebrabitur, Superpelliceis induti, Sacerdotes verò etiam Stolam albam habentes, flexis genibus intra Presbyterium, ſeu planum Cappellæ aſſiſtere debebunt unuſquiſque per horæ ſpatium.

5. Noctis tempore, niſi reponatur Sacramentum, Eccleſia undique, quantum fieri poterit, illuſtrabitur ſufficienti luminum numero.

6. Horologium item ex arena in loco, prope quem orant Religioſi, non tamen adeò patenter, apponetur, elapſa hora vertendum; & cum majori Campana dabitur ſingulis horis ſignum, quo audito, duo Fratres in Sacrario promptè ad orandum accedant.

7. Durante Oratione nemini Laicorum ſæcularium permittatur ingreſſus in Presbyterium ſive ad emungenda, ſive ad melioranda luminaria. Hoc enim munus a Miniſtris Superpelliceo indutis erit explendum.

8. Privatæ Miſſæ nullatenus ibi quacumque ex cauſa celebrentur; & ſi fortè Sermo ſit habendus, Orator pietate, ac brevitate ſibi propoſita, nudo prorſus capite concionetur.

9. Item Miſſæ privatæ de *Requiem* tempore Expoſitionis omnino prohibentur, ſed celebrari debent, vel

vel de Officio, ſi fuerit duplex, vel votivæ de Sanctiſsimo Sacramento, ſi ſemiduplex, vel feriale: & in Miſſis de Officio ſemper fiat Commemoratio Sanctiſsimi Sacramenti, in quibus non pulſetur Tintinabulum ad elevationem ejuſdem.

10. In Choro pariter dum Sanctiſſimum Sacramentum fuerit expoſitum, aperto ſemper capite erunt Fratres omnes, etiam cùm ſedendum fuerit ad Lectiones.

11. Si interim Veſperæ ſolemnes celebrentur, Sacerdos Pluviali coloris Officio congruentis indutus ad incenſandum Altare procedit, Incenſum imponet cum benedictione, quia thurificatur etiam Altare; Verùm Aſſiſtens Naviculam, & Thuribulum miniſtrans abſtinebit ob oſculis, quod erit pariter ſervandum in Miſſa ob Sacramenti reverentiam, cùm res Celebranti porriguntur. Ubi ante infimum gradum conſtiterit, utroque genu in plano Sacramentum adorat, inde aſcendens, oſculatur Altare. Mox ponit Incenſum, & in medio ſuppedanei genibus flexis Sacramentum thurificat. Subinde aſſurgit, & genuflectens incenſat de more Altare, ante cujus medium quoties tranſit, genuflectit. Thurificatione abſoluta, deſcendit lateraliter per anteriores gradus, ne terga vertat, & in infimo gradu repetit genuflexionem. Tandem diſceſſurus poſt Veſperas, utroque genu flexo in plani medio Sacramentum veneratur.

12. In fine Orationis Quadraginta Horarum, cùm reponendum erit Sacramentum, poſt Miſſam Celebrans prope latus Epiſtolæ Manipulo, & Planeta exutus induet Pluviale. Accedet inde ad medium Altaris, & flexis genibus in plano aſſurget, & genuflexus manebit cum Miniſtris ſuper infimum gradum. Tunc Cantores Litanias Sanctorum incipient, quibus abſolutis, Celebrans perſequetur preces uſque ad ℣. *Domine, exaudi orationem meam* incluſivè. Subinde unacum Miniſtris ſurgens, ibi

ibi ſtans, Incenſum in duobus Thuribulis ponet abſque benedictione, & flexis genibus in eodem infimo gradu ter Sacramentum thurificabit. Poſt incenſationem Velum humerale a Cæremoniario appoſitum, Subdiacono adjuvante, ſumet, eodemque tempore Diaconus cum debitis genuflexionibus ab eminenti loco Sacramentum amovebit, & Celebranti adhuc genuflexo tradet; iſque Sacramento accepto aſſurget, & Diaconus flexis genibus Sacramentum adorabit.

13. Celebrans inde cum Miniſtris Altare conſcendet, & facie ad Populum verſa expectat, anteriores Pluvialis fimbrias iiſdem Miniſtris elevantibus. Interim Proceſſio dirigitur, in qua cantatur Hymnus, *Pange lingua...*, & Fratres bini, ac bini cum Cereis accenſis procedunt, Sacramentum, ubi ante illius conſpectum fuerint, utroque genu flexo adorantes.

14. Statim ac Proceſſio in Eccleſiam redierit, Diaconus genuflexus accipit a Celebrante Sacramentum eodem ritu, quo jam tradiderat Celebranti, illudque ſuper Corporale in medio Altaris collocans genuflectit, & inde revertitur ad Celebrantem, qui in infimo gradu genuflexus dimittit Velum humerale. Tunc Chori Vicarius intonat *Tantum ergo....*, cæteris cantum proſequentibus; dictoque ſecundo verſu, aſſurgens Celebrans imponit Incenſum ſine benedictione in uno ex Thuribulis, cum quo in eodem ultimo gradu genuflexus Sacramentum thurificat. Finito Hymno, dictoque a Cantoribus genuflexis ℣. *Panem de Cælo*... aſſurgit Celebrans, & ex peculiari Libro a Miniſtris itidem genuflexis oblato cantat Orationem de Sacramento, additis quoque cæteris aliis ſub unica Concluſione longa. Mox imponitur ei Velum humerale; & Diacono, & Subdiacono in ſuppedaneo genuflexis anteriores Pluvialis fimbrias elevantibus, Populum cum Sacramento de more benedicit.

15. Die

15. Die ſequenti aſſumitur Hoſtia a Sacerdote in Miſſa poſt Sanguinis ſumtionem, & Oſtenſorii lunula benè mundatur.

CAPUT IX.

De modo exponendi Sanctiſſimum Sacramentum, & præcipuè infra Octavam Corporis Chriſti.

1. CUM per Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti majori cum ſolemnitate Divina Officia celebranda ſint, & adorandum Populo exponatur Euchariſtiæ Sacramentum, ipſamet ejuſdem Feſtivitatis die ad ſolemnes Veſperas, & per totam Octavam, Altare cum luminaribus, ac floſculis, prout dictum eſt in celebratione Quadraginta Horarum, ornabitur. Hora congrua, dato ſigno Campanarum, convenientibus omnibus ad Veſperarum Officium, Celebrans in Sacriſtia cum Aſſiſtentibus indutis Pluviali coloris Officio convenientis, præcedente Thuriferario cum Ceroferariis, accenſis in Altari luminibus, dum datur ultimum Campanarum ſignum, ad Altare procedit, ubi detecto capite, ſupra infimum gradum genibus flexis aliquantulum orabunt. Mox Sacriſta, ſeu alius Sacerdos Superpelliceo, & Stola indutus Altare aſcendens, ipſam Sacram Hoſtiam loco eminenti ad id præparato, cum debitis reverentiis collocabit.

2. Celebrans adorato Sanctiſſimo Sacramento, ſurgit, & miniſtrante primo Aſſiſtente Naviculam, incenſum in Thuribulum imponit, nihil dicens, neque ſignum Crucis efformans; tunc in infimo gradu genuflexus, Aſſiſtentibus hinc inde Pluvialis fimbrias elevantibus, triplici ductu Sanctiſſimum Sacramentum incenſat,

C ante,

ante, & poſtea profundè inclinans: interim tanguntur Organa, ceſſante Campanarum ſono; deinde reddito Thuribulo Aſſiſtenti, qui illud ſine oſculis accipit, datque Thuriferario, in Chorum ad locum ſuum accedit.

3. Cantantur Veſperæ, prout in ſolemnioribus, omnibus ſtantibus detecto capite. Ad *Magnificat* miniſtratur incenſum ab Aſſiſtente, ita tamen ne terga vertat Sacramento, & omnia fiunt more ſolito, ſine oſculis, ſed cum benedictione incenſi: ipſum autem Sacramentum incenſatur triplici ductu a Celebrante genuflexo in ſuppedaneo, cui etiam Miniſtri omnes genuflexi aſſiſtunt, exceptis Ceroferariis, qui ſemper ſtare debent, deinde Celebrans ſurgens incenſabit Altare, ſemper, dum per medium tranſit, genuflectens.

4. Ad Matutinum omnes in Choro detecto capite, ſive ſtantes, ſive ſedentes, ea omnia ſervabunt, quæ de Matutinis ſuo loco præſcribuntur. Laudes verò celebrantur eodem ordine, qui ſervatur in Veſperis, & ad *Benedictus* incenſatur Altare, prout ad *Magnificat*.

5. Completo Officio, omnibus intra Presbyterium, vel in Choro genuflexis, Celebrans cum Miniſtris ad Altare accedens Sacramentum ſuper infimo gradu incenſat, interim cantabitur *Tantum ergo Sacramentum*, intonante Chori Vicario; deinde poſt ℣. *Panem de Cœlo....* Celebrans ſurgens dicit Orationem *Deus*, *qui nobis*, cum brevi concluſione: *Qui vivis*, *&* *regnas in ſæcula ſæculorum* ℟. *Amen*; datque cum Sanctiſſimo Sacramento benedictionem, eoque repoſito, extinguuntur luminaria.

CA-

CAPUT X.

De obſervandis in Miſſa ſolemni, cùm Sanctiſſimum Sacramentum eſt expoſitum.

1. QUando celebratur Miſſa ſolemnis, & Auguſtiſſimum Sacramentum eſt expoſitum, Celebrans cum Miniſtris ad Altare accedens, in plano prope infimum gradum utroque genu adorat. Inde aſſurgens, facit abſque alia genuflexione Confeſſionem cum Miniſtris, eaque abſoluta, non genuflectens aſcendit ad Altare, interim dicens *Aufer a nobis* ...; & priuſquam incipiat: *Oramus te Domine* ... genuflexionem facit, ſtatimque ſurgens dicit Orationem: *Oramus te Domine*, & ad verba, *quorum Reliquiæ hìc ſunt*, oſculatur Altare. Subinde Diaconus ſine oſculis miniſtrat Incenſum; quo impoſito cum benedictione, Celebrans flexis in ſuppedaneo genibus Sacramentum incenſat, ante, & poſt profundè inclinans. Mox ſurgens, iterum genuflectit, & incenſat Altare more ſolito. Poſtmodum ſecedens extra cornu Epiſtolæ, verſis renibus ad Altare incenſatur a Diacono.

2. Semper accedens, & recedens a medio, genuflectit; cùm ſe convertit, ut dicat *Dominus vobiſcum*, prius genuflectit in medio, & ne terga vergat Sacramento, convertit ſe a latere Evangelii; & rediens, ut dicat Orationem in cornu Epiſtolæ, per medium tranſiens, genuflectit.

3. Poſt Offertorium, imponens incenſum in Thuribulum dicit; *Per interceſſionem* ... & cùm dicit *dignetur Dominus bene✠dicere*, more ſolito format ſignum Crucis ſuper Thuribulum, mox incenſat Oblata, Diacono interim manu dextera Calicis pedem tenente; nec amovet, ut aliàs, Calicem e medio, ſed Celebrante

 genu-

genuflexo ſupra gradum Altaris, ter Sacramentum incenſante, ipſe aliquantulum retro pariter genuflexus Caſulam elevatam tenebit, cum eodem ante, & poſtea inclinans. Incenſato Sacramento, Celebrans unacum Diacono aſsurgens Altare thurificat; Inde accedit ad latus Epiſtolæ extra Altare, ibique ſtans renibus ad Altare verſis incenſatur a Diacono, & in eodem loco ſubinde lavat manus. Poſt thurificationem Celebrantis Diaconus reliquos omnes incenſat more ſolito.

4. Rediens in medium genuflectit, deinde inclinatus dicit *Suſcipe Sancta Trinitas . . .* quo dicto, rurſum genuflectit in medio, & convertens ſe, ut dicat, *Orate Fratres*, vertit ſe ad latus Evangelii, nec complet circulum, ſed rediens per eamdem viam iterum genuflectit, & proſequitur ſecreta, & reliqua omnia.

5. Poſt Communionem convertens ſe, ut dicat *Dominus vobiſcum*, & Orationem, eadem obſervabit, quæ ſuper ſunt adnotata. Pariter ad benedictionem non complet circulum, neque ad Evangelium in fine ſignat Altare. Verùm ſi recitaverit Evangelium legens ex Libro, ſeu in Tabella, Librum, vel Tabellam prius de more ſignabit, & inde ſe ipſum.

6. In fine Miſſæ ab Altari recedens cum Miniſtris, & aliis in plano utrumque genu flectit. In Miſſis privatis omnia obſervantur modo ſupra præſcripto.

CAPUT XI.

De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti in Eccleſiis noſtris Parochialibus, & de Expoſitione ipſius, quæ fit aliquando pro Infirmis, vel aliis neceſſitatibus.

1. SIqua Eccleſia noſtra, ut in Urbe Roma, & alibi, adnexam habeat Animarum curam, cùm celebranda

da erit Proceſſio Sanctiſſimi Sacramenti, hoc modo procedendum erit. Ipſa die, qua ſolemnis Proceſſio Sacratiſſimi Chriſti Corporis celebrari debet, præparabit Sacriſta in Calice pro Miſſa ſolemni duas Hoſtias, item Oſtenſorium, Crucem Proceſſionalem, congruum Funalium, ſeu Cereorum numerum, duo Thuribula, Velum album oblongum pro Celebrante, Pluviale, & Paramenta ſolemnia coloris Officio convenientis, item Baldachinum album.

2. Paratis jam omnibus, Miſſa hora congrua ſolemniter celebrabitur. In ipſa duæ Hoſtiæ conſecrantur, quarum altera in Communione de more aſſumta, alteram intra Oſtenſorium, antequam purificationem ſumat, Celebrans reponet. Cæremoniarum Magiſter, ſive Acolythus deferet e Credentia ad Altare Oſtenſorium albo Velo ſerico coopertum, quod a parte Epiſtolæ poſitum Diaconus accipiet, & tradet Celebranti. Ipſe ſua manu imponit Sacram Hoſtiam in Lunula, quæ eſt in medio Oſtenſorii, quod cum debitis reverentiis per Diaconum in medio Altaris ſuper Corporale aptatur, & ſtatim Celebrans, & Miniſtri unico genu adorant Sacramentum, qui quoties accedunt ante Sacramentum, vel recedunt, genuflectunt, aliaque omnia circa converſiones obſervant, quæ fuerunt adnotata in *Capite præcedenti*.

3. Celebrans, cùm in Evangelio S. Joannis in fine Miſſæ dicit *Et Verbum caro factum eſt*, genuflectens vertit ſe aliquantulum ad Sacramentum. Inde ante infimum gradum deveniens in plano genua flectit, & ſecedens extra latus Epiſtolæ Caſulam, & Manipulum dimittit, & accipit Pluviale adjuvantibus Miniſtris, qui pridem & ipſi Manipulos depoſuerunt.

4. Ratione maximæ celebritatis ejuſdem Feſti Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Fratres in Sacris conſtituti uten-

utentur Paramentis ſupra Albas ſine Stolis, & Manipulis, cæteri verò cum Cottis. Alter quoque Subdiaconus, qui Crucem deferre debet, indutus Amictu, Alba, & Tunicella albi coloris, & ii, qui haſtas Baldachini deferre debeant, induti Amictu, Superpelliceo, & Pluvialibus, vel ſaltem Superpelliceo, ante Altare accedunt. Acolythi prunas Thuribulis imponunt, omnibuſque ante Presbyterium ordinatè venientibus, Celebrans ſtans ante gradus Altaris imponit incenſum in duo Thuribula ab Acolythis genuflexis ſibi oblata, quod miniſtratur ſine oſculis, neque benedicitur. Deinde genuflexus ter ducens Thuribulum, cum profundis inclinationibus Sanctiſſimum Sacramentum incenſat. Velum oblongum ſuper humeros Celebrantis imponitur, qui genuflexus accipit de manu Diaconi Sanctiſſimum Sacramentum, ac ſurgens, ipſum in medio Altaris ad Populum converſus elevatum tenet, Miniſtris hinc inde fimbrias Pluvialis elevantibus. Interim Vicarius Chori intonat Hymnum *Pange lingua glorioſi*, reliquis proſequentibus Hymnum, additis, ſi longior fuerit Proceſſio, aliis Hymnis, & Pſalmis, puta; *Sacris Solemniis* ..., *Verbum ſupernum* ...., *Jeſu redemptor omnium* ..., *Æterne rex Altiſſime* .... item, *Te Deum laudamus* ..., *Benedictus* ...., *Magnificat* ....

5. Procedunt Fratres bini, & bini poſt Confraternitates, ſi adfuerint; Fratres autem præcedit Subdiaconus paratus deferens Crucem medius inter Ceroferarios cum Candelabris, & Cereis accenſis, & Cereos quoque accenſos manu geſtabunt omnes, ea ſcilicet manu, quæ unicuique extima eſt, altera pectori admota. Prope Sacramentum hinc inde ſemper curabit Magiſter Cæremoniarum, ut præter Funalia ad quatuor Baldachini latera adſint ſingulæ haſtatæ laternæ accenſæ juxtà noviſſimi Romani Concilii decretum. Duo Thurife-

rarii

rarii continuò Sacramentum ipſum incenſabunt decorè Thuribula ducentes immediatè ante Celebrantem ; ita tamen, ne terga vertant Sacramento, facie ad ipſum Sacramentum lateraliter converſa. Deferentes verò Baldachinum advertent, ut ſemper gravi paſſu incedant, ipſum ſemper ſuper Sacramentum ſuſtinentes. Celebrans cum Miniſtris, qui fimbrias Pluvialis elevatas a lateribus tenebunt, alternatim cum ipſis recitabit ſubmiſſa voce Pſalmos, & Hymnos, qui etiam à Cantoribus concinentur, & Campanæ continuè pulſabuntur.

6. Ad Eccleſiam reverſi, ubi ante Altare pervenerint, Subdiaconus deponit Crucem loco congruo, & Ceroferarii candelabra ſupra Credentiam, ac prope Altare genufleſtunt, reliqui quoque hinc inde per ordinem genufleſtunt adhuc cereos accenſos tenentes, & cùm Celebrans ante Cancellos, vel ad gradus Altaris pervenerit, amovetur Baldachinum per aliquos ad id oneris deputatos, & qui illud deferebant, congruo loco poſt Paratos genufleſtunt.

7. Celebrans ante gradus Altaris Sacramentum in manu Diaconi deponit cum debitis reverentiis; Diaconus antequam Sacramentum accipiat, utroque genu flexo reverenter illud adorat, Celebrante interim verſus eum immobiliter ſtante. Deinde accepto Oſtenſorio, utraque manu aliquantulum illud elevatum verſus Celebrantem tenens conſiſtit, donec ab illo adoretur. Tum Diaconus Altare aſcendens, ipſum in medio ſuper Corporale collocabit, Celebrante interim in gradu Altaris inferiori genuflexo manente, atque Subdiacono pariter ad ejus ſiniſtram genuflexo.

8. Diaconus ad Celebrantem ubi redierit, Chori Vicarius inchoat *Tantum ergo* . . . & ſecundo verſu abſoluto, Celebrans ritu ſupra deſcripto imponit incenſum, & Sacramentum thurificat. Poſt Hymnum duo junio-

niores Cantores adhuc genuflexi ſubdunt ℣. *Panem de Cælo . . .* Choro reſpondente, *Omne delectamentum . . .* Mox Celebrans aſſurgit, & Miniſtris genuflexis Librum hinc inde ſuſtinentibus immediatè cantabit Orationem *Deus, qui nobis*, cum Concluſione brevi, *Qui vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum*, *ut in Cap. X. & alibi*.

9. Dicta Oratione, Sacerdos Altare aſcendens, flexo utroque genu in Suppedaneo, ſtans accipit Oſtenſorium utraque manu ante faciem elevatum, & ad Populum converſus, Miniſtris in ſuppedaneo genuflexis, cum illo efformando ſignum Crucis ſemel tantùm, nihil dicens benedicit unico ſigno Crucis ſenſim ducto. Tunc Sacramento in medio Corporalis depoſito, & genibus denuo flexis, ante infimum gradum recedens, genuflectit, donec Sacra Hoſtia per Diaconum intra Tabernaculum reponatur. Repoſito Sacramento, clauſoque Oſtiolo Tabernaculi, Celebrans ſurgit, extinguuntur Cerei, & ceſſat ſonus Campanarum. Omnibus ordinatè abeuntibus, poſt factam ad Altare genuflexionem, ultimus omnium procedit Celebrans cum Miniſtris capite cooperto, & in Sacriſtia ſacras Veſtes deponunt.

10. Notandum circa incenſationem ab Acolythis peragendam ante Sacramentum in Proceſſionibus, ut ipſi quaſi ad latera ante Baldachinum incedant, dextera manu Thuribula leniter, & graviter ducentes, quaſi cum odore incenſi ſternentes viam eidem Sacramento.

11. Item, quòd Celebrans nunquam cum aliis in Proceſſione Sacramenti cantat, ſed ſecretò recitat.

12. Inſuper ſi Proceſſio ſolùm intra, & non extra Eccleſiam fiat, & Hymnus *Pange lingua* ... completus fuerit uſque ad ℣. *Tantum ergo* . . . . excluſivè, ultimis duabus ſtrophis omiſſis, vel idem Hymnus repetitur, vel cantantur alii Sacri Hymni. Stropha enim *Tantum ergo* cum ſequenti dicenda eſt apud Altare ante Benedictionem.

13. Si

13. Si gravis cauſa occurrat, veluti ob infirmitatem alicujus, propter quam exponi debeat Sanctiſsimum Sacramentum, tunc exponitur clauſum in Pyxide, & albo Velo tectum ſuper Oſtiolum Tabernaculi, candelis ſaltem ſex ardentibus ſuper Altare pallio ornatum, quod Officio illius diei ſit conveniens. Sacerdos autem cum duobus Acolythis ſine precibus illud exponit, & reponit Stola, vel etiam Pluviali paratus. Aperto igitur Oſtiolo, Sacerdos incenſat Sanctiſsimum Sacramentum cum debitis genuflexionibus, & adorationibus de more. Item quando illud reponit, poſſunt cantari Litaniæ Sanctorum, & alia Eccleſiæ Ritui, & Sacramento convenientia.

14. Advertendum poſtremò, quòd in qualibet expoſitione Sanctiſsimi Sacramenti ſive in Pyxide, ſive in Oſtenſorio, & repoſitione ejuſdem, ſemper incenſandum eſt cum debitis genuflexionibus, inclinationibus, & adorationibus, ut ſupra.

CAPUT XII.

De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti Feria quinta in Cœna Domini.

1. Celebrans, completa Miſſa, ab Altari deſcendens cum Miniſtris genibus flexis profundè adorat in plano, & retrahens ſe extra cornu Epiſtolæ deponit Caſulam, & Manipulum, quem etiam deponunt Diaconus, & Subdiaconus, & Pluviali albo induitur; ibique ſtans ſemiverſus ad latus Evangelii, miniſtrante Diacono Naviculam, ac Subdiacono fimbriam Pluvialis elevante, immittit incenſum in duobus Thuribulis, ſine benedictione, & ſine oſculis, ut pluries dictum fuit, & deinde in medio gradus infimi genuflexus, cum altero ter Sacramentum incenſat modo

D do

do ſuperius præſcripto, facta ſcilicet ante, & poſt profunda ſimul cum Miniſtris inclinatione.

2. Poſt incenſationem Subdiaconus Velum album oblongum a Cæremoniario, vel ab Acolytho porrectum humeris Celebrantis aptat; interim verò Diaconus cum debitis reverentiis ad Altare aſcendens accipit Calicem cum Hoſtia, & Celebranti genuflexo, ut ſupra, porrigit; ita ut ipſe Celebrans ſiniſtra nodum teneat, & dexteram ſuperponat Calici, quam Diaconus tegit extremitatibus veli pendentis ab humeris; & ſtatim accepto Sacramento ſurgit, ac Diaconus tunc reverenter genuflectit, & Sacramentum adorat.

3. Mox Celebrans ſtans in medio Altaris, & Calicem ambabus manibus ante oculos elevatum tenens, ad Populum ſe convertit, Miniſtris, ut ſupra, Pluvialis fimbrias hinc inde elevatas tenentibus, & interim a Cantoribus inchoatur Hymnus *Pange lingua glorioſi....* & tunc præcedente alio Subdiacono parato Alba & Tunicella ſine Manipulo, cum Proceſſionali Cruce velo violaceo cooperta medio inter Ceroferarios, procedunt omnes cum Intortitiis albis, ſeu Cereis accenſis bini, & bini, primò juniores, deinde per ordinem ſeniores, ultimus omnium Celebrans medius inter Miniſtros, duobus Acolythis continuò Sanctiſſimum Sacramentum, modo ſupra præſcripto, incenſantibus.

4. Prælati habent locum poſt Celebrantem, ſi adfuerint, cum Intortitiis pariter accenſis, primò digniores, deinde minus digni: ſimiliter haſtas Baldachini, quæ ſunt anteriores in facie Celebrantis, Nobiliores geſtant. Convenit tamen, ut hodie, & ſequenti die haſtæ prædictæ a Sacerdotibus Pluviali, vel ſaltem Superpelliceo indutis deferantur.

5. Cùm perventum fuerit ad locum præparatum, Subdiaconus deferens Crucem prope Sacellum a latere Evan-

Evangelii ſe ſiſtit; reliqui verò hinc inde manent, hoc ordine ſervato, nimirum ut juniores prope Crucem, ſeniores autem Sacello proximiores ſint. Celebrans cùm ad Sacellum devenerit, ſubſiſtit ante gradus, omnibus interim, exceptis deferente Crucem cum Ceroferariis, genuflexis, Choro cantante Hymnum *Pange lingua*... uſque ad Stropham *Tantum ergo*.... excluſivè. Quòd ſi fuerit jam completus, Strophæ præcedentes repetentur. Baldachinum ad Oſtium Sacelli dimittitur, & aſportatur in Sacrarium, vel ad latus ejuſdem Sacelli, ſed extra, collocatur.

6. Diaconus Sacramentum de manu Celebrantis cum debitis reverentiis accipit, & expectat, donec Celebrans reverenter ante ipſum genuflectat, tum Calicem in Arcula reponit, nec Oſtiolum claudit, ſed adorato Sacramento, ad Celebrantem revertitur. Interim Subdiaconus amovet Velum ab humeris Celebrantis, deinde a ſiniſtris ejuſdem genuflexus ſiſtit.

7. Poſito Sacramento in Arcula, Diaconus a dextris Celebrantis genuflexus manet; tunc Cantores inchoant Stropham *Tantum ergo*.... & poſt ſecundum verſum aſſurgit cum Miniſtris Celebrans, qui ſine oculis, & benedictione thus imponit a Diacono porrectum, Thuriferario genuflexo Thuribulum tenente, & Subdiacono ſtante, & dexteram Pluvialis fimbriam elevante. Celebrans inde genuflexus cum Miniſtris Sacramentum thurificat; eoque incenſato, Diaconus Arculam claudit, & Clavis ſervanda traditur in craſtinum Celebraturo, vel Cæremoniarum Magiſtro; nullibi verò Laicis viris, quantumvis Nobilibus præbeatur.

8. Poſtquam aliquantulum oraverint, Celebrante ſurgente, reliqui quoque conſurgunt, & in Chorum recta via procedentes, præcedunt Thuriferarii, poſt eos ſequitur deferens Crucem medius inter Ceroferarios, deinde reliqui bini per ordinem, extinctis Cereis.

Digitized by Google

9. Si in Altari remanſerint Hoſtiæ conſecratæ pro Communicandis, per Deputatum ad Communionem, vel per Sacriſtam, præcedentibus Acolythis cum Intortitiis accenſis, in aliquo Sacello, vel loco remoto prope Sacrarium cum luminibus, & Clavibus reſeratæ decenter cuſtodiri debent pro communicandis Infirmis. In Altari verò, ubi ſolet Sanctiſſimum Sacramentum aſſervari, Ciborii Oſtiolum ſit apertum, quod erit ſemper obſervandum quandocumque in ipſo Ciborio Hoſtia conſecrata non aſſervatur. Acolythi tandem, qui Miſſæ ſolemni inſervierunt, Miſſalia, Calicem, & reliqua omnia in Sacrario reportant. Ciborium verò, denudatis Altaribus, diſcooperietur, Oſtiolo ipſius aperto, & Cruce remanente Velo violaceo tecta.

CAPUT XIII.

De Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti Feria ſexta in Paraſceve.

1. DUm ſit adoratio Crucis, luminaria in Sacello, ubi repoſitum pridie fuerat Sacramentum, & alia ita diſponuntur, ut commodè poſſit locus adiri, & ſublato quocumque impedimento, Calix inde reportari; & ibidem præparandum quoque eſt Velum album oblongum pro Celebrante, & Baldachinum, Navicula cum Thure, & alia neceſſaria.

2. In Sacrario alius Subdiaconus, qui Crucem diſcoopertam deferat, Amictu paretur, Alba, Cingulo, & Planeta plicata nigri coloris; & Ceroferarii cum Candelabris, & Cereis accenſis cum Cruce procedunt, duobus Acolythis cum Thuribulis præcedentibus Subdiaconum ſine incenſo per viam breviorem.

3. In Altari pariter accendendi erunt ſex Cerei ex cera

cera communi, non alba. Diaconus adhuc indutus Stola latiori nigri coloris, præcedente Cæremoniario, accipiens ex credentia Burſam Corporalium cum Purificatorio elevatam ante oculos defert ad Altare, ibique cum debitis reverentiis Corporale in medio expandit, Burſam a latere Evangelii, Purificatorium a latere Epiſtolæ prope Corporale reponens. Interim Acolythus Librum cum Pulvino a latere Epiſtolæ ad latus Evangelii transfert, quem Diaconus volvit, & ſignacula diſponit; & tandem, completa adoratione, accedens ad Crucem, ipſam cum genuflexione utraque manu acceptam in medio Altaris reverenter reponit, ac denique ad Celebrantem redit, & Acolythi removent Tapetum cum Pulvino, ac Velo.

4. Pro Proceſſione diſtribuuntur Intortitia ceræ albæ accendenda in Sacello Sacramenti. Celebrans incedit cum Caſula nigri coloris, Subdiaconus cum Planeta plicata nigra, & Diaconus cum Stola latiori itidem nigra. More ſolito præcedunt Thuriferarii cum Thuribulis, & prunis accenſis ſine Incenſo in eis poſito, Subdiaconus cum Cruce inter Ceroferarios cum candelis ardentibus, Religioſi omnes capitibus detectis, poſtea Subdiaconus, Diaconus, & tandem Celebrans, hi tres cooperto capite. Omnes in diſceſſu ab Altari, genuflectunt Cruci in medio Presbyterii, & ubi perventum fuerit ad Sacellum Sacramenti, caput detegunt, & ſuis in locis genuaflectentes, accendunt Intortitia, quæ non extinguuntur niſi poſt ſumptionem Sacramenti.

5. Singuli locum occupant, prout dictum eſt in *Capite ſuperiori num. 5.* ſed primò flexis genibus profundè Sacramentum adorant ante medium Sacelli, prout facit Sacerdos cum Miniſtris, qui deinde genuflectens in ultimo gradu, orat aliquantulum. Diaconus interim, accepta Clave a Cæremoniarum Magiſtro, aperit Capſulam cum debitis reverentiis, & inde redit ad Celebrantem.

6. Iſte

6. Iſte aſſurgens, abſque benedictione imponit Incenſum in duobus Thuribulis, Diacono ſine oſculis Naviculam miniſtrante, & genuflexus incenſat Sacramentum triplici ductu, facta profunda inclinatione ante, & poſt etiam a Miniſtris. Deinde extenditur Velum album ſuper illius humeros; tum Diaconus aſcendens, facta genuflexione, extrahit e Capſula Calicem coopertum, quem defert ad Sacerdotem genuflexum, qui medius inter Miniſtros aſcendit in Suppedaneum Altaris, & verſa facie ad Populum conſiſtit cum Sacramento uſque ad oculos reverenter elevato. Tunc Cantores cantant Hymnum *Vexilla Regis prodeunt* .., & præcedentibus omnibus ordine, quo venerant, exceptis Thuriferariis, qui prope Baldachinum a Sacerdotibus Cotta indutis delatum, continuè Sacramentum incenſant, redeunt ad Altare majus, ante cujus infimum gradum Celebrans ſtans Diacono genuflexo conſignat Calicem, quem ſuper Altare in medio Corporalis collocat, & Vittam ſericam, cum qua Velum ligatur, ſolvit, ipſumque Velum aptè extendit; Vittam verò ſericam Cæremoniarius, vel Acolythus accipit, & ſervat.

7. In reditu Proceſſionis non genuflectitur Cruci in Altare majori collocatæ, quia in Proceſſione inſerviunt Sacramento.

8. Diaconus ſtatim ac poſuerit Calicem in Altare, quo tempore Celebrans Velum humerale deponit, miniſtrat Incenſum; quo in Thuribulum immiſſo, flexis genibus Sacramentum Celebrans thurificat, deinde reliqua proſequitur, prout in Officio hujus diei.

Finis Primæ Partis.

CÆ-

Digitized by Google

CÆREMONIALIS

PARS SECUNDA

De iis, quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ privatum, & ſolemne.

CAPUT I.

De modo legendi Miſſam privatam.

1. DE Præparatione ad Miſſam privatam ſatis ea ſunt, quæ in Miſſali habentur. Legens autem Miſſam Sacerdos, clara, & intelligibili voce, expeditè, atque diſtinctè ad puncta morulam aliquam, brevem tamen, interponat, non nimis tardè, nec celeri curſu, ſed mediocritatem in omnibus ſervet, voce quidem, nec omnino depreſſa, neque admodum elevata, vel clamoroſa, omnem prorſus affectationem evitando, nec minimum quidem præſcriptis regulis addendo, vel demendo

2. Clara voce dicuntur in Miſſa privata *Antiphona*, & *Pſalmus* ad Introitum, *Confeſſio*, & quæ ſequuntur, excepta Oratione *Aufer a nobis* ..., & *Oramus te Domine* .... quæ ſecretò dici debent; dicuntur poſtmodum clara voce *Introitus*, *Kyrie eleiſon* .., *Gloria in Excelſis*.., *Dominus vobiſcum*, Oremus. *Flectamus genua*, *Levate*, Oratio, *vel* Orationes, Prophetiæ, Epiſtola, Graduale, Verſus, Tractus, Sequentia, Evangelium, Credo, Offertorium,

Digitized by Google

torium, Præfatio; *Per omnia ſæcula ſæculorum ..*, *Pater noſter...*, *Per omnia ſæculorum ..*, *Pax Domini... Agnus Dei..* Communio, Oratio, *vel* Orationes poſt communionem, & in feriis Quadrageſimæ, *Humiliate capita veſtra Deo. Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*, ſeu *Requieſcant in pace*. Benedictio, & Evangelium, *In principio...* vel aliud Evangelium.

3. In iis, quæ clara voce dicuntur, obſervare oportet, cùm plures in anguſtiori Eccleſia Sacerdotes proximo loco celebrant, ut vocem ita moderari ſtudeant, ne invicem turbentur; maximè verò decet, ut in hoc inferior ſuperiori cedens, humiliori tono legenda modificet.

4. Mediocri voce dicitur finis Præfationis, videlicet, *Sanctus ...*, uno tantùm tono deprimendo vocem.

5. Aliquantulum elevata voce dicuntur inter ſecreta aliquæ particulæ, ut ſunt, *Orate Fratres. Nobis quoque peccatoribus. Domine*, *non ſum dignus*, quæ tantum verba, clara voce dici debent; reliqua verò quæ ſequuntur, ſecretò proſequi oportet.

6. Quæ verò reliquæ ſunt privatæ Miſſæ Cæremoniæ, ac Ritus, cùm ſatis illud videatur eſſe, quod in Miſſali præſcriptum fuit, aliquæ tantùm circa eam obſervationes magis præcipuæ videntur addendæ.

CAPUT II.

De quibuſdam obſervationibus in Miſſa privata.

1. UBi dicitur, quòd ſignet ſe Sacerdos a fronte ad pectus, hoc debet intelligi, ut ab humero ſiniſtro ad dexterum, manum digitis junctis ad ſe converſam extendat, ſiniſtra infra pectus retenta.

2. Ca-

2. Caput inclinare verſùs Crucem, eſt caput tantùm, non autem perſonam ad Crucem convertere.

3. Altare ad Orientem eſt, in quo Celebrans habet Crucem, & Populum ante faciem ſuam.

4. Ad Orationes, quas dicit Celebrans Pluviali indutus, non disjunguntur, neque extenduntur manus.

5. In Miſſa, quæ coram pluribus Epiſcopis celebratur, nulli dabitur oſculandus liber Evangeliorum.

6. Quando ſignatur liber Evangeliorum, ſiniſtram manum ſuper Miſſale teneat Celebrans; mox ſignando ſe, eamdem infra pectus teneat, ſtatim manus jungendo, ſed ad *Dominus ſit in corde meo ..*, quando dici debet, non ſe ſignat.

7. Velum Calicis ad Offertorium plicari poteſt a Miniſtro, & prope Tabellam ſecretarum a parte Calicis extra Corporale deponi.

8. In elevatione Calicis ad Offertorium advertatur, ne cuppa Calicis excedat oculos, neve ſit infra eos: Neque Sacerdos ipſum, aut ejus pedem fronte tangat, aut in ejuſdem elevatione poſt conſecrationem oſculetur, ſed per rectam lineam intra Altare ſuper Corporale elevabit, & deponet.

9. In faciendis Crucibus ſuper Oblata, duæ lineæ formentur æquales, non autem quatuor puncta; lineæ verò non excedant menſuram palmi communis manus; & pars tranſverſa Crucis fiat manu recta.

10. Manutergium, ſeu ſudariolum ad *Lavabo* aliquantulum ab Altari a Miniſtro elevetur, ut a Sacerdote commodius capi poſſit.

11. Quando recitatur *Confiteor* ſemper nomen Sancti P. Franciſci adjungitur poſt nomina Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ex privilegio Summi Pontificis Benedicti XIII. anno 1724.

12. In Canone Miſſæ, & benedictione Cerei nomen

men Antiſtitis eſt nomen tantùm Epiſcopi Ordinarii loci, ubi Miſſa celebratur, non alterius cujuslibet.

13. Ad *Hanc igitur oblationem*.. palmæ ita debent eſſe apertæ, ut Pollicem dexterum ſuper ſiniſtro teneat Sacerdos in modum Crucis poſitum.

14. Hoſtiam ſacram, ut adoretur, non diu elevatam teneat Sacerdos; Et dum conſecratur, caveat, ne ita in ſuis manibus elevetur, ut videatur: ſimili modo & Calicem.

15. Miniſter partem illam poſteriorem Planetæ, & inferiorem, quam manu ſiniſtra ad elevationem Hoſtiæ, & Calicis elevabit, nec eam elevando, nec deponendo, oſculetur.

16. Hoſtia ſacra in ſacrificio Miſſæ nunquam Palla tegatur.

17. Manus junctæ poſt conſecrationem ſuper Altare, intelliguntur, junctis inter ſe Pollicibus, & Indicibus invicem, & parvis digitis frontem Altaris tangentibus.

18. Ad *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum N. & N.* pauſa fit poſt verba, *in ſomno pacis*.

19. Ad *Oremus* tantùm ante *Pater noſter*, caput inclinatur, quod ſtatim erigitur.

20. Poſt conſecrationem, pectoris tunſio fit cum tribus tantùm digitis inferioribus, & ultimis.

21. Fractionem Hoſtiæ incipit Sacerdos a ſuperiori parte; Particula autem, quæ immittitur in Calicem, præcidi debet ex imo ejuſdem Hoſtiæ.

22. Signans ſe Sacerdos cum Calice Sanguinem ſumturus, dextera tantùm manu ipſum moveat, ſiniſtra Patenam tenens, quam non ſupponit Calici, niſi tunc quando ſanguinem ſumit.

23. Sumendo ſanguinem, unico tantùm hauſtu ſumet,

met, quin ab ore Calicem amoveat. Quòd ſi particula in Calice remanſerit, vel illam ad labium Calicis digito Indice adducat, & ſumat, vel infundat vinum, & ſumat.

24. Miniſter non extinguat Cereum pro elevatione accenſum, niſi poſt ſumtionem Sanguinis. Sacerdos autem ſemper vino, & aqua ſimul utetur ad abluendos digitos ſuper Calicem, & ſumat in medio ſtans Altaris.

25. Velo ſicut totum Calicem in principio Celebrans obtegit; ita in fine illum etiam in anteriori parte totum, ne amplius videatur, cooperiet.

26. Dicturus in fine Miſſæ Evangelium ſignans primùm Pollice dextero in forma Crucis Altare, vel librum in principio Evangelii, deinde frontem, os, & pectus, dicit *Initium*, vel *Sequentia*. Si verò fuerit expoſitum Sacramentum, non ſignat Altare, ſed librum, ſeu Tabellam, & inde ſe ipſum.

27. Sudariolum, ſive manutergium, aut quidquam aliud ſuper Burſam non apponatur.

28. Si Celebrans ſit habiturus Concionem ad Populum, vel ab Altaris latere cum paramentis ſedere, vel depoſita Caſula, & Manipulo in Pulpito, lecto primo Evangelio, concionari poterit.

29. Quando dicit Rubrica, *caput inclinet*, tunc inclinatur tantùm caput; cùm dicit *inclinet*, inclinantur etiam humeri; cùm dicit, *inclinat profundè*, toto corpore inflexo inclinatur.

30. Patenam cùm extergit a fragmentis ſuper Calicem ante ſumptionem Sanguinis, non eam ſuper dictum Calicem invertat.

31. In Oratione, *A cunctis*... littera N. nomen deſignat, & exigit Patroni, ſeu Titularis Eccleſiæ, ubi celebratur.

32. In tertia Oratione ad libitum, cavere debet Celebrans ne coram Prælato, ſeu Principe dicat Orationem pro ſe ipſo Sacerdote.

33. In Miſſa votiva de Patrono, vel Titulari, ſi dicenda ſit Oratio, *A cunctis*, in littera N. vice illius nominari poterit alius Sanctus pro devotione. In qua Oratione nomina Sancti Michaelis, Sancti Joannis Baptiſtæ, & Sancti Joſephi præponi debent Apoſtolis.

34. In Feſtis primæ Claſſis excluditur quælibet alia Oratio, ſeu Commemoratio etiam ob publicam causam ordinata.

35. In Miſſis votivis ſolemnibus infra octavam Nativitatis Domini, Præfatio & *Communicantes* dicuntur de Nativitate.

36. In Miſſis votivis ſolemnibus, etiam pro re gravi, Præfationem propriam habentibus, quæ celebrantur infra Octavas Epiphaniæ, Paſchæ, & Pentecoſtes; atque etiam in privatis infra Octavam Aſcenſionis occurrentibus, Præfatio dicitur propria, *Communicantes* verò de eadem reſpective Octava currente.

CAPUT III.

De manuum conjunctione, extenſione, elevatione, & converſione ad populum.

1. CUM Celebrans jungit manus, ita junctas tenet, ut cum illis non tangat Planetam, quantùm fieri commodè poteſt; digiti verò ſemper ſint extenſi, & erecti in altum, & juncti Pollice dextero ſuper ſiniſtrum poſito, quod ſemper ſervari debet, niſi poſt conſecrationem uſque ad communionem incluſivè; quia tunc Pollices Sacerdos non disjungit ab Indicibus, niſi quando Hoſtiam Sacram contrectat.

2. In

2. In Miſſa junctas manus Celebrans tenet ante pectus ab initio uſque ad Introitum, niſi ſe ſignet, aut percutiat pectus, aut extendat eas dicens *Oremus*, aut ponat eaſdem ſuper Altare ad *Oramus te*, *Domine*. Ad Introitum eas pariter ſic tenet uſque ad ultimum *Kyrie*. Dum autem dicit *Gloria in excelſis*, eas disjungit, & elevat, & cum dicit *Deo* jungit.

3. Quoties versùs Populum dicit *Dominus vobiſcum*, extendit, elevat, & jungit manus. Dum dicit *Oremus*, eas disjungit, extendit, & jungit, caput versùs Crucem inclinans. Incipiens Orationem, eas iterum extendit; in fine verò eas jungens dicit *Per Dominum noſtrum*..... vel *Per eumdem*..., & junctas tenet uſque ad finem. In aliis verò Concluſionibus manus jungit, quando dicit *in unitate*....

4. Ad Evangelium eas junctas tenet, niſi ſe ſignet, aut genuflectat. Item ad Symbolum dicens *Credo* manus disjungit dicens; *in unum* elevat, & jungit, eaſque junctas ſic tenet ante pectus, niſi genuflectat, & in fine ſe ſignat. Item dicens *Veni ſanctificator* manus expandit, eaſque in altum porrectas jungit, elevatis quoque oculis ad Cœlum, ac ſtatim demiſſis dicit *omnipotens æterne Deus*. Dicit *Orate Fratres* versùs Populum, ſicuti *Dominus vobiſcum*, extendens, elevans, & jungens manus. Item dum dicit *Gratias agamus* elevat, & jungit manus. Item dum incipit *Te igitur* ſtatim, & non prius disjungit manus, eas, atque oculos elevat, & jungit, ſuper Altare ponit, & profundè ſe inclinat.

5. Benedicturus populum dicens *Benedicat vos*, elevat oculos, & extenſas manus, quas ſtatim jungit, Cruci caput inclinando.

6. Cùm Celebrans oſculatur Altare, manus ſemper extenſas tenet ſuper illud: poſt conſecrationem vero intra Corporale.

CAPUT IV.

De Inclinationibus.

1. NOn ſemper uno, & eodem modo inclinandum eſſe patet ex *Rubr. Miſſal.*, quia aliquando tantùm caput, aliquando càput, & humeros aliquantulum, aliquando etiam caput cum humeris profundè inclinandum eſt.

2. Inclinat ergo Celebrans caput ſemper, dum profert verſum *Gloria Patri ... Oremus*. Nomina *Jeſu*; *& Mariæ*; item Sanctorum, de quibus fit Officium, & etiam cùm nominatur *Papa*. Profundius tamen inclinandum eſt ad nomen *Jeſu*, quàm ad alia nomina; ſicut etiam ad nomen *Mariæ*, & quando ſtat in cornu Epiſtolæ, inclinat ſe versùs Crucem, ſi verò in cornu Evangelii versùs librum.

3. Item inclinat caput ad Hymnum Angelicum, dum dicto *Gloria in excelſis* dicit *Deo*. *Adoramus te*. *Gratias agimus tibi*. *Jeſu Chriſte*. *Suſcipe deprecationem noſtram*. Item ad Symbolum dicens *in unum Deum*. & *ſimul adoratur*. Ad Præfationem dum dicit *Deo noſtro*. In Canone ſtat dimiſſo aliquantulum capite, toto tempore, quo facit commemorationem vivorum, & mortuorum. Item inclinat caput, quoties dicit *tibi gratias agens*. *Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum* ante *Nobis quoque peccatoribus*. Item dicens *Benedicat vos Omnipotens Deus*.

4. Caput autem, & humeros inclinat Celebrans, ideſt aliquantulum, quando in *Rubricis* ponitur, aliquantulum ſe inclinat. Hoc fit, cùm dicit *Deus tu converſus*, uſque ad *Aufer a nobis* excluſivè. *Oramus te Domine*, *In ſpiritu humilitatis*, *Suſcipe Sancta Trinitas*, *Sanctus*, uſque

uſque *ad Benedictus qui venit* excluſivè. Item ad utramque conſecrationem. Ad *Agnus Dei*, & tres ſequentes Orationes ante Communionem. Ad *Domine, non ſum dignus*. Et tandem ad *Placeat tibi Sancta Trinitas*.

5. Profundè ſe inclinat Imagini principali, quæ eſt in Sacriſtia, dum de ea exit, & in fine Miſſæ, dum ad eam redit, tecto capite, ſi defert Calicem, aliàs nudo. Item in plano ante Altare Cruci deſuper poſitæ, dummodo non adſit Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo. Item quando Calice aptato in medio Altaris, vadit ad cornu Epiſtolæ, ut adaptet Miſſale. Item antequam deſcendat de medio Altaris in planum Cappellæ, ut Miſſam incipiat. Item in plano antequam incipiat, & ſe ſignet. Item dum dicit *Confiteor* ..., *Munda cor meum* ..., *Jube Domine benedicere* ..., *Dominus ſit*. *Te igitur*. Item dum dicit *Supplices te rogamus*. Item ſive privatim, ſive ſolemniter celebret accedens ad medium Altaris, & recedens a medio facit reverentiam Cruci, non tamen profundam.

CAPUT V.

De Ordine genuflectendi, & ſtandi in Miſſa privata.

Rubr. gener. Miſſal. XVII. 1.

IN *Miſſa privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium Sancti Joannis* In principio, *ad illa verba*, Et verbum Caro factum eſt; *& in Evangelio Epiphaniæ* Cùm natus eſſet Jeſus, *ad verba illa* & procidentes adoraverunt eum. *Item in Evangelio Feriæ IV. poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ, ad illa verba in fine*, Et procidens adoravit eum. *Item genuflectit Dominica Palmarum, & in Miſſis de Cruce ad illa verba*

ba in Epiſtola, In nomine Jeſu omne genuflectatur..., *& quando legitur Paſſio*, *ad illa verba*, expiravit, *vel* emiſit ſpiritum, *ut ſuis locis notatur*. *Item genuflectit cùm dicit*, Flectamus genua. *Item quando in Quadrageſima dicit in Tractu* ℣. Adjuva nos Deus.... *& in omnibus Miſſis de Spiritu Sancto*, *cùm dicit* ℣. Veni Sancte Spiritus, reple.... *Item*, *& quando Sacramentum in Altari diſcoopertum apparet*, *genuflectit quoties ante illud tranſit in medio Altaris*: *& quandocumque in Ordine Miſſæ*, *& in Ritu ſervando in celebratione Miſſæ notatur*, *quòd debeat genuflectere*.

1. *Genuflectitur ad verba* Et Incarnatus eſt, *uſque ad*, Et homo factus eſt *incluſivè*.

2. *Circumſtantes autem in Miſſis privatis ſemper genua flectunt*, *etiam tempore Paſchali*, *præterquam dum legitur Evangelium*.

1. IN Miſſis privatis Celebrans, ut faciliùs ſurgat, unico flectit genu.

2. Ubi *Rubrica* dicit, quòd genuflectatur, erit genuflectendum, etiam ſi fuerit tempus Paſchale, vel dies Dominicus; nam adorationes cum genuflexione non ſunt eo tempore prohibitæ. Vetitum tamen eſt tunc temporis genuflectere in Orationibus, ſeu Collectis, quæ dicuntur in Miſſa.

CAPUT VI.

De ordine genuflectendi, *ſedendi*, *& ſtandi in Miſſa ſolemni*.

Rubr. Miſſal. XVII. 3.

IN *Miſſa ſolemni Celebrans genuflectit ad omnia ſupradicta*, *præterquam ad* Flectamus genua, *& tunc ipſo*

ipſe ſolus ſtat, Diaconus verò, & Subdiaconus, & omnes alii genufle&tunt. Ad ℣. *verò*, Adjuva nos Deus..., *& ad* ℣. Veni Sancte Spiritus.... *genufle&tit uſque ad finem. Item genufle&tit in die Annuntiationis B. Mariæ, & in tribus Miſſis Nativitatis Domini, quando cantatur in Choro* Et incarnatus eſt.... *Aliis diebus, ſi ſedeat, cùm cantantur ea verba, non genufle&tit, ſed caput tantùm profundè inclinat, apertum, & ſi non ſedet, genufle&tit.*

4. *Miniſtri ſemper genufle&tunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, & Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genufle&tunt. Et cùm Diaconus cantat illa verba, ad quæ eſt genufle&tendum, ipſe versùs librum, Celebrans, & omnes alii versùs Altare genufle&tunt.*

5. *In Choro genufle&titur ab iis, qui non ſunt Prælati, ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo. In Miſſis autem Feriarum Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, ac in Miſſis Defun&torum, genufle&tunt omnes etiam ad Orationes, & di&to per Celebrantem* Sanctus, *uſque ad* Pax Domini, *& ad* Orationes poſt Communionem, & ſuper populum, *excepta Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ac Nativitatis Domini, & Quatuor Temporum Pentecoſtes. Et ſimiliter ab omnibus genufle&titur, quando elevatur Sacramentum.*

6. *In Miſſa item ſolemni Celebrans medius inter Diaconum, & Subdiaconum ſedere poteſt a cornu Epiſtolæ juxta Altare cùm cantatur* Kyrie eleiſon, Gloria in excelſis, & Credo: *alio tempore ſtat ad Altare, vel genufle&tit, ut ſupra.*

7. *In Choro non ſedent, qui a&tu cantant, reliqui autem poſſunt ſedere, quando Celebrans ſedet*, & *præterea dum cantantur* Epiſtola, & Prophetiæ, Gra-

 dua-

duale, Tractus, *vel* Alleluja, *cum* Verſu, *ac* Sequentia, *&* *ab* Offertorio, *uſque ad incenſationem Chori*, *&* *ſi non incenſatur*, *uſque ad* Præfationem, *&* *ad* Antiphonam, *quæ dicitur* Communio. *Ad alia ſtant*, *vel genuflectunt*, *ut ſupra*.

1. IN Miſſa ſolemni ad ea omnia Celebrans unico genu debet flectere, quæ ſunt communia Miſſæ privatæ, duobus autem genibus in Miſſa ſolemni flectere debet ad prædicta, quæ a Choro cantantur, & regulariter, quando cum aliqua morula in prædictis eſt genuflectendum, & quaſi orandum.

2. Miniſtri verò intra Miſſam eadem ſervare debent, quæ facit Celebrans, ut expeditius illi miniſtrent. Ad *Flectamus genua* genuflectant ambobus genibus.

3. Subdiaconus, dum tenet Patenam, non genuflectit cum Celebrante; genua flectit tamen ad elevationem Sacramenti ſuper infimo Altaris gradu.

4. Alii Fratres de Choro debent genuflectere ambobus genibus a conſecratione uſque ad communionem incluſivè, tranſeuntes ante Altare, & item quando expoſitum ſit Sacramentum in Altari. Item ad *Flectamus genua*, ad Confeſſionem, ad Orationes tempore Jejuniorum, Verſus, &c. de quibus in *Rubricis*, quando cum aliqua mora genuflexio ratione cantus, vel longioris actionis præſcribitur.

5. Sed notandum eſt, quòd facta genuflexione, ubi facienda ſit, non amplius fiat alia reverentia, aut inclinatio humerorum, vel capitis, quod obſervandum eſt in quacumque ſimili genuflexione: Quando autem facienda erit genuflexio cum utroque genu, etiam fiet cum inclinatione.

6. Cantores ad Introitum, quando illum cantant,

tant, non genuflectunt ad Confeſſionem, quia ſtare debent ad Lectorile. Sedetur autem, ut in *Rubrica Miſſalis*, quando Celebrans ſedet, ad *Kyrie*, *Gloria*, & *Credo*, videlicet, ſi hæc cantentur a Muſicis, non autem a Fratribus in cantu Gregoriano, & tunc duo Cantores, ſi cum Organo cantetur a Muſicis, hæc eadem legant in Choro ſubmiſſa, & intelligibili voce, ut de *Credo* dictum fuit. Celebrans autem ad iſta regulariter ſemper ſedeat, niſi expoſitum fuerit Sacramentum, quo tempore, ſi cantus in longum protrahatur, ſedere permittitur, ſed capite prorſus nudo.

7. Quod ſi a Muſicis in Choro cantetur, & non ad Organum extra Chorum, tunc Fratres ea dicant inter ſe bini, & bini, quod pari modo, & de *Credo* facient, deinde ſedeant. Muſici verò poſt ℣. *Et incarnatus eſt*... debent & ipſi, ſi commodè fieri poteſt, genuflectere. Sedetur præterea ad alia, quæ in *Rubrica Miſſalis* notantur, videlicet, ſi a Muſicis, ut ſupra cantentur, vel, ſi iſta eſſent ita communia, ut facilè, & æquè benè memoriter cantari poſſent, vel Lectorile ita eſſet vicinum cum libro, ut ex eo ſimiliter abſque ullo errore ab omnibus canerentur.

8. Poteſt Celebrans cum Miniſtris ſedere etiam, dum cantatur Graduale, ſi detur tempus, & ſemper ſedeant capite cooperto. Acolythi verò quando ſedet Celebrans, ſedeant & ipſi ſuper Altaris gradu in cornu Epiſtolæ facie verſa ad Celebrantem, non ad Populum.

9. Antiphona, quæ dicitur *Communio*, cantanda eſt, ſumto Domini Sanguine, quò tunc omnes ſedent. At ſi Populus communicetur, ob reverentiam Sacramenti ſtandum eſt, etiam ſi fortè cantaretur *Communio*.

10. Ad alia, *inquit Rubrica*, ſtant, vel genu-

 fle-

flectunt ut ſupra: Quæ ſunt, Introitus, & Orationes, ſeu Collectæ, exceptis diebus jejuniorum, quibus genuflectitur. Standum quoque eſt, dum cantatur Præfatio; nam genuflectitur ad initium Canonis. Item ſtandum eſt poſt elevationem Calicis. Unde regula eſt, quòd poſt elevationem Sacramenti non eſt ſedendum, niſi dum cantatur Communio.

11. Standum quoque erit uſque ad finem Miſſæ, excepto tempore Benedictionis, quæ flexis genibus recipi debet.

CAPUT VII.

De præparandis in Miſſa ſolemni, & ingreſſu Sacerdotis cum Miniſtris ad Altare.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. II. 5.

IN Miſſa ſolemni Miſſale apertum ſuper Altare, Calix verò, & alia neceſſaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipſe autem procedit cum Diacono, & Subdiacono, qui capite cooperto ſimul cum eo tenent manus junctas ante pectus; Acolythi verò ante eos deferunt Candelabra cum Candelis accenſis, quæ deinde collocantur ſuper Credentia: & cùm pervenerit ad infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris, antequam aſcendat ad Altare, facit cum ipſis, ut infra, Confeſſionem.

De

De Hora celebrandi Miſſam.

Rubr. gener. Miſſal. XV. 2.

Miſſa autem Conventualis & ſolemnis, ſequenti ordine dici debet. In feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus, in Dominicis, & infra Octavas, dicta in Choro Hora Tertia. In feſtis Simplicibus, & Feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecoſtes, & Vigiliis quæ jejunantur, quamvis ſint dies ſolemnes, Miſſa de Tempore debet cantari poſt Nonam.

1. Ex ſuperioribus Rubricis novimus jam tempus, & Horam, qua celebranda ſit Miſſa ſolemnis: ſtatuendus nunc ſupereſt ordo, & ritus celebrationis tam reſpectu rerum, quæ illius dignitati conducunt, quàm Sacerdotis, & Miniſtrorum, qui in ea operari tenentur. Sacriſta igitur opportunè præparatis in Sacrario ſacris Veſtibus, Candelabris pro duobus Ceroferariis, & Thuribulo cum Navicula incenſi pro Thuriferario, deferri curabit ab Acolytho ad Credentiam a parte Epiſtolæ apud Altare ſitam, & deſuper linteo coopertam ad Sacrificium neceſſaria; Credentia autem erit demiſſa, ac ſimplex ſine gradibus, ſine Imaginibus, & ſine Cruce, neque in ea quidquam aliud ponetur præter ea, quæ inferius numerantur.

2. Si fuerit dies Dominicus, apponetur Vas aquæ benedictæ cum Aſperſorio ad aſpergendum Populum. Ex more autem in Dominicis, cæteriſque feſtis diebus, Acolythus Cotta indutus ponet ſuper Altare in cornu Epiſtolæ Miſſale cum ſerico integumento apertum ſupra pulvinar, vel aptius ſupra Credentiam, ab eo de-

ſe-

Digitized by Google

ferendum ad Altare peracta prima thurificatione . In Credentiæ medio collocabit Calicem cum Purificatorio, Patena, Hoſtia, Palla, Velo, & Burſa coloris paramentorum. Velum autem a parte anteriori aptè defluat , & Burſæ pars aperta, intra quam erit Corporale, reſpiciat parietem. Poſt Calicem, ſi facienda ſit Communio, erit Pyxis cum Particulis . In dextero latere versùs Altare erit Miſſale pro Miniſtris , in ſiniſtro autem ponentur Ampullæ, Pelvicula , & Manutergium; ante Calicem Velum oblongum plicatum pro Subdiacono , & in lateribus Credentiæ relinquetur locus pro Candelabris Ceroferariorum.

3. In Choro præter ferreum foculum cum igne, & forcipe, erunt Intortitia pro Elevatione.

4. Cùm dato Campanarum ſigno ad Sacriſtiam convenerint, & Tertia, vel alia Hora juxta temporum exigentiam perſolvitur in Choro, Diaconus, & Subdianus lotis manibus ſacras Veſtes ſumunt, quibus ab Acolythis ſuperpelliceatis induuntur; & inde Diaconus, & Subdiaconus veſtiunt Celebrantem , qui , ſi fuerit dies Dominicus, induet Pluviale; Manipulus verò, & Caſula tunc erunt apud Altare in ſcamno.

5. Finita Hora in Choro , Celebrans imponet thus in Thuribulo cum oſculis, & benedictione , poſtea medius inter Diaconum, & Subdiaconum aperto capite profundam reverentiam faciet ſacræ Imagini, & hoc ordine ad Altare procedet.

6. Omnes antecedet Thuriferarius portans Thuribulum dextera manu , illud tenens per manubrium, ſive in annulum majorem Pollice immiſſo, ſimulque cooperculi, ſeu catenæ mediæ annulum digito annulari ſuſtentans: ſiniſtra verò manu Naviculam tenens, hoc eſt, pede ejus accepto , itaut pars illa , quæ aperitur , pectus reſpiciat, utramque manum, cùm incedit, æqualiter ele-

elevatam tenendo, Superpelliceo ſuper brachia aliquantulum reflexo; poſtea ſequuntur Ceroferarii, ſtatura pares, cum Candelabris accenſis, quæ ita accipient, ut qui a parte dextera incedit, ponat dexteram in medio candelabri nodo, ſiniſtram verò in pede; & qui ad ſiniſtram incedit, e contra accipiat ſiniſtra globum, & dextera pedem teneat, idem ferè ſervantes in deferendis Intortitiis, deinde Subdiaconus venit, & Diaconus poſt illum, ultimus omnium Celebrans; & hi tres capite cooperto, junctis manibus ante pectus, & quaſi ad ſiniſtram Celebrantis aderit Cæremoniarius. Si Celebrans pro aſperſione Aquæ benedictæ fuerit Pluviali indutus, cujus fimbrias in eundo elevatas hinc inde tenebunt Miniſtri, pares incedent, & tunc Cæremoniarius quaſi ad ſiniſtram Subdiaconi ibit.

7. Si procedendo tranſeunt ante Altare Majus, ad quod Miſſa non ſit celebranda, modò ibi ſit Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo, omnes nudo capite genuflectunt; ſi verò non adſit, omnes, excepto Celebrante, etiam genuflectunt Cruci; ſi autem ſit expoſitum, utroque genu pariter genuflectunt omnes.

8. Cum pervenerint ante Altare, Thuriferarius in medio Presbyterii genuflectens ſecedit ad Credentiam, Ceroferarii verò hinc inde aliquantulum in gradibus Altaris diſtantes aditum præbent Miniſtris, ac Celebranti, qui non ſupra gradus, ſed in eodem plano Cappellæ aperto capite, & caputium ejus, Cæremoniario, vel ſi abſit, Acolytho adaptante, unà cum aliis reverentiam Cruci, vel genuflexionem Sanctiſſimo Sacramento facit; & tunc ſtatim recedentibus Ceroferariis, qui Candelabra cum Candelis accenſis in cornibus menſæ anterioribus collocabunt, Confeſſionem ſubmiſſa voce facit, ad quam genuflectunt ipſi Ceroferarii, & Thuriferarius prope Credentiam. Interim, dum fit Confeſſio,

ſio, ceſſat ſonitus Organorum, & a Choro incipitur Introitus. Cæremoniarius verò adeſt poſt Miniſtros, vel etiam a latere ad functionem ſuam commodiori. Quòd ſi fuerit dies Dominicus, Aſperſio fiet, ut *infra ſuo loco.*

9. Cùm Celebrans ſe ſignat, & inclinat, Miniſtri idem faciunt, & pari voce reſpondent ad Pſalmum, & ad ea, quæ ſequuntur, in omnibus actionibus conformantes ſe Celebranti, præterquam ad *Confiteor*; ipſi enim non percutiunt ſibi pectus, dum ſibi percutit Celebrans, & cùm dicunt in Confeſſione *tibi Pater*, & *te Pater*, caput versùs Celebrantem profundè inclinant.

10. Celebrans hoc loco meminerit, quòd præter ea, quæ ſonora voce debet cantare, reliqua, quæ in Miſſis privatis dicuntur clara voce, in Miſſa ſolemni recitabit ſubmiſſa voce, itaut a Miniſtris aſtantibus, non autem ab aliis, audiatur; illa verò, quæ ſonora voce intonari debent, ſunt in *Rubrica Miſſalis* ſatis expreſſa.

11. Meminerint & Miniſtri omnes, quòd licèt in Altari non fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, nihilominus genuflectunt Cruci in tota Miſſa, prout genuflectent, cùm poſt Confeſſionem primò aſcenderint ad Altare.


12. In fine Confeſſionis, dicto a Celebrante *Oremus*, omnibus ſurgentibus, ipſe aſcendit ad Altare, Miniſtris anteriores veſtium ejus fimbrias elevantibus, videlicet, Diacono ſiniſtra, Subdiacono autem dextera manu. Altari ab eo tantùm oſculato, & miniſtrato Incenſo, proceditur ad incenſandum Altare, ut *infra in ſeq. Rubr.*

13. Obſervent præterea Miniſtri, quòd non oſculantur Altare, ſed neque tangunt illud, ſuo autem quiſque loco genuflectit, & ſtatim ſurgit.

CA-

TABULA PRIMA

In qua continetur Ordo incenſandi Altare tam in Veſperis quam in Miſsa.



Quando in Altari non ſunt Reliquiæ, incenſata Cruce in medio, Celebrans proſequitur incenſationem per num. 8. et cæteros: omiſſis numeris 4.5.6.,et 7.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De obſervandis in Thurificatione Altaris in Miſſa ſolemni.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. IV. 4.

IN *Miſſa ſolemni Sacerdos facta Confeſſione aſcendit cum Miniſtris ad medium Altaris: ubi dicto* Oramus te Domine, *& oſculato Altari, ponit incenſum in Thuribulum, miniſtrante Diacono naviculam, & Thuriferario Thuribulum. Diaconus parum inclinatus verſus Celebrantem, dicit:* Benedicite Pater reverende, *& oſculatur cochlear, & manum Celebrantis ante, & poſt. Celebrans ter incenſum ponit in Thuribulum, dicens interim:* Ab illo benedicaris, *& depoſito cochleari producens manu dextera ſignum Crucis ſuper thus in Thuribulo, illud benedicit. Poſtea Diaconus, dimiſſa navicula, accipit Thuribulum, & dat Celebranti, oſculata prius catenularum ſummitate, & manu illius dextera: Qui facta Cruci profunda reverentia, eam ter incenſat, nihil dicens; & facta iterum Cruci reverentia, incenſat Altare, ter ducens Thuribulum æquali diſtantia, prout diſtribuuntur Candelabra, a medio ejus uſque ad Cornu Epiſtolæ: ubi demiſſa manu, thurificat illius poſtremam partem inferiorem, mox ſuperiorem, bis ducto Thuribulo: & converſus ad Altare, elevans manum incenſat ejus planitiem, ſeu menſam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum uſque ad medium: ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu uſque ad Cornu Evangelii, & pariter incenſata inferiori, & ſuperiori parte ipſius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc ſtans ibidem, elevat Thuribulum,*

& ter incenſat ſuperiorem tabulæ partem versùs medium Altaris, ut fecit in Cornu Epiſtolæ: deinde manu aliquantum demiſſa, incenſat anteriorem ejus partem, ſeu frontem ter ducens Thuribulum, dum procedit a Cornu Evangelii uſque ad medium Altaris: & facta Cruci reverentia, incenſat ſimpliciter triplici ductu reliquam partem anteriorem uſque ad Cornu Epiſtolæ: ubi reddito Thuribulo ipſi Diacono, ab eo ipſe ſolus incenſatur.

1. Celebrans, quando miniſtrandum eſt incenſum, aliquantulum convertit ſe ad latus Epiſtolæ; & Thuriferarius Naviculam apertam ſine oſculis offert Diacono ſtanti a dextris Celebrantis, poſt quem ſtat Subdiaconus junctis manibus ante pectus; Thuriferarius aſcendit ſupremum gradum Altaris aliquantulum versùs Cornu Epiſtolæ, ſuſtentanſque ſiniſtra annulum majorem Thuribuli, dextera elevato annulo minori operculi, eadem manu catenulas inter operculum, & Thuribulum complectitur, ſtans inclinatus, illud ita æqualiter elevatum ad Naviculæ altitudinem ante Celebrantem tenet, ut ab eo commodè poſſit ex Navicula in illud immitti thus. Diaconus interim ambabus manibus tenens Naviculam apertam, & ad Celebrantem converſus parum inclinatus, dicit *Benedicite Pater reverende*: & ſtatim oſculatur cochlear, manumque Celebrantis.

2. Celebrans, quando incenſum ponit in Thuribulum, debet ſiniſtram pectori admovere, & dextera incenſum ex Navicula ſumere, & Diaconus rurſum manum, & cochlear oſculari. Poſtea Diaconus Naviculam reddit Thuriferario, qui demiſſo Thuribuli operculo, illud tradit manu dextera ſine oſculis per annulum majorem Diacono: ille autem dextera tenens ſummitatem catenularum Celebrantis ſiniſtræ porrigit; partem verò inferiorem prope Thuribulum dexteræ, quam oſculatur, impo-

Digitized by Google

imponit ; quod ſemper, cùm miniſtratur incenſum, obſervabitur.

3. Hìc advertendum eſt, quod quotieſcumque aliquid traditur Celebranti, prius oſculandum eſt, quod traditur, deinde manus Celebrantis. E contra, quando aliquid ab eo accipitur, prius oſculanda eſt ejus manus, deindè quod accipitur. In Miſſis autem Defunctorum, & quando incenſandum eſt ſolum Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum, omittuntur prædicta oſcula.

4. Impoſito incenſo in Thuribulum, convertit ſe Celebrans ad Altare, & medius inter Diaconum, & Subdiaconum, poſteriorem Planetæ partem æqualiter elevantes, illud thurificat. Quando autem thurificat Cornu Epiſtolæ, liber de Altari removetur per Cæremoniarium, vel per Acolythum, qui eum ſtatim reponit, & ſimiliter facit, quando poſt incenſationem Oblatorum incenſatur Cornu Evangelii. Diaconus autem in accipiendo Thuribulum a Celebrante, ut eum incenſet, oſculatur primò manum ejus, tum catenularum ſummitatem, eumque incenſat profunda inclinatione ante, & poſt, exhibita. Celebrans verò ei minimè inclinat, ne modicum quidem. Subdiaconus autem ſtat prope infimum gradum in cornu Epiſtolæ ad Altare converſus, qui Celebranti nullo modo caput inclinat.

5. In actu thurificationis graviter, & decorè ſe geret, & ipſa thurificatio fiat ſemper tractim, modeſtè, quietè, & ſine ſtrepitu, ac ſine properatione. Non perſonam, non caput, cùm ducit, ac reducit Thuribulum, ullo pacto moveat; ſiniſtram, qua ſummitatem catenularum tenet, immobilem prope pectus collocet; dexteram verò decorè, ac tractim cum Thuribulo moveat, quod ad ſe trahens, ſub brachio leviter, ac competenti mora reducet; & dum thurificando Altare procedit, advertat, quòd proximiorem Altari pedem prius movendo

vendo, tot omnino paſſus, quot Thuribuli tractus, perficiat.

CAPUT IX.

De Reliquiarum, ſeu Imaginum Sanctorum incenſatione in Miſſa ſolemni, & quando ibi adſit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. IV. 5.

SI verò in Altari fuerint Reliquiæ, ſeu Imagines Sanctorum, incenſata Cruce, & facta ei reverentia, antequam diſcedat a medio Altaris, primùm incenſat eas, quæ a dextris ſunt, ideſt a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens Thuribulum, & iterum facta Cruci reverentia, ſimiliter incenſabit alias, quæ ſunt a ſiniſtris, hoc eſt a parte Epiſtolæ: deinde proſequitur incenſationem Altaris, ut ſupra, ter ducens Thuribulum in unoquoque latere, etiamſi in eo eſſent plures Reliquiæ, vel Imagines, ſeu etiam plura, vel pauciora Candelabra.

Si in Altari fuerit Tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, accepto Thuribulo, antequam incipiat incenſationem, genuflectit, quod item facit, quotieſcumque tranſit ante medium Altaris.

1. Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, Statuæ ſcilicet, & Tabulæ depictæ, ſi fuerint inter Candelabra, incenſantur, & eis Celebrans nullo modo caput inclinat ad differentiam Crucis.

2. Si in Altari ſit Sanctiſſimum Sacramentum in Tabernaculo repoſitum, Celebrans, accepto Thuribulo, antequam incenſet, cum Miniſtris genuflectit, quod etiam facit quotieſcumque tranſit ante medium Altaris; deinde proſequitur incenſationem, ut ſupra.

3. Quòd

3. Quòd ſi fuerit expoſitum extra Tabernaculum, ſtans immittit Incenſum cum benedictione, quoniam Altare eſt incenſandum, quod regulariter fit ad Veſperas, & ad Miſſam; deinde in ipſo gradu Altaris genuflexus, Thuribulum a Miniſtris ſine oſculis accipit, & facta prius profunda inclinatione, ter graviter, ac moroſè ducens Thuribulum, incenſat.

4. Quòd ſi Sanctiſſimum Sacramentum tantummodo fuerit incenſandum, obſervabitur quod ſupra dictum fuit in Expoſitione, & Proceſſione Sanctiſſimi Sacramenti, nimirum, quòd tunc ſine benedictione, & oſculis Incenſum, & Thuribulum miniſtratur.

5. Si in Altari particula Ligni ſanctiſſimæ Crucis Domini Noſtri Jeſu Chriſti fuerit expoſita, Celebrans quoties accedit ad medium, & recedit, genuflectet.

6. Si præter Sanctorum Reliquias, quæ inter Candelabra diſponuntur, ulla alia præſertim Inſignis collocaretur in medio Altaris, illius thurificatio non eſt omittenda. At poſt illius thurificationem, non erit inclinandum Cruci, neque ipſi Inſigni Reliquiæ, ſed continuanda erit thurificatio Reliquiarum, quæ ſunt a dexteris, & facta Cruci inclinatione, incenſandæ erunt quæ ſunt a ſiniſtris, & quidem duplici ductu tam ad medium, quàm ad utramque Altaris partem.

7. Advertendum inſuper, quòd in Navicula, ſolum, ac purum Thus debet poni, aut ſaltem Thus cætera aromata, ſi imponantur, excedat.

8. Ut autem facilius cognoſcantur ordo incenſationis, & loca, quæ in Altari debent incenſari, ſicuti etiam numerus ductuum, apponitur accurata ejuſdem incenſationis Tabula.

CA-

CAPUT X.

De Introitu, Kyrie eleiſon, & Gloria in excelſis in Miſſa ſolemni.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. IV. 7.

D*iaconus, & Subdiaconus hinc inde aſſiſtunt Celebranti, dum incenſat, & cùm tranſeunt ante Crucem, ſemper genuflectunt. Deindè Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi ſtantibus in cornu Epiſtolæ, legit*, Introitum, *&* Kyrie eleiſon. *Cùm verò intonat Hymnum* Gloria in excelſis Deo, *Diaconus, & Subdiaconus, unus poſt alium ſtant a tergo Celebrantis: poſtea aſcendunt ad Altare, & hinc inde Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris, cum Celebrante Hymnum ſubmiſſa voce proſequuntur uſque ad finem. Quod etiam ſervatur, cùm dicitur* Credo. *Et cùm dicitur* Dominus vobiſcum, Oratio, Præfatio, & Pater noſter, *Diaconus, & Subdiaconus ſimiliter ſtant unus poſt alterum a tergo Celebrantis.*

1. CElebrantis Planetam, dum Altare thurificat, ita hinc inde elevent Miniſtri, ut unam manum pectori admotam apertam teneant, alterâ verò poſteriorem ejuſdem Planetæ partem attollentes, terga Celebrantis non diſcooperiant.

2. Poſt Incenſationem Celebrans, Diacono ad dexteram ejus ſtante, & Subdiacono ad dexteram Diaconi, in cornu Epiſtolæ legit ipſe ſolus Introitum, inde cum iis alternatim recitat *Kyrie*. Ipſi tamen unacum eo ſe ſignant, & ſtantes ſemper manibus ante pectus junctis caput inclinant ad *Gloria Patri....*

3. Si

3. Si ſedendum fuerit, Camerales Sedes ſive brachiatæ, ſive ſine brachiis ne apponantur, ſed ſedeant in Scamno oblongo colorato, vel nuceo, poſito contra cornu Epiſtolæ, quod ſedilia, & dorſuale æqualis habeat altitudinis. Poterit etiam apponi pulvinar pro Celebrante; prout juxta majores, vel minores ſolemnitates convenit, ut idem Scamnum tapete laneo, vel ſerico obtegatur, & ornetur.

4. Facta prius Cruci reverentia, per breviorem viam unus poſt alium deſcendent ab Altari, & poſteriore Sacrarum Veſtium illorum parte ab Acolythis dorſuali decenter ſuperpoſita, ſedent operto capite, quod ſibimet detegunt, dum cum aliqua mora cantantur verba, quibus e ritu tenentur caput aperire.

5. Cæremoniarum Magiſter non ſedebit, ſed ad ſiniſtram Subdiaconi, vel ad Diaconi dexteram ſtabit juxta loci ſitum, & amplitudinem. Acolythi autem conſidebunt in lateralibus gradibus, facie ad Celebrantem converſa.

6. Quando cantatur penultimum *Kyrie*, omnes procedunt ad Altare, medium excipientes Celebrantem, qui cum inclinatione, Miniſtri verò cum genuflexione Crucem ſalutant. Celebrans aſcendit in ſuppedaneum; Diaconus ſtat in ſecundo gradu poſt ipſum Celebrantem, & Subdiaconus in plano poſt Diaconum.

7. Cùm Celebrans fuerit apud Altare, illud oſculatur, & inde clara, ac ſonora voce cantat *Gloria in excelſis Deo*, & tunc Miniſtri ſtatim aſcendunt ad illud, facta prius genuflexione in eodem loco, ubi ſtant, quæ poſtea non eſt iterum repetenda ad Altare.

8. Celebrans Hymno unacum Miniſtris completo, qui ſimul cum eo ſe ſignant in fine, ſemperque cum eo caput inclinant, cum eiſdem recedit ordine, ut ſupra ad ſedendum.

9. At

9. At ſi cantetur Miſſa in Altari, in quo expoſitum ſit Sanctiſſimum Sacramentum, decentius eſt, quòd non ſedeant, & tunc ſtabunt apud Altare, & ſub finem Hymni per Chorum cantati, genuflectentes ſtant poſt Celebrantem; Acolythi autem, ſive Celebrans ſedeat, ſive non, manebunt prope Credentiam.

10. Ubi verò ſedendum ſit; quando conſurgunt, ut accedant ad Altare, capite aperto per planum Cappellæ incedunt, & facta in medio Altari reverentia, aſcendit unuſquiſque ad locum ſuum, uno remanente poſt alium: Celebrans verò Altare oſculatur, ac vertens ſe dicit ſonora voce *Dominus vobiſcum*, quo dicto, redit ad librum in cornu Epiſtolæ, ibique cantabit Orationem, vel Orationes.

11. Quando Diaconus dicit *Flectamus genua*, ſtatim ipſe primus omnium genuflectit, excepto Celebrante; & ſtatim Subdiacono dicente *Levate*, omnes ſurgunt cum eo, & ſtant ad Orationem, quæ ſequitur, Miniſtris caput inclinantibus, & manibus junctis, ut convenit.

CAPUT XI.

De Epiſtola, quæ cantatur in Miſſa ſolemni, & Evangelio.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. VI. 4.

IN Miſſa ſolemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epiſtolarum, deferens illum ſupra pectus, & facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contra Altare, & cantat Epiſtolam, quam etiam Celebrans interim ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente ſibi Diacono a dextris, & item

& item Graduale, *Tractum*, *&c. uſque ad* Munda cor meum. *Epiſtola cantata*, *Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio*, *ac redit ad Celebrantem*, *& genuflectens oſculatur ejus manum*, *& ab eo benedicitur*, *præterquam in Miſſis Defunctorum*.

5. *Poſtea idem Subdiaconus accipit Miſſale Celebrantis*, *defert ad cornu Evangelii in Altari*, *& ibi miniſtrat Celebranti: qui in medio Altaris ſubmiſſa voce*, *dicto* Munda cor meum...., *& deinde lecto Evangelio*, *quod in fine non oſculatur*, *delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare*, *imponit incenſum in Thuribulum*. *Poſtea Diaconus genuflexus ante Altare dicit* Munda cor meum...., *& accipiens librum Evangeliorum de Altari*, *petit benedictionem a Celebrante ſimiliter genuflexus in ſuperiori gradu Altaris*, *& oſculata illius manu*, *præcedentibus Thuriferario*, *& duobus Acolythis cum Candelabris accenſis de Credentia ſumtis*, *vadit cum Subdiacono a ſiniſtris ad locum Evangelii contrà Altare verſùs populum*, *ubi Subdiacono librum tenente*, *medio inter duos Acolythos tenentes Candelabra accenſa*, *dicit*, Dominus vobiſcum, *junctis manibus*. *Cùm dicit* Sequentia... *ſignat librum in principio Evangelii*, *frontem*, *os*, *& pectus*: *poſtea ter librum incenſat*, *hoc eſt*, *in medio*, *a dextris*, *& a ſiniſtris*, *& proſequitur Evangelium junctis manibus*. *Interim Celebrans*, *poſt datam Diacono benedictionem*, *retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ*, *ibi ſtat junctis manibus*. *Finito Evangelio*, *Sacerdos oſculatur librum a Subdiacono ſibi delatum*, *dicens*, Per Evangelica dicta..., *& a Diacono ter incenſatur*. *Si ſit coram Prælato in ſua reſidentia*, *liber defertur ad Prælatum*, *ut ſupra*, *& ille incenſatur*, *ut in Cæremoniali*. *Poſtea ſtans in medio Altaris verſus ad Crucem*, *incipit*, *ſi dicendum ſit*, Credo, *ſtantibus poſt eum Diacono*, *& Subdiacono*, *dein-*

de ad Altare accedentibus, & cum eo proſequentibus, ut dictum eſt ad Gloria in excelſis.

6. *Si autem ſit prædicandum, Concionator finito Evangelio prædicet, & ſermone, ſive concione expleta, dicatur* Credo, *vel, ſi non ſit dicendum, cantatur* Offertorium.

7. *Cùm verò in Symbolo cantatum fuerit*, Et incarnatus eſt, *Diaconus accepta Burſa de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum ſolitis reverentiis ad medium Altaris, in quo explicat Corporale, & revertitur ad Celebrantem. Cùm non dicitur* Credo, *Subdiaconus defert Burſam ſimul cum Calice, ut infra dicetur.*

1. Circa finem ultimæ Orationis Acolythus vadit ad Credentiam, & accepto Miſſali, illud dat Subdiacono: Hic accepto ambabus manibus libro, & dicto a Celebrante in concluſione Orationis *Jeſum Chriſtum*, ne cogatur ſe per viam inclinare, deferens illum ante pectus, factâque cum Acolytho Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epiſtolæ contrà Altare; & a ſiniſtris ejus aliquantò poſt eum aſſiſtente Acolytho, tenens ſibi librum cantat Epiſtolam: quam etiam Celebrans in cornu Epiſtolæ interim ſubmiſſa voce legit, & item Graduale, Tractum, &c. uſque ad *Munda cor meum*, excluſivè, aſſiſtente ſibi Diacono in ſecundo gradu a dextris: qui illuc acceſſit factâ genuflexione poſt concluſionem ultimæ Orationis: & in fine Epiſtolæ reſpondebit de more, *Deo gratias*. Stabit autem ibi, donec dixerit Celebrans in medio, *Munda cor meum...*

2. Epiſtola cantata, Subdiaconus claudit librum, factâque cum Acolytho iterum genuflexione Altari in medio, redit ad Celebrantem in cornu Epiſtolæ, & genuflectens in ſupremo gradu, deflectit ſuperiorem par-

tem libri verſùs Celebrantem, cujus ſuperimpoſitam manum dexteram oſculatur; & ab eo facto ſigno Crucis, nihil dicendo, benedicitur, præterquam in Miſſis Defunctorum. Poſtea idem Subdiaconus ſurgit, & reddito libro eidem Acolytho, accipit Miſſale Celebrantis, quem defert clauſum cum pulvinari ad cornu Evangelii, facta genuflexione in medio, & ibi miniſtrat Celebranti ad ejus ſiniſtram in ſecundo gradu; & in fine reſpondebit, *Laus tibi Chriſte*. Poſtea deſcendit in planum extra gradus ante cornu Evangelii, ibique expectat Diaconum.

3. Celebrans, ubi primùm benedixerit Subdiaconum, ſubmiſſa voce dicto, *Munda cor meum* ..., in medio Altaris, in cornu Evangelii legit de more Evangelium: quod in fine non oſculatur, neque dicit, *Per Evangelica dicta*.

4. Diaconus poſtquam Celebrans incœperit legere Evangelium, accepto ab Acolytho Evangeliorum libro, deſcendit in planum extra gradus a laterali cornu Epiſtolæ; & facta in medio Altaris in infimo gradu genuflexione, ſolus defert illum clauſum ante pectus ad medium Altaris, eumque ibi collocat jacentem, & clauſum, ita ut pars, quæ aperitur, reſpiciat cornu Evangelii: & ſi Celebrans nondum compleverit legere Evangelium, remanet ante cornu Epiſtolæ ſupra Altare.

5. Interim Thuriferarius cum Thuribulo, & Navicula, quem ſequuntur Ceroferarii cum Candelabris, accedit ad Altare; & facta in medio cum Ceroferariis genuflexione, expectat finem Evangelii.

6. Lecto Evangelio, Celebrans ſtans inter medium Altaris, & cornu Evangelii, verſus ad cornu Epiſtolæ imponit incenſum in Thuribulum, Diacono ad ejus dexteram in ſuppedaneo Altaris miniſtrante Naviculam, & Thuriferario quaſi a dextris Diaconi, ibidem

H 2 paulu-

paululum inclinato, miniſtrante Thuribulum; Celebrans eodem modo ibi remanet, Thuriferario in planum deſcendente.

7. Poſtea Diaconus genuflexus ante medium Altaris in ſupremo gradu, dicit manibus junctis profundè inclinatus, & ſubmiſsa voce, *Munda cor meum...* Tum ſurgit, & accipit ambabus manibus librum de Altari, & petit benedictionem a Celebrante, ſimiliter genuflexus in ſuperiore gradu Altaris, dicens, *Jube Domne benedicere*, cui Celebrans manibus junctis ſubjungit, *Dominus ſit in corde tuo...* & cùm dicit, *In nomine Patris, & Filii*, ✠.. ſiniſtra pectori admota, manu dextera producit ſignum Crucis versùs Diaconum: & eamdem manum ſuper librum poſitam oſculandam ei tradit. Tum ſurgit Diaconus, & deſcendit in planum Altaris, ubi cum Subdiacono a ſiniſtris, Thuriferario, & Cæremoniario, ſeu Acolytho a tergo Diaconi, inter Acolythos Ceroferarios, genuflectit. Eodem quoque tempore Celebrans, facta Cruci reverentia, ad latus Epiſtolæ ſe retrahit, & Diaconus vadit ad locum Evangelii contrà Altare versùs Populum, præcedentibus Thuriferario, & duobus Acolythis cum Candelabris, & Candelis accenſis, a ſiniſtris habens Subdiaconum. Cæremoniarius autem, ſeu Acolythus aſſociat Diaconum, ad cujus ſiniſtram remanet.

8. Cùm pervenerit Diaconus ad locum, aperit librum, eumque tradit tenendum Subdiacono, qui verſus ad Diaconum tenet librum apertum ante pectus, medius inter Ceroferarios. Diaconus cantat, *Dominus vobiſcum*, junctis manibus. Cùm dicit *Sequentia...* ſignat librum in principio Evangelii Pollice dextero, ſiniſtrâ ſuper librum poſitâ; deinde frontem, os, & pectus ſiniſtâ infra pectus admotâ: poſtea accepto de manu Thuriferarii poſt eum ſtantis Thuribulo ter librum incenſat, hoc eſt, in medio, a de-

a dextris libri, & a ſiniſtris, facta ante, & poſt ad librum modica inclinatione; & reddito Thuribulo, proſequitur Evangelium junctis manibus.

9. Celebrans poſt datam benedictionem, & factam Cruci reverentiam, ut dictum eſt, retrahens ſe ad cornu Epiſtolæ, ibi ſtat junctis manibus versùs Diaconum cantantem. Et cùm Diaconus dicit, *Sequentia*, Sacerdos etiam ſignat ſe. Et cùm nominatur, *Jeſus*, caput inclinat versùs Crucem, Diaconus verò versùs librum: & eodem modo genufleсtunt, quando eſt genuflectendum. Subdiaconus autem, & Ceroferarii perſtant velut immobiles, non genufleсtunt, neque caput inclinant.

10. Thuriferarius ſtat poſt Diaconum, & tenet Thuribulum apertum, ne ignis extinguatur; & caput inclinat, vel genufleсtit, quando opus eſt.

11. Finito Evangelio, Subdiaconus nulla facta genuflexione Altari, neque ulli alii reverentia, portat librum apertum, quem offert oſculandum Celebranti, eique ſe non inclinat, niſi poſtquam librum clauſerit. Celebrans ambabus manibus appropinquat ſibi librum, & oſculatur principium Evangelii lecti, dicens: *Per Evangelica dicta*... Si principium ipſius Evangelii erit in præcedenti folio, folium ipſum vertat Diaconus, ſtatim ac cantatum fuerit Evangelium. Subdiaconus claudit librum, & retrahens ſe, caput inclinabit Celebranti; & facta Altari genuflexione, deſcendit in planum ad cornu Epiſtolæ, & librum dabit Acolytho, qui illum defert ad Abacum.

12. Diaconus finito Evangelio, aliquantulùm retrahit ſe, ne Subdiaconum tranſeuntem, & librum deferentem impediat: & accepto Thuribulo de manu Thuriferarii, ſtans ante cornu Evangelii prope medium Altaris, ter Celebrantem thurificat adhuc ſtantem in cornu Epiſtolæ, facta ei inclinatione ante, & poſt, & reddit

dit Thuribulum Thuriferario; qui facta genuflexione, diſcedit.

13. Ceroferarii quoque ſtatim finito Evangelio, & facta cum aliis genuflexione, diſcedunt, & collocant Candelabra ſuper Credentia, ut prius.

14. Poſtea Celebrans ſtans in medio Altaris verſus Crucem incipit, ſi dicendum ſit, *Credo*, ſtantibus poſt eum Diacono, & Subdiacono: qui deinde facta quiſque in loco ſuo genuflexione, accedunt ad Altare, & cum Celebrante Symbolum proſequuntur. Cùm dicunt verſiculum, *Et incarnatus eſt*, Celebrans de more genuflectit uſque ad *homo factus eſt*, incluſivè, manibus hinc inde ſuper Altare poſitis ſe ſuſtentans: alii verò genuflectunt manibus junctis, & Altare non tangunt. Diſcedentes inde ab Altari ſedent; & cùm dicitur a Choro *Et incarnatus eſt*, detecto capite profundè ſe inclinant; at ſi non ſedeant, genuflectunt: ſed in die Annunciationis B. Mariæ, & in tribus Miſſis Nativitatis Domini ſemper genuflectunt, & ſi non ſedent, genuflectunt Celebrans cum Miniſtris in ſuperiori Altaris gradu, reliqui ſuis in locis verſùs Altare. Genuflectùnt etiam ſemper, quando prædictum Symbolum ad Altare recitatur ſubmiſſa voce, & pariter omnes de Choro genuflectunt, ſi viſibilem habeant Sacerdotem, ſed unico tunc genu. Quòd ſi a Muſicis cantetur *Credo*, & non a Choro, duo Cantores in Choro illud recitabunt ſubmiſſa, & intelligibili voce, & ad prædictum Verſiculum omnes pariter ambobus flectent genibus, deinde ſedeant; & cùm prædictus Verſiculus poſtea cantabitur a Muſicis, ut ſupra, caput tantùm profundè inclinent, excepta nocte, & die Nativitatis Domini, & Annunciationis B. Virginis.

15. Cùm fuerit cantatum in Choro, *Et homo factus eſt*, Diaconus aſſurgit, & facta Celebranti reverentia, vadit brevi via ad Credentiam, ubi accipit ab Acolytho

lytho Burſam, quam ante oculos elatam ſolus defert ad Altare per longiorem viam: Celebrans Diaconi ſalutationi non reſpondet, ſed Subdiaconus ſurgens nudo capite, donec Diaconus ad ſedem redierit, ſtat. Diaconus in inferiori gradu genufleċtit Cruci, tum aſcendit ad medium Altaris, ibique explicat Corporale, & poſtmodum facta ibi genuflexione, per breviorem viam ad ſcamnum revertitur, iterumque Celebrantem ſalutat, & cum Subdiacono conſidet.

CAPUT XII.

De Offertorio in Miſſa ſolemni, & de incenſatione Oblatorum uſque ad Canonem.


De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. VII. 9.

IN *Miſſa ſolemni dicto*, Oremus, *Diaconus, & Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epiſtolæ, Diaconus amovet Calicem, ſi eſt in Altari, vel ſi eſt in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena, & Hoſtia, coopertum Palla, & Velo a collo ſibi pendente, manu ſiniſtra tenens, & alteram manum ſuperponens Velo, ne aliquid decidat, de Credentia defert, comitatus ab Acolytho, Ampullas vini, & aquæ portante; Ipſe Diaconus Calicem detegit, & dat Patenam cum Hoſtia Celebranti, oſculando ejus manum: Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio, Diaconus accepta Ampullà vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice: Subdiaconus interim Ampullam aquæ oſtendens Celebranti, dicit*, Benedicite Pater reverende, *qui facto versùs eam ſigno Crucis, dicit Orationem*, Deus qui humanæ... *interim Subdiaconus infundit paulum aquæ in Calicem: Diaconus illum Celebranti dat, & pedem Cali-*

Calicis tangens, ſeu brachium dexterum Celebrantis ſuſtentans, cum eo dicit, Offerimus tibi Domine, .. *quem poſtea poſitum in Altari, ut ſupra, Palla cooperit. Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit extremitate Veli ab ejus humero pendentis, qui vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris, & facta genuflexione, ibi ſtat, ſuſtinens eam elevatam uſque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Miſſis autem Defunctorum, & in feria ſexta Paraſceves Patena non tenetur a Subdiacono.*

10. *Dicto*, Veni ſanctificator ... *ut ſupra, Celebrans, miniſtrante Diacono naviculam, & dicente*, Benedicite Pater reverende, *ponit incenſum in Thuribulum, dicens*, Per interceſſionem ...., *ut in Ordine Miſſæ. Deinde accepto Thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incenſat oblata, ter ducens Thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hoſtiam; ſcilicet bis a dextra ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo: In prima incenſatione*, Incenſum iſtud; *in ſecunda*, a te benedictum; *in tertia*, aſcendat ad te Domine; *in quarta*, & deſcendat ſuper nos; *in quinta, & ſexta*, miſericordia tua. *Deinde facta reverentia, incenſat Crucem, & Altare, ut dictum eſt ſupra, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens*, Dirigatur Domine oratio mea ... *& cùm incenſatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce, reponit in loco ſuo. Cùm reddit Thuribulum Diacono, dicit*, Accendat in nobis ... *& Incenſatur ab eo: deinde Diaconus incenſat Chorum, & poſtremo Subdiaconum tenentem Patenam; & ipſe Diaconus incenſatur a Thuriferario, & Thuriferarius poſtea incenſat Acolythos, & Populum. Celebrans poſt quam incen-*

TABULA II
In qua delineatur Ordo incenſandi Oblata per modum Crucis.




Digitized by Google

Pag. 65.

TABULA III.

In qua continuatur Ordo incenſandi Oblata per modum circuli.



cenſatus fuerit, *lavat manus*, *miniſtrantibus Acolythis Ampullam aquæ cum Pelvicula*, *& Manutergio*.

11. *Cùm dicitur* Præfatio, *Diaconus & Subdiaconus ſtant retro poſt Celebrantem: & paulò antequam dicatur*, Sanctus, *accedunt ad Altare*, *ubi cum Celebrante hinc inde dicunt*, Sanctus, *& quæ ſequuntur uſque ad* Canonem. *Deinde Diaconus accedit ad ſiniſtram Celebrantis*, *ei aſſiſtens dum dicitur* Canon, *niſi alius Sacerdos aſſiſtat*, *quia tunc ipſe ſtaret ad dexteram aliquantum poſt Celebrantem*; *Subdiaconus verò tunc ſtat poſt Celebrantem*.

1. Circa finem Symboli Cæremoniarius, vocatis Acolythis, ſignum dat Celebranti, ut cum Miniſtris aſſurgat. Hinc ad Altare aſcendens cum debitis reverentiis, illud oſculatur; & ſtantibus Diacono, & Subdiacono, uno poſt alterum, Celebrans cantat *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*. Mox facta genuflexione Diaconus aſcendit ad dexteram Celebrantis, & Cæremoniarius ad ſiniſtram, ut libro aſſiſtat; Subdiaconus verò vadit ad Credentiam.

2. Celebrans legit Offertorium, eodemque tempore Acolythus, amoto, & complicato Velo Calicis, relictoque ſupra Credentiam, imponit oblongum Velum ad humeros Subdiaconi, qui ſiniſtra manu nuda accipit in nodo Calicem cum Purificatorio, Patena, Hoſtia, & Palla e Credentia coopertum ejuſdem Veli extremitatibus, cui ſuperponens ſiniſtram, breviori via per gradus laterales cornu Epiſtolæ ad Altare accedit.

3. Si Miniſtrorum, aut Populi Communio facienda ſit in Miſſa, immediatè Subdiaconum ſequitur Acolythus, Pyxidem lineo, ſeu ſerico Velo coopertam cum Particulis deferens, quâ poſitâ in Altari, ea ſervabuntur, *quæ in ſuperiori prima parte Cap, III.* fuerunt adnotata:

At ſi Communio non ſit facienda, alius Acolythus poſt Subdiaconum deferentem Calicem, portabit Pelviculam cum Urceolis vini, & aquæ ſine operculis.

4. Diaconus Calicem Velo detegit, & accipit Patenam cum Hoſtia, Pallam ponit prope Corporale, & Patenam ipſam cum Hoſtia dat Celebranti, oſculando Patenam, & ejus manum.

5. Celebrans offert Hoſtiam more ſolito, & Patenam deponit in Altari, Subdiaconus interim extergit Calicem Purificatorio. Diaconus, accepta Ampulla vini de manu Subdiaconi, qui eam accepit de manu Acolythi ſine oſculis, ſiniſtrâ tenens Calicem imponit vinum in eodem Calice, & reddit Ampullam Acolytho ſtanti ad dexteram Subdiaconi.

6. Subdiaconus interim accipit ab Acolytho Ampullam aquæ, quam oſtendens Celebranti, parum inclinatus dicit, *Benedicite Pater reverende*, qui facto versùs eam ſigno Crucis, dicit Orationem, *Deus, qui humanæ ſubſtantiæ* ..., & Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem. Diaconus Purificatorio tergens interius labia Calicis, illum dat Celebranti cum oſculis, & Calicis pedem, ſeu ipſiuſmet Celebrantis brachium dexterum manu ſua dextera ſubſtentans, cum eo dicit, *Offerimus tibi Domine* ..., quem poſtea poſitum in Altari, ut aliàs, Palla cooperit; Subdiacono deinde ſtanti in cornu Epiſtolæ ponit in dextera manu nudam Patenam, cujus pars interior ipſum Subdiaconum reſpiciat, quam Cæremoniario adjuvante, cooperit extremitate Veli ab ejus humero dextero pendentis: qui vadit poſt Celebrantem ante medium Altaris in plano, & facta genuflexione, ibi ſtat, ſuſtinens eam elevatam uſque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur.

7. Acolythus verò defert Ampullas ad Credentiam, & operculis cooperit: & ſtatim Thuriferarius cum Thu-

Thuribulo, & Navicula per latus ejuſdem cornu Epiſtolæ ad Altare cum genuflexione accedit.

1. Dicto, *Veni ſanctificator* ..., Celebrans ſtans in medio Altaris, miniſtrante cum oſculis Diacono Naviculam, & dicente, *Benedicite Pater reverende*, ponit incenſum in Thuribulum, quod tenet Thuriferarius, dicens: *Per interceſſionem* ... ut in Miſſali, & ad verba *benedicere*, manu dextera ſignum Crucis producit ſuper Thuribulum. Deinde accepto Thuribulo per manus Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incenſat Oblata, ter ducens Thuribulum ſuper Calicem, & Hoſtiam ſimul in modum Crucis, & ter circum Calicem, & Hoſtiam: ſcilicet, bis a dextera ipſiuſmet Celebrantis ad ſiniſtram, & ſemel a ſiniſtra ad dexteram; Diacono interim Caſulam elevante cum ſiniſtra manu, & pedem Calicis tenente manu dextera; diſpenſans verba in qualibet incenſatione hoc modo. In prima Incenſatione, *Incenſum iſtud*. In ſecunda, *a te benedictum*. In tertia, *aſcendat ad te Domine*. In quarta, *& deſcendat ſuper nos*. In quinta, & ſexta, *miſericordia tua*. Deinde facta inclinatione, incenſat Crucem, & Altare, ut dictum eſt ſupra, aſſiſtente eodem Diacono, interim dicens, *Dirigatur*, *Domine*, *oratio mea* ... & cùm incenſatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epiſtolæ, & incenſata Cruce, reponit in loco ſuo. Quæ autem de incenſatione Oblatorum dicta ſunt, clarius conſpiciuntur in hìc appoſitis duabus Tabulis.

2. Verſiculos autem, *Dirigatur* ... qui omnes ſunt quatuor, ita diſpenſet Celebrans, ut ſufficiant ad totam incenſationem. Ad incenſationem Crucis dicat, *Dirigatur*, *Domine*, *oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo*. Reliquos verò partiatur, prout opus erit. Et quando incenſat in cornu Evangelii, Acolythus Miſſale cum pulvinari amovet ab Altare.

I 2 3. Cùm

3. Cùm Sacerdos reddit Thuribulum Diacono, dicit, *Accendat in nobis*.., & incenſatur ab eo in cornu Epiſtolæ.

4. Acolythus Thuriferarius acceptâ Naviculâ, dum incenſatur Altare, ſtat prope Credentiam in cornu Epiſtolæ, ibique expectat Diaconum, & Naviculam ponit ſuper Credentia.

5. Subdiaconus ſtans in plano poſt gradus ante medium Altaris, in tota incenſatione nunquam genuflectit cum Celebrante.

6. Diaconus poſt incenſatum Celebrantem in cornu Epiſtolæ, facta in medio ante infimum Altaris gradum cum Thuriferario genuflexione, illo præeunte, vadit ad incenſandum Chorum, ordine, qui præſcribetur, cùm de Veſperis agendum fuerit.

7. Peracta Chori incenſatione, Diaconus cum Acolytho redit ad Altare, & facta Cruci genuflexione, thurificat duplici ductu Subdiaconum tenentem tunc Patenam ante pectus cum mutuis inclinationibus ante, & poſt. Tum Diaconus, reddito Thuribulo Acolytho, aſcendit a tergo poſt Celebrantem, & ibi ſe vertens ad Acolythum, incenſatur duplici ductu cum mutuis ſalutationibus. Deinde Acolythus incenſat unico ductu Cæremoniarium, & alios Acolythos; & facta in medio genuflexione ad Crucem, incenſat Populum triplici ductu, in medio ſcilicet, a dextris, & a ſiniſtris, facta ante, & poſt inclinatione.

8. Si expoſitum ſit Sacramentum, Acolythus incenſans ſtabit vel a latere Epiſtolæ, vel Evangelii, non autem in medio. Et ſi adſit Magiſtratus, incenſabitur ab Acolytho duplici, vel unico ductu juxta qualitatem Locorum, & Perſonarum.

9. Celebrans poſtquam thurificatus fuerit, in eodem loco lavat manus; & duo Acolythi ſtantes, quaſi cum oſculis ei miniſtrant aquam, & Manutergium. 10.

10. Tum Celebrans ad medium Altaris reliqua profequitur, ad *Orate Fratres*.., Subdiacono reſpondente *Suſcipiat*. Non inchoabit verò Præfationem, niſi cùm reverſus, & incenſatus fuerit Diaconus.

11. Cùm dicitur Præfatio, Diaconus, & Subdiaconus ſtant retrò poſt Celebrantem, & paulò antequam dicatur, *Sanctus*.., Diaconus, facta in loco ſuo genuflexione, aſcendit ad Altare in cornu Evangelii, ubi cum Celebrante dicit *Sanctus*.., & quæ ſequuntur uſque ad Canonem. Deinde ad ſiniſtram Celebrantis junctis manibus attentè aſſiſtit dum dicitur Canon, & folia libri vertit. Quamvis in ſuperiori Rubrica dicatur, quòd etiam a Subdiacono debeat unacum Celebrante dici *Sanctus*; attamen ex praxi Eccleſiarum, & ipſiuſmet Cappellæ Papalis, ille, quia eſt in ſpeciali miniſterio, & tenet Patenam, non aſcendit ad Altare, ut dicat *Sanctus*. Acolytus autem ad *Sanctus* pulſabit Campanulam.

12. Ceroferarii accenſis duobus Intortitiis, & expleto per Chorum cantu, præcedente Acolytho, accedunt ad Altare per latus Epiſtolæ, & poſt Subdiaconum, quaſi formata recta linea, a lateribus Acolythi genuflectunt. Poſtea Acolythus vadit ad gradus in latere cornu Epiſtolæ, & ibi genuflectit. Ceroferarii, facta genuflexione, collocant ſe genuflexi hinc, & inde a lateribus Subdiaconi extra Tapetum.

13. In Duplicibus primæ claſſis, aliiſque ſolemnitatibus, & quoties celebrat Superior, Cæroferariis adjungentur ſaltem duo alii cum Intortitiis. Duo egrediuntur per latus Evangelii, & alii duo, præcedente Acolytho, exeunt per latus Epiſtolæ, & juniores præcedunt: Ante Altare facta genuflexione, ut dictum eſt, medio inter eos Acolytho, ſiſtunt a lateribus Subdiaconi extra Tapetum; & qui ſunt in cornu Epiſtolæ tenent Intortitia manu dextera; alii verò, qui ſunt in latere Evangelii, ſiniſtra, altera manu

nu pectori admota, & idem obſervant, quando duo ſoli Ceroferarii Intortitia ſuſtinent, & in Elevatione aliquantulum, & decorè attollunt Intortitia uſque ad ſacri Calicis depoſitionem incluſivè, Choro proſequente cantum uſque ad *Benedictus qui venit* ... excluſivè.

CAPUT XII.

De Canone in Miſſa ſolemni uſque ad finem.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. VIII. 8.

IN Miſſa ſolemni in finem Præfationis accenduntur duo ſaltem Intortitia ab Acolythis, quæ extinguuntur poſt elevationem Calicis, niſi aliqui ſint communicandi, & tunc extinguuntur poſt Communionem. In diebus etiam Jejuniorum, & in Miſſis pro Defunctis tenentur accenſa uſque ad Communionem. Cùm autem Celebrans dicit, Quam oblationem.., *Diaconus accedit ad ejus dexteram, & ibi in ſuperiori gradu Altaris genuflexus, cùm Sacramentum elevatur, fimbrias Planetæ elevat, & quando opus eſt, ſe erigens, Calicem diſcooperit & cooperit, & cùm Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco ſuo. Thuriferarius genuflexus in cornu Epiſtolæ ter incenſat Hoſtiam, cùm elevatur, & ſimiliter Calicem, poſito incenſo in Thuribulum abſque benedictione. Repoſito Calice, Diaconus redit ad librum, niſi alius aſſiſtat. Cæteri ſurgunt, & ſtant in locis ſuis.*

1. CElebrans proſequitur Canonem, & alia facit, ut in Miſſa privata. Cùm autem Celebrans dicit *Quam oblationem* ..., Diaconus facta prius genuflexione, accedit ad ejus dexteram, & in ſuppedaneo Altaris genuflectit,

flectit, cùm Sacramentum elevatur; & poſtquam Celebrans Hoſtiam, vel Calicem adoraverit, poſteriores fimbrias Planetæ, ſeu extremam partem in medio elevat, eamque ſine oſculo deponit: & quando opus eſt, ſe erigens Calicem diſcooperit, & cum Celebrante genuflectit.

2. Subdiaconus genuflectit in loco ſuo in inferiori gradu Altaris a tergo poſt Celebrantem eodem tempore, quo genuflectit Diaconus; & Acolythus Thuriferarius in ſecundo Altaris gradu genuflexus, poſito a ſeipſo incenſo in Thuribulum ſine benedictione, ter incenſat Hoſtiam, quando elevatur, & ter ſimiliter Calicem.

3. Repoſito Calice, omnes ſurgunt: Chorus proſequitur cantum, *Benedictus, qui venit*..: Diaconus redit ad librum; Subdiaconus autem ſtat in plano poſt Celebrantem, ut prius.

4. Acolythus, facta genuflexione cum Ceroferariis, qui Intortitia portant, ut in principio, diſcedit cum eis ordine, quo venerat, niſi in Miſſa facienda eſſet Communio: In Miſſis autem de Tempore, diebus ferialibus Adventus, Quadrageſimæ, Vigiliarum, atque Jejuniorum, & in Miſſis Defunctorum Intortitia tenentur accenſa uſque ad Communionem Sacerdotis incluſivè; & ſi fiat Communio Miniſtrorum, vel aliorum, non extinguuntur Intortitia ab Acolythis genuflexis, niſi poſt peractam Communionem.

5. Cùm Celebrans dicit, *Per quem hæc omnia*.., Diaconus, facta genuflexione Sacramento, accedit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, & cum Celebrante adorat: ſimiliter cooperit, & iterum genuflectit, & redit ad librum. Cùm Celebrans incipit, *Pater noſter*.., idem vadit retrò poſt Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi ſtat, dum dicitur Oratio Dominica.

6. Cùm

6. Cùm in eadem Oratione Dominica dicitur, *Et dimitte nobis debita noſtra*... Miniſtri, facta ibidem in locis ſuis genuflexione, aſcendunt ad Altare: Diaconus ad dexteram Celebrantis, Subdiaconus verò ad dexteram Diaconi in cornu Epiſtolæ per viam breviorem. Interim Acolythus vadit ad cornu Epiſtolæ poſt Subdiaconum, ut Velum ab illius humeris deponat, & ad Credentiam reportet. Diaconus Patenam diſcooperit, illamque acceptam a Subdiacono abſtergit Purificatorio, & dat Celebranti, Patenam priùs, inde illius manum oſculando. Diaconus quando opus eſt, diſcooperit, & cooperit Calicem, & cum Celebrante adorat. Subdiaconus, reddita Patena, & depoſito Velo, quod ab humeris ejus pendebat, in manus Acolythi, per eamdem viam revertitur ad locum ſuum retrò poſt Celebrantem cum genuflexione. Et Acolythus depoſito in Credentia Velo, ibi remanet.

7. Cùm Celebrans dicit, *Pax Domini*.., Subdiaconus facta genuflexione, accedit ad ſiniſtram Celebrantis, & cum eo, ac Diacono ſimul dicunt *Agnus Dei*... percutientes ſibi pectora; Miniſtri ſiniſtram pectori admovent; Celebrans verò eamdem ſuper Corporale deponit. Subdiaconus deinde, facta ibidem genuflexione Sacramento, vadit poſt Celebrantem, ibique ſtat, ut priùs. Diaconus verò a dextris Celebrantis genuflexus expectat pacem: & circa finem primæ Orationis ſe erigens, cùm Celebrans oſculatur Altare, ipſe quoque ſimul oſculatur illud junctis tamen manibus, & extra Corporale, & a Celebrante dicente, *Pax tecum* complexus, accipit pacem, ſiniſtris genis ſibi invicem appropinquantibus; & ei reſpondet. *Et cum ſpiritu tuo*.

8. Diaconus, iterum facta Sacramento genuflexione, advertens ne terga vertat Sacramento, dat pacem Subdiacono invicem ſe amplexantibus, & ſiniſtras genas

appro-

appropinquantibus: & Diacono dicente *Pax*, ..., Subdiaconus reſpondebit *Et cum*... quod item obſervant alii in danda, & accipienda pace. Qui verò dabit pacem, nemini ſe inclinet, niſi poſtquam pacem dederit; item qui accipit, caput non inclinet danti, niſi poſt receptam pacem.

9. Subdiaconus, accepta pace a Diacono, & facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho, vadit ad Chorum per latus Epiſtolæ; & in medio Chori facta genuflexione, accedit ad digniorem, qui in Choro eſt, & illi dat pacem: ſimiliter dat pacem Primo ex altera parte, poſtea eodem ordine, & ritu dabit pacem Primis ſtantibus in ſedibus inferioribus. Deinde revertitur ad Altare per latus Evangelii: & facta genuflexione in medio in inferiori gradu, pacem dabit Acolytho, qui ipſum deduxerat. Acolythus Cæremoniario, Cæremoniarius autem Thuriferario, iſte tandem primo ex Acolythis, a quo cæteri ordine ſuo recipiunt. Eſt hìc advertendum, quòd pax iis Laicis viris tantùm defertur, quos convenit thurificari. Si thurificati fuerint a Diacono, pacem accipiunt a Subdiacono; ſi verò thurificati fuerint ab alio, pax iis datur ſive a Cæremoniario, ſive ab Acolytho. Inſuper pax non eſt danda Laicis per amplexum, ſed per Inſtrumentum, quod pridem Cæremoniarius, vel Acolythus oſculandum Diacono præbuerit. Iſte enim, data pace Subdiacono, oſculatur Inſtrumentum dicens *Pax tecum*, cui reſpondetur *Et cum ſpiritu tuo*. Inde defertur Inſtrumentum ad Laicos, quorum primus in quocunque ordine oſculatur Inſtrumentum reſpondens *Et cum* .... Clerico dicenti *Pax tecum*. Primus verò dat proximiori in ſuo ordine pacem per amplexum, reliquis ad invicem idem peragentibus. Si adſit Magiſtratus, in danda pace haberi poterit reſpectus dignitati Perſonarum, & conſuetudini Eccleſiarum, & Locorum.

10. Non dabitur autem in Miſſis ſolemnibus ſive per amplexum, ſive per Inſtrumentum niſi ſtantibus, &

quidem Perſonis tantùm inſignibus. At in Miſſis privatis ſemper danda erit per Inſtrumentum, & qui eam recipient ſive Clerici, ſive Laici ſint, ſtabunt genuflexi. In Inſtrumenti manubrio appendetur parvum Velum ejuſdem coloris Paramentorum; cum quo abſtergetur Inſtrumentum, poſtquam fuerit exoſculatum. Si qui oſculantur Inſtrumentum, Prælati fuerint, qualibet vice illud tergitur, aliàs non. Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis, & quando opus eſt, diſcooperit Calicem, genuflectit cum Celebrante, ſumit Ampullas de manu Acolythi, qui poſt acceptam pacem, eas e Credentia ad Altare detulit; Subdiaconus autem infundit quando Celebrans vult purificare Calicem, & digitos.

11. Diaconus poſt datam pacem Subdiacono, vadit ad Librum, ubi facta genuflexione, aſſiſtit, ut priùs: & dum Celebrans ſe communicat, ſtent ipſe, & Subdiaconus manibus junctis profunde inclinati versùs Altare.

12. Acolythus deponit Ampullas ſuper Credentia, & accepto Calicis Velo, illud defert ad Altare, dabitque Subdiacono.

CAPUT XIV.

De Communione, & aliis uſque in finem Miſſæ.

1. POſt digitorum ablutionem, Diaconus defert librum Miſſalis clauſum ad cornu Epiſtolæ, facta genuflexione in ſecundo Altaris gradu, & librum aptat ſuper pulvinar, aperitque in folio, in quo legenda eſt Communio.

2. Subdiaconus verò eodem tempore vadit ad cornu Evangelii, facta genuflexione in inferiori gradu Altaris poſt Diaconum, & ibi Calicem terſum cum Purificatorio, Patena, & Palla cooperit, plicat Corporale, quod reponit in Burſam, & illam ponit ſuper Calicem coopertum Velo, quem ſolus defert ad Credentiam, ut

priùs

prius, facta genuflexione in gradu inferiori: poſtea redit ad locum ſuum cum genuflexione poſt Diaconum. Et dum dicitur Oratio, ſeu Orationes, Miniſtri ſtant a tergo poſt Celebrantem, ut in principio.

3. Dicto a Celebrante *Dominus vobiſcum*, Diaconus, ſtans in loco ſuo, vertens ſe ad Populum cum Celebrante, cantat *Ite Miſſa eſt*. Quo dicto eadem via per latus Epiſtolæ ipſe, & Celebrans vertunt ſe ad Altare. Si vero dicendum, ſit *Benedicamus Domino*, ſtans in loco ſuo versùs Altare junctis manibus illud cantat.

4. Dicto *Placeat*...Diaconus genuflectit in gradu ſuo in cornu Epiſtolæ, & Subdiaconus aſcendens ſimiliter genuflectit in eodem gradu in cornu Evangelii, & Celebrans vertens ſe ad Populum, eadem voce, & modo, quo in Miſſis privatis, ſemel tantum benedicit & tunc Miniſtri, & Acolythi genuflexi, ſiniſtra pectori appoſita profundè ſe inclinantes, dexterâ ſignant ſe ſigno Crucis.

5. Poſtea ſurgunt omnes, Subdiaconus aſſiſtit Celebranti in cornu Evangelii in ſecundo gradu ad ejus ſiniſtram dum dicit Evangelium S. Joannis *In principio*... & tenet Tabellam ipſius Evangelii erectam ante Celebrantem. Diaconus autem ſtabit in latere Epiſtolæ contrà Subdiaconum. Ad *Et Verbum caro factum eſt*, omnes genuflectunt in locis ſuis.

6. Si verò eſſet dicendum aliud Evangelium, Subdiaconus dicto *Ite Miſſa eſt*, defert Miſſale cum pulvino ad cornu Evangelii, facta in medio genuflexione, & poſtea aſſiſtit, ut dictum eſt, & cum Celebrante ſe ſignat more ſolito.

7. Incæpto Evangelio Ceroferarii deſumtis e Credentia Candelabris cum Candelis accenſis, accedunt ad latera Altaris ante infimum gradum, facta priùs in medio genuflexione, ibique expectant, donec Celebrans fecerit

K 2 finem

finem legendi Evangelium. Eo finito Subdiaconus reſpondet *Deo gratias*, & Celebrans deſcendit ab Altari, & Miniſtris,ac Ceroferariis genuflectentibus,ipſe profundam Cruci exhibet reverentiam. Celebrans, & Miniſtri caput cooperiunt, & præcedentibus Ceroferariis, & Acolythis, redeunt in Sacrarium, quò ſtatimac pervenerint, Cruce, ſeu ſacra alia Imagine aperto capite ſalutata, Diaconus, & Subdiaconus ſe inclinant Celebranti, qui capitis modica inclinatione reſpondebit. Poſtea ipſe a Diacono, & Subdiacono adiutus Paramenta deponit, quibus etiam ſe exeunt iidem Miniſtri ab Acolythis pariter adjuti.

CAPUT XV.

De Aſperſione Aquæ benedictæ in Dominicis.

1. CUM debeat diebus Dominicis fieri ſuper Populum Aſperſio Aquæ benedictæ ante Miſſam, Celebrans Pluviali indutus eo ordine ad Altare procedit, ac ſi ad ſolam celebrandam Miſſam accederet. Verùm ubi exiguus ſit numerus Clericorum, Thuriferarius non Thuribulum, ſed Vas Aquæ benedictæ ante Ceroferarios defert, dummodo non fuerit priùs præparatum in Abaco; quò tunc Thuriferarius veniet cum Thuribulo.

2. Diaconus, & Subdiaconus, demtis Manipulis, Dalmaticam, & Tunicellam, vel juxta Eccleſiaſtici temporis occurrentiam Planetas plicatas induent; & medium habentes Celebrantem, in acceſſu ad Altare, & in actu aſperſionis fimbrias Pluvialis anteriores ei elevabunt.

3. Statimac ad Altare pervenerint, ſuper infimum gradum genua flectent, & Celebrans intonabit Antiphonam *Aſperges me*, vel *Vidi Aquam* tempore Paſchali.

chali. Interea Diaconus accipiet Aſperſorium ab Acolytho, & cum oſculis porriget Celebranti, qui adhuc cum Miniſtris genuflexus aſperget Altare in medio, in parte Evangelii, & in parte Epiſtolæ. Inde cum Aſperſorio tanget ſibi frontem, ſe ita aſpergens; Mox aſſurgens aſperget Diaconum, & Subdiaconum genuflexos.

4. Si in Altari expoſitum ſit Sacramentum, Diaconus miniſtrans Aſperſorium abſtinet ab oſculis, & Celebrans non aſpergit Altare.

5. Poſt Miniſtrorum aſperſionem vadit ad Chorum recitans ſubmiſſa voce alternatim cum iiſdem Miniſtris totam Antiphonam *Aſperges me*... cum Pſalmo *Miſerere*..., vel *Vidi aquam*..; facta autem in medio Chori ſalutatione, hinc inde ad digniorem partem accedit, non aſpergens ſingillatim, ſed complures una aſperſione, facta inclinatione ante & poſt; eumdemque modum ſervabit in aſperſione alterius partis. Qui tamen aſperguntur, nudo capite, & inclinati ſtabunt. Verùm ſi ingens non fuerit Fratrum numerus, eos aſperget ſingulatim.

6. Si adſit Miniſter Generalis, poſt aſperſionem Miniſtrorum, Celebrans medius inter eoſdem Miniſtros offeret ei cum reverentiis, & cum oſculis Aſperſorium, & ipſe ſe ſignabit, ſi velit; aliâs a Celebrante aſpergetur.

7. Si interſit Miniſter Provincialis abſque Generali, Celebrans illum aſperget facta priùs, & poſt inclinatione. Quòd ſi ambo inſimul in Chorum convenerint, eodem nunc indicato modo Celebrans ſe geret.

8. At ſi fortè aliquis ex S. R. E. Cardinalibus præſens ſit, Celebrans aſperſo Altare, neque ſe, neque Miniſtros aſperget; at poſt aſperſionem Altaris unacum Miniſtris aſſurgens ad Cardinalem accedit, eique profunda exhibita reverentia, cum oſculis miniſtrabit Aſperſorium, cum quo Cardinalis ſe ſignans, poſtmodum aſperget Celebrantem, & Miniſtros ſingillatim.

9. Epiſcopo Diœceſano, quando ſolus intervenerit, poſt aſperſionem Miniſtrorum in Altari porrigetur cum inclinatione ante, & poſt, & cum oſculis Aſperſorium; & Epiſcopus poſtquam ſe ſignaverit, reddet Aſperſorium Celebranti. Si verò Epiſcopus Diœceſanus adſtet inſimul cum aliis Eccleſiarum Prælatis, idem Loci Epiſcopus tangendum illis exhibebit Aſperſorium, & inde ſe ſignabit. Abſente autem Loci Epiſcopo, & aliis Epiſcopis præſentibus, atque etiam Prælatis in eorum Juriſdictione, quamvis Epiſcopali dignitate inſigniti minimè ſint, Celebrans iis Aſperſorium dabit per contactum ſingulatim, facta illorum ſingulis reverentia; quod præſtabit etiam Miniſtro Ordinis Generali, ſi cum iis adfuerit: Miniſtrum verò Provincialem, ſi cum illis præſens ſit, ipſe Celebrans aſperget cum debitis inclinationibus.

10. Perficiet inde aſperſionem in Choro, poſt quam aſperget Acolythos apud Abacum, & Acolythum Vas Aquæ benedictæ deferentem. Inde accedet ad Presbyterii finem ea ex parte, in qua locum habet Magiſtratus, & cum mediocri inclinatione unumquemque illorum aſperget. Tandem ſe inclinans ad Altare conſiſtet ante oſtium ejuſdem Presbyterii, quin ab eo exeat, & circumeat Eccleſiam; ibique, nulla facta reverentia, Populum aſperget in medio, ad ſui ſiniſtram, & ad dexteram; reddetque Aſperſorium Diacono, quod cum oſculis acceptum tradet Acolytho, qui toto tempore Aſperſionis incedet ad dexteram Celebrantis, quaſi ante Diaconum, Vas Aquæ benedictæ deferens.

11. Si aliquis magnus Princeps interſit, ejus dignitatis ratio inſpicienda eſt, & Loci conſuetudo ſervanda.

12. Finita Aſperſione, Celebrans in plani medio converſus ad Altare ſtat cum Miniſtris, iiſque Librum ſuſtinentibus, cantat junctis manibus Verſus, & Orationem,

nem, qua abſoluta, Diaconus reddit Librum Acolytho. Celebrans autem recedens a medio deponit prope cornu Epiſtolæ Pluviale, & induit Manipulum, & Planetam ab uno ex Acolythis delatam, Miniſtris adjuvantibus, qui etiam ipſi Manipulos ſumunt; & procedentibus ad medium Altaris, Celebrans facta prius Cruci profunda reverentia de more inchoat Miſſam.

13. Quando Feſtum Purificationis occurret in Dominica, ante benedictionem Candelarum fiet Aſperſio, idemque ſervabitur in Dominica Palmarum.

14. Si Miſſa celebretur ſine Miniſtris, poterit fieri Aſperſio a Celebrante induto Stola in modum Crucis ante pectus ſupra Albam ſine Manipulo.

CAPUT XVI.

De Miſſa ſolemni Miniſtri Generalis, & de Presbytero Aſſiſtente.

1. QUando Miniſter Generalis fit Miſſam ſolemniter celebraturus, Eccleſiarum noſtrarum mos eſt, ut præter ea, quæ ad Miſſam ſolemnem communiter præparantur, ſplendidior niteat ornatus Altaris, pretioſiora adhibeantur Paramenta, Miniſtrorum, & Clericorum numerus augeatur, & omnia ad eximiam celebritatem ita comparentur, prout ex priſco enunciato, atque adprobato Ritu Ordinis totius Moderatori, & Prælato debentur. Igitur præter ea, quæ in magnis Eccleſiæ Feſtivitatibus pro Divina Re explenda præparantur, in Abaco undequaque ſerico tegmine cum linea Tobalea cooperto apponetur Bacile argenteum cum Urceolo, & Manutergio, & Inſtrumentum luminis, vulgò Bugia. Item inter Acolythos, qui Miſſæ inſervient, unus Miniſter erit de Bugia: in Chorum autem deferentur ſex,

ſex, vel quatuor ſaltem Intortitia pro elevatione Sanctiſſimi Sacramenti.

2. Scamnum, in quo Miſſæ tempore inſimul cum Diacono, & Subdiacono aſſidebit, obtegetur tàm in ſedili, quàm in ejuſdem Dorſuali cum ſerico nobiliori ornamento, ſuppedaneum autem cooperietur laneo verſicolori Tapete, & in medio Scamni apponetur elegans pulvinar ad ſedendum.

3. Inſuper Presbyter Aſſiſtens dabitur ei aliquis ex Magiſtris in Sacra Theologia, cujus præcipua cura ſit in Sacriſtia Miſſam prævidere, & Miſſalis ſignacula aptè diſponere, ut ei præſtò ſit, & ſuggerat ſubmiſſa voce, & nutu indicet neceſſaria in Altare.

4. Is veſtiet Amictum, Cottam, & Pluviale ſine Stola. Cum e Sacrario ad Altare procedet, erit a dextris Diaconi, & ad Confeſſionem reſpondebit Celebranti itidem ad illius dexteram. Diaconus verò aderit a ſiniſtris Celebrantis, & Subdiaconus quaſi poſt Diaconum, & cùm dicendum fuerit *tibi Pater... te Pater*, caput Celebranti omnes ſimul inclinant.

5. Peracta Confeſſione, ad Incenſationem amovet Miſſale, retrahendo ſe cum eo a parte Epiſtolæ extra Altare, & poſt Incenſationem reponit; ſtanſque prope Celebrantem a ſiniſtris Diaconi, præmonſtrat Celebranti principium Miſſæ, nec diſcedit, ſed dum Celebrans in medium Altaris cum Miniſtris accedit, ipſe ſtat in cornu Epiſtolæ ad Librum, donec ab eodem Celebrante ſubmiſſa voce cum Miniſtris dicatur totus Hymnus *Gloria in excelſis Deo*. Cùm verò Celebrans ad ſedendum accedit, ſedeat & ipſe ſuper ſuum ſcabellum nudum, capite cooperto, & facie ad Populum converſa, prope Celebrantem, a dextris ejuſdem, vel a ſiniſtris, prout ſitus loci patietur, dummodo nec Altari, neque Celebranti renes vertat.

6. Cùm

6. Cùm Celebrans redit ad Altare, & ipſe poſt eum debitis reverentiis a latere Epiſtolæ ad Altare aſcendet, ibique oſtendet Celebranti Orationem, vel Orationes dicendas, nec non Epiſtolam cum Graduali, & Tractu, vel Sequentia.

7. Cantata Epiſtola, tranſibit ad Cornu Evangelii cum debitis reverentiis, ibique Subdiaconum Miſſale deferentem expectabit, & Celebranti Evangelii textum demonſtrabit, eique aſſiſtet, folia, cùm opus fuerit, vertens; Subdiaconus verò poſt eum ſtabit. Lecto Evangelio, deſcendit ad poſteriorem partem ejuſdem Evangelii, ibique ſtat junctis manibus, facie ad Diaconum converſa, donec ille Evangelium cantet: vel retrahet ſe paululum retrò Celebrantem a parte ſiniſtra; ita tamen, quòd neque a ſiniſtris, neque poſt ipſum omnino ſit.

8. Poſt cantatum Evangelium accedit ad Altare cum debitis reverentiis, ibique a ſiniſtris Celebrantis præmonet, ſi dicendum ſit *Credo*, vel *Dominus vobiſcum*, & Miniſtris accedentibus, ut dicant ſubmiſſa voce *Symbolum*, ipſe retrahit ſe ad cornu Evangelii, ubi ſtans, cùm opus eſt, ſe inclinat, & genuflectit cum Celebrante, & ſi ſit ſedendum, ſedet, ut ſupra. Symbolo completo, revertitur cum Celebrante paulò poſt eum, neque amplius recedit a Libro uſque ad Communionem.

9. Ad incenſationem Altaris removet Librum, retrahendo ſe extra cornu Evangelii, & reponit. Item poſtquam thurificatus fuerit Chorus, a Diacono ante Subdiaconum incenſatur. Elevato Sanctiſſimo Sacramento, ſtatim ſurget, & aſſiſtet, ut ſupra. Non enim genuflectit, niſi cùm elevatur Sacramentum; nam in tota Miſſa, quando inſervit cum Libro, non debet unquam genuflectere, etiamſi genuflectat Celebrans.

10. Dicto *Agnus Dei*.., dum Celebrans recitat primam Orationem ante Communionem, ad ejus dexte-

ram junctis manibus genuflexus manet, donec illam abſolverit: Inde aſſurgens, unacum Celebrante oſculatur Altare, ſed extra Corporale: Accipit ab eo Pacem, & flexis genibus Sacramentum adorans, diſtribuit Pacem in Choro: rediens poſtea ad Altare eam dat Diacono, qui dat Subdiacono; tandem facta genuflexione redit ad Librum.

11. Quando Celebrans dicit *Domine, non ſum dignus*, & ſe communicat, junctis manibus ſe inclinat Aſſiſtens; & ſi facienda ſit Communio, retrahit ſe versùs cornu Evangelii facie ad latus Epiſtolæ ſemiverſa. Cùm verò Celebrans ſumit ablutionem, portat Miſſale clauſum ad cornu Epiſtolæ, facta in medio genuflexione; ibique expectat, ut indicet Celebranti, quæ dicenda ſunt. Finitis autem Orationibus claudit Librum, quem tradit Cæremoniario, niſi dicendum ſit particulare Evangelium.

12. Ad Benedictionem genuflectit ſuper gradus Altaris a latere Evangelii, & inde aſſiſtit Celebranti legenti Evangelium S. Joannis, ſive aliud occurrens Evangelium, quo abſoluto, ad dexteram Celebrantis ſalutat in plano Crucem.

13. Notandum hìc eſt, quòd ſi fiat in Miſſa Communio, Presbyter Aſſiſtens Euchariſtiam ſumet ante Diaconum, & Subdiaconum in eorum medio genuflexus.

14. Cùm ſtabit ad Librum, ſiniſtra illum tenebit aliquantulum in ſuperiori parte elevatum, dextera in parte inferiori appoſita: Folia Miſſalis opportunè volvet, & nunquam ſe ſignabit, vel aliquid dicet, etiamſi Celebrans ſe ſignet, & dicat.

15. Quando Celebrans ad Offertorium poſt thurificationem lavat manus, idem Presbyter Aſſiſtens in ſupremo gradu ſtans extra ſuppedaneum Altaris in latere Epiſtolæ, Manutergium ab Acolytho delatum porriget reverenter.

Digitized by Google

16. Item advertendum, quòd ad benedictionem Incenſi, & Aquæ dicendum eſt a Diacono, & Subdiacono, *Benedicite Pater reverendiſſime* Cætera autem ſervantur, prout in aliis Miſſis ſolemnibus, præterquam quod Diaconus nunquam inſervit de Libro.

17. Quæ Generali Miniſtro in hoc Capite præſcribuntur, Ordinis Vicario Apoſtolico Generali pariter convenire videntur.

18. Si Miniſter Provincialis Miſſam ſolemnem celebret, aliquæ honoris ſignificationes ei exhiberi poterunt, non autem quæ Miniſtro Generali præſtantur; eique Presbyteri Aſſiſtentis vice inſerviet Cappellanus, qui in primo acceſſu Celebrantis ad Altare, cum Diacono ad ejus dexteram non incedat, ſed a latere Epiſtolæ extra gradus Altaris Amictu, Superpelliceo, & Pluviali indutus expectet Celebrantem e Sacrario, conſueto ritu venientem.

19. Confeſſionem neutiquam faciet cum Celebrante, ſed in infimo gradu a latere Epiſtolæ flexis genibus illam recitabit cum Acolytho.

20. Finita Confeſſione aſſurget, ibique ſtabit facie verſa ad cornu Evangelii, donec Celebrans legat Introitum. Tunc aſſiſtet Libro eodem modo, quo ſuperiùs dictum eſt de Presbytero Aſſiſtente, & cùm ſedendum erit, ipſe etiam in ſcabello nudo ſedebit converſus ad Populum prope latus Epiſtolæ.

21. Miſſale ſemper ipſe deferet ad Altare; Thurificationem recipiet unico tantùm ductu a Diacono poſt incenſatum Chorum, & Subdiaconum, prout Pax ei dabitur a Subdiacono poſt datam eamdem Pacem in Choro. Itidem ſi fiat Communio, ipſe ſolus eam recipiet poſt Diaconum, & Subdiaconum.

22. Manutergium non miniſtrabit Celebranti poſt manuum ablutionem; & finita Miſſa, cum debitis reve-

Digitized by Google

rentiis recedit, & in eodem loco ſe exuet, quin ad Sacriſtiam pergat cum Celebrante.

23. Quando autem Miniſter Generalis Miſſam planam celebrabit, Paramenta induet ratione majoris, & minoris feſtivitatis. Duo Miniſtri cum Cottis eis inſervient, quorum unus miniſtrabit Inſtrumentum luminis; Manus abluet cum Bacili argenteo, quatuor aut ſex ardebunt Candelæ in Altari, & duo Intortitia ab Acolythis deferuntur pro elevatione uſque ad Communionem.

24. Miniſtro Provinciali in Miſſa lecta unus tantùm Cotta indutus inſerviet; duo Intortitia ad elevationem, & binæ Candelæ in Miſſa ardebunt: Inſtrumento luminis, & Bacili argenteo non utetur, decora tamen Paramenta adhibebit.

CAPUT XVII.

De Officio Diaconi in Miſſa ſolemni.

1. ANtequam Diaconus e Sacrario exeat, cùm miniſtrare debeat Incenſum Celebranti, Naviculam apertam ori ſuo admovebit, & Cochlearis extremitatem parumper ab ipſa Navicula eductam oſculabitur, dicens, *Benedicite Pater reverende*. Cùm autem Celebrans deſumit Cochlear de Navicula, manum illius pariter exoſculatur; at poſt Incenſi impoſitionem, priùs manum oſculatur, exinde Cochlear.

2. E Sacrario egreſſurus, a dextris Celebrantis ſacræ Imagini diſcooperto capite ſe profundè inclinat, & in egreſſu dextera manu, itidem & nudo capite luſtralem Aquam ei porrigit. Incedens autem per Eccleſiam vadit ante Celebrantem junctis manibus, & capite cooperto poſt Subdiaconum.

3. In

3. In Dominicis cùm fiat Aſperſio Aquæ benedictæ, non incedet ante Celebrantem, ſed ad illius dexteram, ſiniſtra manu elevans anteriorem fimbriam Pluvialis, manumque dexteram admotam pectori tenebit.

4. Ingrediens in Presbyterium caput diſcooperit, eodemque tempore, quo Celebrans ante infimum gradum Altaris ſe inclinat Cruci, ipſe ſtans ad ejus dexteram genuflectit in gradu.

5. Reſpondet Celebranti Confeſſionem facienti, & percutit ſibi pectus ad verba *mea culpa....* & versùs Celebrantem caput inclinat, dicens, *tibi Pater*, & *te Pater*.

6. Celebranti ad Altare aſcendenti ſiniſtra manu elevat Albæ anteriores fimbrias, & dum ille oſculatur Altare, ipſe manibus junctis genuflectit cum Subdiacono.

7. Accipit inde a Thuriferario Naviculam incenſi, quam de more miniſtrat, & inde tradit cum oſculis Thuribulum Celebranti, cujus poſteriorem Planetæ partem ſiniſtra manu decenter elevat in thurificatione, & genuflectit unacum Subdiacono, quoties Celebrans facit reverentiam Cruci. Poſt thurificationem recipit cum oſculis Thuribulum a Celebrante, quem extra gradus in latere Epiſtolæ ſtans triplici ductu thurificat, profunda ante & poſt exhibita ei inclinatione.

8. Dum Celebrans in cornu Epiſtolæ ſe ſignat, & legit Introitum, ipſe quoque ſe ſignans adeſt ad ejus dexteram, & alternatim cum eo recitat *Kyrie*.

9. Vadit ad ſecundum gradum Altaris poſt Celebrantem, qui intonat Hymnum *Gloria in excelſis Deo*. Inde genuflectens, ſtatim ad dexteram Celebrantis aſcendit, Hymnum ſimul cum eo recitaturus cum ipſo ſe ſignans & Cruci caput inclinans; eumdemque modum ſervat, quando dicendum eſt Symbolum *Credo*. 10.

Digitized by Google

10. Quando Celebrans dicit *Dominus vobiſcum*, Orationes, Præfationem, & *Pater noſter*... ſemper ſtat poſt Celebrantem; & antequam aſcendat ad Altare e loco ſuo diſceſſurus, ibi prius genuflectet Cruci, poſtea aſcendet ad Altare.

11. Aſſiſtit a dextris Celebrantis legentis Epiſtolam, Graduale, vel Tractum, & quando Celebrans legit Evangelium, ipſe defert Librum ad medium Altaris, pro cantando Evangelio, facta pridem genuflexione in ultimo gradu. Poſtea miniſtrat Incenſum, & flexis genibus in ſupremo gradu dicit *Munda cor meum*..., & deſumto Libro ab Altari, iterum genuflexus Librum quaſi jacentem utraque manu tenens petit benedictionem, dicens *Jube domne benedicere*, & inde dexteram Celebrantis oſculatur. Pectori Librum admovet, & cum Subdiacono a ſiniſtris ſtante, cum Thuriferario, & Ceroferariis, facta priùs genuflexione, vadit ad cantandum Evangelium.

12. Aperto Libro, quem in Subdiaconi manibus deponit, cantat *Dominus vobiſcum*, & dicens *Sequentia*... ſignat Librum in principio Evangelii, inde frontem, os, & pectus; & ſumto Thuribulo, ter incenſat Librum; in medio, a dextris, & a ſiniſtris ejuſdem Libri. In hac actione valde decet, ut ante, & poſt thurificationem Libro caput Diaconus inclinet, prout ad nomina Jeſu, & Mariæ, & ad nomen illius Sancti, cujus Feſtum ea die occurrit. Quòd ſi ſit genuflectendum, Diaconus ad Librum converſus genuflectet.

13. Cùm Celebrans oſculari debeat principium Evangelii; ſi opus fuerit, Diaconus volvet folium, & extenſam manum dexteram loco debito apponet, principium Evangelii quaſi præmonſtrans; Thuribulum inde capiet, & Celebrantem cum profunda inclinatione ante, & poſt incenſabit. Aſcendit ad ſecundum gradum Altaris cum genuflexione, ſtans poſt Celebrantem intonantem *Cre-*

Digitized by Google

Credo in unum Deum, vel cantantem *Dominus vobiſcum*.

14. Si, dum cantatur Symbolum, Celebrans ſedeat, conſidebit & ipſe ad illius dexteram cooperto capite, quod diſcooperiet, Celebrantem, & Subdiaconum ſalutaturus, quando aſſurgit, ut Burſam cum Corporali deferat ad Altare. Accepta autem Burſa, tranſiens ante Celebrantem Diaconus iterum ſe inclinabit, elevatam Burſam uſque ad oculos deferens ambabus manibus per longiorem viam, itaut pars aperta ipſum reſpiciat.

15. Genuflectet in infimo gradu; & aſcendens, Corporale extrahet, in Altaris medio explicabit, Burſamque a parte Evangelii vel jacentem, vel innixam gradui menſæ Altaris deponet, & facta genuflexione, breviori via per gradus Epiſtolæ laterales ad ſedem redibit, ſalutans Celebrantem, & Subdiaconum.

16. Poſt Symbolum, dicto a Celebrante *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, aſcendit ad dexteram ipſius Celebrantis, & amota a Calice per Subdiaconum delato humeralis Veli extremitate, accipit Calicem de manu Subdiaconi, quem in Altari deponit.

17. Si facienda ſit Communio, accipit inde Pixidem, quam diſcooperit, & ſuper Corporale ponit ad dexteram Celebrantis. Mox amovet Pallam e Patena, quam cum oſculis dat Celebranti offerenti majorem Hoſtiam in Patena, & Particulas exiſtentes in Pyxide, quam inde Operculo, ſeu Palla cooperit. Accipit inde a Subdiacono Ampullam vini, illud infundens in Calicem, & poſita aqua a Subdiacono, cum Purificatorio interiùs eum abſterget, ſi guttæ compareant diſperſæ. Inde Calicem cum oſculis præbet Celebranti, dicens cum eo *Offerimus tibi Domine*..., & cum dextera manu tangens pedem Calicis, ſeu dexterum illius brachium eadem manu dextera quaſi ſuſtentans. Poſt hæc Calicem Palla obtegit, & Patenam ponit in dextera Subdiaconi, extremitate Veli humeralis exinde coopertam. 18. Mi-

18. Miniſtrat poſtea Incenſum de more, & Thuribulum; & dum Celebrans incenſat Oblata, ipſe ſiniſtra manu Planetam elevat, & cum dextera pedem Calicis tenet, quem amovet paululùm e medio Corporalis versùs cornu Epiſtolæ, donec Celebrans Crucem thurificet, & inde reponit in medio.

19. Poſt incenſationem Altaris, in qua Planetàm ſemper a poſteriori parte elevat, genuflectens, quando Celebrans ſe inclinat, triplici ductu incenſat Celebrantem, inde duplici ductu Chorum, & Presbyterum Aſſiſtentem, ſi Miſſæ inſerviat, tandem Subdiaconum cum conſuetis inclinationibus, & reddit Thuribulum Acolytho, qui ipſum deduxerat. Tum poſt Celebrantem ad Altaris gradum rediens, Cruci prius genuflectens, thurificatur ab eodem Acolytho, & in loco ſuo ſtat uſque ad finem Præfationis; tunc enim facta genuflexione aſcendit ad dexteram Celebrantis, cum quo dicit *Sanctus*...

20. Vadit inde ad illius ſiniſtram, ut de Libro inſerviat, facta ibi pridem genuflexione. At cùm Celebrans dicit *Quam oblationem* ... denuo genuflectens tranſit ad dexteram, & in ſuppedaneo genua flectit, & Planetam elevat in elevatione Sacramenti. Inde aſſurgens diſcooperit Calicem, quem Palla tegit ſtatimac Celebrans illum in Altari repoſuerit, & repetita genuflexione, tranſit ad ſiniſtram.

21. Advertendum eſt, quòd ſi fiat Communio, ipſe Pyxidem detegit, & quaſi prope Hoſtiam collocat ante verba Conſecrationis, eamque in loco ſuo reponit, & Palla, ſeu Operculo tegit poſt Hoſtiæ elevationem.

22. Tempore, quo Celebrans dicit *Per quem hæc omnia* .., Diaconus Sacramento genuflectit, & a ſiniſtra diſcedens vadit ad dexteram, ut diſcooperiat, & operiat Calicem, quando opus fuerit, genuflectens quoties

ties Celebrans genuflectit, quo incipiente *Pater noſter*. ., facta genuflexione, ad ſecundum gradum poſt illum vadit; & cùm a Celebrante dicitur, *& dimitte nobis debita noſtra*. ., ipſe genuflectens, & rediens ad ejus dexteram diſcooperit Patenam a Subdiacono delatam, quam Purificatorio abſterſam Celebranti præbet cum oſculis, & inde ibi ſtat, ut Calicem detegat, & tegat.

23. Dicit cum Celebrante *Agnus Dei*. ., pectus ſibi cum dextera percutiens, ſiniſtra pectori admota; & inde flexis genibus expectat, ut accipiat Pacem a Celebrante, unacum ipſo deoſculans priùs Altare extra Corporale junctis manibus, non verò iis ſuper Altare appoſitis.

24. In recipiendo Pacem reſpondet, *Et cum ſpiritu tuo*; & flexis genibus ad Sacramentum, deſcendit daturus Pacem Subdiacono. Tum facta in medio genuflexione, vadit ad Librum; junctis autem manibus ſtat, Sacramentum adorans, quando Celebrans dicit, *Domine non ſum dignus*, uſque ad Sanguinis ſumtionem.

25. Si fiat Communio, priuſquam ipſe cum Subdiacono Euchariſtiam ſumat, ſtans in ſupremo gradu a latere Epiſtolæ, converſus ad Celebrantem alta voce recitat *Confiteor*. Inde recipit Communionem, & ſurgens miniſtrat Purificationem ſtans in plano prope infimum gradum in eadem parte Epiſtolæ. Peracta autem Communione, defert cum debitis genuflexionibus Miſſale clauſum e cornu Evangelii ad cornu Epiſtolæ, & Celebranti Communionis legendæ locum indicat. Deinde vadit poſt Celebrantem, & ſtat conversus ad Altare, donec Celebrans abſolutis Orationibus dixerit, *Dominus vobiſcum*. Tunc enim Diaconus, facta genuflexione, ſe vertens ad Populum cantat *Ite Miſſa eſt*. Quòd ſi dicendum ſit *Benedicamus Domino*, neque genuflectit, neque ſe vertit ad Populum.

26. Dicto *Ite Miſſa eſt*, recedens a medio, & a de-

a dextris Subdiaconi in eodem gradu versùs Altare genuflexus, recipit inclinatus benedictionem Celebrantis; ad cujus ſiniſtram in ſuperiori gradu ſtat, (idque melius quàm ſi ſtat in latere Epiſtolæ contra Subdiaconum) donec ultimum Evangelium Celebrans recitaverit. Poſtea unacum Celebrante ſe inclinat Cruci, & deſcendit ab Altare, factaque genuflexione in plano, ordine, & loco, quo venerat, abit in Sacrarium capite coopero.

27. Ibi ſalutat Imaginem, & Celebrantem, eumque Sacris Veſtibus ſpoliat.

CAPUT XVIII.

De Officio Subdiaconi in Miſſa ſolemni.

1. SUbdiaconus ſive Tunicella ſit indutus, ſive ſit in Albis, adjuvabit Diaconum, qui veſtit Celebrantem, & procedet cooperto capite ad Altare junctis manibus præcedens Diaconum; at ſi Celebrans deferat Pluviale, anteriorem fimbriam ei elevabit a ſiniſtris, & ante Diaconum non incedet.

2. Egrediens e Sacrario recipiet a Cæremoniarum Magiſtro Aquam Luſtralem, quam porriget Diacono. In Presbyterio nudabit caput; & facta genuflexione in plano, reſpondebit Celebranti ad Confeſſionem cum Diacono, ſe ſignans, & pectus percutiens ad *Confiteor*. Signabit autem ſe, quoties Celebrans ſe ſignat, & versùs illum ſe inclinabit, cum dicet *tibi Pater*, & *te Pater*.

3. Albam dextera manu attollet Celebranti, quando Altare aſcendet, & manibus junctis genuflectet ſimul cum Diacono, quando Celebrans oſclatur Altare. In thurificatione Altaris ſtans a ſiniſtris Celebrantis, dextera manu elevabit cum Diacono poſteriorem Planetæ partem, genuflectens quoties Celebrans Cruci ſe inclinat,

nat; & ſtabit in plano prope Diaconum ad ſiniſtram, dum thurificat Celebrantem.

4. Adnotandum eſt, quòd miniſtri Celebrantis, Diaconus ſcilicet, & Subdiaconus, quandocumque genuflectunt, nunquam Altare tangunt, ſed junctas manus tenere debent.

5. Ad Introitum ſtabit a dextris Diaconi junctis manibus apud latus Epiſtolæ, & reſpondebit ad *Kyrie*.

6. Quando Celebrans dicturus eſt *Gloria in excelſis Deo*, accedit ad medium Altaris poſt Diaconum; & intonato Hymno, genuflectit. Inde aſcendit ad Altare, Hymnumque recitans junctis manibus ad ſiniſtram Celebrantis caput cum eo inclinat, & in fine etiam ipſe ſe ſignat inſimul cum Celebrante, & Diacono; idemque facit, quando dicendum eſt *Credo*... Poſtea deſcendit ab Altare, & in ſuo loco ſtat retro Diaconum, dum Celebrans dicit, *Dominus vobiſcum*, & Orationes.

7. Circa finem ultimæ Orationis accipit Librum Epiſtolarum ab Acolytho, & facta ante medium Altaris genuflexione, cantat Epiſtolam in plano Presbyterii contra Altare in eadem parte Epiſtolæ; Librum clauſum pectori admotum in incedendo ita portat, ut pars Libri, quæ aperitur, ejus ſiniſtram reſpiciat. Illum inde aperit, & cantat Epiſtolam, qua finita, Librum claudit; rediens ad medium Altaris genuflectit; inde a latere Epiſtolæ genibus flexis converſus ad latus Evangelii Librum erga Celebrantem inclinans, oſculatur ejus manum Libro ſuperpoſitam; & benedictionem ab eo recipit. Poſtea aſſurgens tradit Librum Acolytho, & defert Miſſale clauſum ad latus Evangelii, cum genuflexione tranſiens ante medium Altaris. Ibi deponit, & aperit Miſſale, quod ſiniſtra manu ſubſtentat ſtans in ſupremo gradu a ſiniſtris Celebrantis, dum iſte legit Evangelium; eoque lecto, Subdiaconus collocat Miſſale prope ad medium Al-

 taris,

taris, ut Celebrans commodè legere poſſit Offertorium, Poſtea deſcendens in planum, prope infimum gradum anteriorem ejuſdem lateris expectat, donec tempus fiat cantandi Evangelium. Tunc enim a ſiniſtris Diaconi genuflectens, cum eodem vadit ad locum Evangelii, ibique converſa facie ad Diaconum, ambabus manibus Librum accipit, & apertum, & elevatum ita tenet ante pectus ad commoditatem cantantis; ut pars Libri ſuperior ſit oculis ſuis aliquantulùm altior, & Diaconum cantantem non videant: Quamvis autem Diaconus debeat aliquando genuflectere, vel caput inclinare, attamen Subdiaconus immobilis ſtabit, neque unquam inclinabit, neque genuflectet; Verùm cantato Evangelio, ipſe Librum adhuc apertum retinens abſque ulla genuflexione, vel inclinatione, etiamſi Sanctiſſimum Sacramentum ſit expoſitum, Celebranti oſculandum defert, inde clauſo Libro, Celebranti ſe inclinat, & in planum deveniens prope infimum gradum anteriorem in cornu Epiſtolæ Librum dat Acolytho.

8. Quando Celebrans intonat *Credo*, ſtat poſt Diaconum; & inde facta genflexione, aſcendit ad Altare, eaque peragit, quæ ſuperiori n. 6. ſunt præſcripta.

9. Quando Celebrans poſt Symbolum dicit, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus*, ſtat in medio poſt Diaconum: Inde facit genuflexionem, & accedit per longiorem viam ad Credentiam; & Velo humerali ab Acolytho ad ejus humeros appoſito, manu ſiniſtra accipit Calicem cum Patena, Hoſtia, & Palla eodem humerali Velo coopertum, & dextera ſuperpoſita defert ad Altare ad dexteram Diaconi, breviori via incedens.

10. Statimac Diaconus dat Celebranti Patenam, ipſe abſtergit Calicem cum Purificatorio, Ampullamque vini tradit Diacono, & elevans aliquantum ampullam aquæ dicit Celebranti, *Benedicite Pater reveren-*

rende, & paucas aquæ guttas infundit in Calicem. Mox dextera manu nuda accipit Patenam a Diacono humeralis Veli extremitate coopertam; ita ut anterior pars ejuſdem Patenæ ſit verſa ad ipſum Subdiaconum, & accedit ad medium Altaris, ubi ſuper infimum gradum facta genuflexione, ſtat uſque ad finem Orationis Dominicæ, elevatam uſque ad oculos Patenam tenens, ſiniſtra manu dextero brachio appoſita. Quamvis autem *Rubrica Miſſalis* præcipiat, ut Subdiaconus aſcendat ad Altare dicturus *Sanctus* cum Celebrante; attamen omnium Patriarchalium, aliarumque Almæ Urbis Ecccleſiarum, necnon Sacelli Pontificii ritus eſt, ut non aſcendat ad *Sanctus*, ſed poſt Celebrantem ſtet, neque unquam genuflectat, niſi ad elevationem Sacramenti.

11. Dum Celebrans ad *Pater noſter* dicit, *Et dimitte nobis debita noſtra*, præmiſſa genuflexione accedit per breviorem viam ad Altare in cornu Epiſtolæ, & Patenam a Diacono diſcoopertam ei porrigit, & deponit Velum humerale, rediens ad medium Altaris in plano, facta prius genuflexione prope Diaconum in loco, a quo diſcedit.

12. Quando dicitur *Pax Domini*, denuo genuflectens accedit ad ſiniſtram Celebrantis, qui poſt coopertum Calicem dum genuflectit cum Diacono, genuflectet inſimul quoque Subdiaconus, & cum iis percutiens ſibi pectus dicit, *Agnus Dei*...; factaque ibi genuflexione, revertitur ad plani medium.

13. Recipit ibi Pacem a Diacono; poſtmodum genuflectens defert Pacem in Chorum, eam dans primo cujuſcumque Ordinis, dignioribus priùs, inde minus dignis; tranſiens verò ab una ad aliam Chori partem genuflectit in medio, neque ulli ſe inclinat, niſi poſt datam Pacem. Revertitur inde ad Altare, & dat Pacem Cæremoniario, quia Sacerdos eſt, non autem Acolytho,

qui

qui eum deduxerat, & ſtatim facta genuflexione, tranſit ad dexteram Celebrantis, quo genuflectente, etiam ipſe genuflectit; Calicem opportunè diſcooperit, vinumque, aquam, & Purificatorium pro purificatione, & ablutione ei miniſtrat. Dum Celebrans dicit, *Domine, non ſum dignus*..., & ſe communicat, ſi ad Altare reverſus fuerit, junctis manibus inclinatus ſtabit ſemiverſus ad Sacramentum.

14. Si fiat Communio, ipſe ante omnes genuflexus ad ſiniſtram Diaconi communicabitur; poſtea aſſurgens ſtabit a latere Evangelii ſuper ſecundum gradum converſus ad latus Epiſtolæ junctis manibus uſque ad finem Communionis. At ſi non fiat Communio, poſt Purificationem Celebrantis, facta genuflexione ante medium Altaris, ibit ad partem Evangelii; Calicem abſterget, quem Purificatorio, Patena, & Palla cooperiet: Velum ab Acolytho delatum ſuperponet, Corporale plicatum immittet intra Burſam, ſupra quam anteriorem Veli partem revolvet; & facta in medio plani genuflexione, deferet ad Credentiam, manu dextera ſupra Burſam appoſita, ibique explicans anteriorem partem ejuſdem Veli, Calicem teget.

15. Per breviorem redibit ad Altare, & in plano ſtabit poſt Diaconum uſquequo iſte dixerit, *Ite Miſſa eſt*. Tunc enim aſcendet ad gradum, in quo ſtat Diaconus, ad cujus ſiniſtram congruo ſpatio diſtans, & genuflexus, reverenter accipiet Benedictionem

16. Si dicendum ſit particulare Evangelium, ipſe deferet cum genuflexionibus Miſſale ad cornu Evangelii, & aſſiſtet Celebranti illud legenti; prout ſi recitetur Evangelium Sancti Joannis, ipſe tenebit Tabellam; & quamvis in Evangelii recitatione Celebrans genuflectat, Subdiaconus ſtabit, nunquam genuflectens. Completo autem Evangelio, Crucem cum inclinatione ſalu-

ſalutat a ſiniſtris Celebrantis in medio Altaris, & deſcendens genufleƈtit Cruci in infimo gradu. Tandem Ceroferariis præeuntibus redit ante Diaconum una cum Celebrante in Sacrarium capite cooperto.

CAPUT XIX.

De Magiſtro Cæremoniarum, & ejus officio.

1. MAgiſter Cæremoniarum, qui in Eccleſiis noſtris ſaltem majoribus deputari debet, Sacerdos ſit, morum gravitate præditus, in miniſterio Eccleſiaſtico, Sacris aƈtionibus, ac Cæremoniis eruditus, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ amantiſſimus: Sit omni prorſus corporis deformitate carens, quo officium ſuum decorè, ac pro rei dignitate exequi poſſit; gravis in omni aƈtu ſuo; quòd ſcilicet, non diſcurrat velociter, non caput leviter volvat, aut manus agitet, & denique rite, modeſtè, ac religiosè cunƈta perficiat; maximè verò in ſolemnioribus ſit attentus, ut loco, ac tempore ſuo benè diſponantur univerſa.

2. Si quid extraordinarium agendum erit, præcipuè verò, ſi qua ſolemnitas occurrat, Vicarius Chori, conſulto ipſo Magiſtro Cæremoniarum, Miniſtros in conſueta Tabella deſignabit.

3. In iis, quæ non ita frequenter occurrunt, re priùs cum Superiore, ut decet, communicata, prævideat omnia, atque juxta debitam formam diſponat, & cæteros in Cæremoniis inſtruat.

4. Errata in ipſo aƈtu, ſi quæ contingunt, vel modeſtè, ac leniter corrigat, vel ſilentio, maximè ſi fuerint levia, tranſeat, opportuno tempore exinde admonenda.

5. Eos, qui ſacris Ordinibus initiantur, vel primam

in Choro ; non tamen dum reportat Calicem ad Credentiam ; vadit ſiquidem, & redit ipſe Subdiaconus ſolus per breviorem viam, ut adſit ad Orationem poſt Diaconum in loco ſuo.

13. Completa Miſſa, eodem ordine, quo venerant, deducit Celebrantem cum Miniſtris ad Sacriſtiam.

14. Eadem reſpectivè obſervabit ad Veſperas, cùm ſolemniter celebrantur, & in reliquis Officiis, quæ ſolemni ritu perficiuntur; tum in Exequiis, & Abſolutione ad tumulum, ut infra ſuo loco.

15. Ferialibus functionibus, & ubi ſinguli diligenter ſuum ſequuntur munus, Cæremoniarum Magiſter poterit non adeſſe.

16. Moneat quot Cerei in Altari ſint accendendi pro qualitate Feſtorum, & Officiorum.

17. Curet quoque, ordinem obſervari diligenter pulſandarum Campanarum in ſolemnioribus.

18. In Proceſſionibus ad ipſum ſpectat omnes ritè, & ordine ſuo dirigere, & curare, ut nullo modo interrumpatur, vel perturbetur Proceſſio, atque ut pari paſſu, gravi inceſſu, debitaque diſtantia omnes ac ſinguli progrediantur, celeri quadam, ſed gravi iteratione, ſi opus ſit, diſcurrendo, utque omnia, præcipuè eodem ritu, cantentur, atque dicantur, provideat.

19. Superior autem localis, qui contìnuè, niſi legitimè impeditus fuerit, in Choro adeſſe debet, curabit in primis, ut Divinum Officium debitè perſolvatur, invigilando ſcilicet, ne quid prætermittatur, neve abſurdè, vel indecorè, aut perturbatè fiat. Cæremoniario verò, ut rite officium ſuum exequatur, ipſe Superior ſocium adjungat, & alios de Choro præmoneat, ut ipſi Cæremoniario in his, quæ ad officium ſuum, cultumque Divinum, & Cæremoniarum obſervantiam ſpectant, ſine contradictione obediant, nec tantùm

N

tùm ejus verbis acquieſcant, ſed ut oculos in ipſum convertentes obſervent, & illico illis nutu, aut levi aliquo ſigno, vel intuitu, quid agendum ſit, ſignificanti, ſtatim pareant.

20. Habenda tamen diſtinctio erit inter Vicarium Chori, & Magiſtrum Cæremoniarum, ne mutuò ſe impediant, ſed unuſquiſque intra limites ſui officii ſe contineat. Ubi verò non fuerit Magiſter Cæremoniarum, idem Chori Vicarius hoc munere fungetur, qui propterea ſacrarum Cæremoniarum peritiam habere debeat.

CAPUT XX.

De Officio Thuriferarii in Miſſa ſolemni, & in Veſperis.

1. UNus ex Acolythis Thuriferarii munus expleturus ita geſtabit Thuribulum, cum Celebrans impoſiturus erit Incenſum, ut ſiniſtræ manus auriculari digito in grandem manubrii annulum, pollice autem in alterum catenulæ mediæ immiſſo, operculum thuribuli elevatum teneat. Naviculam, quam tantùm aperiet in Incenſi impoſitione, manu dextera in pede, quaſi pectori admotam deferet, ejuſque pars, quæ aperitur, a parte exteriori erit, non verò pectus reſpiciet.

2. Non abs re eſt, modum & ritum hìc exponere, qui in Cappella Summi Pontificis ſervatur in deferendo Thuribulo. Thuriferarius tenens Thuribulum, pollicem ſiniſtræ manus in Manubrii annulum injicit, & manu dextera attrahens catenulam mediam ferè uſque ad ſummitatem Manubrii, eamdem catenulam, ne defluat, pollice, & indice perſtringit, partemque illam, quæ pendula remaneret, ejuſdem ſiniſtræ manus pulſui concinnè ſuperponit; tum reliquas tres catenulas manu de-

dextera prope earum medium in unum redigit, & Thuribulum ita Diacono offert.

3. Alterutro ex his modis ſibi Thuriferarius præſtituto ad incenſi impoſitionem, tam in ſtando, quàm in incedendo dextera manu Thuribulum apertum, ſiniſtra autem naviculam clauſam tenebit, illudque lentè agitabit, ne ignis extinguatur. In incenſandis Perſonis catenularum extremitatem prope manubrium ſumet manu ſiniſtra, & cum dextera alias catenas inſimul prope operculum tenebit. Daturus Naviculam Diacono, nunquam ſiniſtra, ſed dextera tantùm manu id aget, & ſine oſculis; daturus verò Thuribulum, benè clauſo operculo, ſibi ponet ſummitatem catenularum in dextera, & reliquas catenas prope operculum in ſiniſtra. Facilius etiam tradere Thuribulum Diacono poterit dextera manu ſuppoſita manubrio ad catenularum ſummitatem.

4. Primò igitur miniſtrabit Thuribulum in Sacrario, ſtatim ac Celebrans ſacris Veſtibus fuerit indutus, & inde ante Ceroferarios ad Eccleſiam procedet. Cùm autem ad Altare devenerit, medius inter Ceroferarios genuflectens prope Credentiam conſiſtit. Inde genuflectit Confeſſioni; & Thuribulum leviter agitans, neque ſe ſignat, neque ad *Confiteor* pectus ſibi percutit.

5. Peracta Confeſſione, quando Celebrans ad Altare aſcendit, facta priùs genuflexione in plano, per gradus Epiſtolæ laterales incedens Naviculam dat Diacono, & Thuribulum elevat ante Celebrantem, quod poſt datam benedictionem ad ſe retrahit. Accipit ſiniſtra manu Naviculam a Diacono, cui ſuperiùs indicato modo præbet Thuribulum, & diſcedens ponit Naviculam ſuper Credentiam. Verùm deſcendens ab Altare genuflectit in plano: genuflectet enim ſemper, quandocumque miniſtraturus Thuribulum aſcendit, & deſcen-

dit ab Altare ; huncque ritum ſervabunt cæteri Acolythi in acceſſu, & receſſu.

6. Poſtquam Celebrans fuerit thurificatus a Diacono, ſtans a ſiniſtris recipit Thuribulum, quod certo loco deponit, & inde revertitur ad Credentiam.

7. Poſt cantum Epiſtolæ, delato per Diaconum libro Evangeliorum ad medium Altaris, genuflectens in plano aſcendit lateraliter ad Altare, & miniſtrat Naviculam, & Thuribulum : Thure impoſito a Celebrante ſtat in plano quaſi ante infimi gradus angulum converſus ad Altare, quouſque ad ejus medium procedat inter Ceroferarios, quando Diaconus Evangelium cantaturus accipit benedictionem a Celebrante. Tunc enim facta inſimul cum Ceroferariis geneflexionē illos antecedit, & locum ſibi ſumit prope Diaconum ad ejus ſiniſtram, ſed non in eadem linea, quando cantatur Evangelium. Porriget illi Thuribulum pendulum per Manubrium, vel catenularum ſummitate in illius ſiniſtra manu appoſita, & in dextera catenulis ſimul unitis prope operculum Thuribuli; quod poſt incenſationem recipiet a Diacono, & elato paululùm operculo leviter agitabit.

8. Cantato Evangelio, tradet iterum Thuribulum Diacono, prope cujus dexteram aderit ; & thurificato Celebrante, recipiens Thuribulum ab eodem Diacono, & genuflectens Altari, ibit ad Credentiam.

9. Poſt Offertorium redit ad Altare, & poſtquam miniſtraverit Diacono Naviculam, & Thuribulum, expectat in plano prope gradus laterales in parte Epiſtolæ, donec Celebrans fuerit thurificatus. Tunc enim præcedens Diaconum ad Chorum, ad illius ſiniſtram ſtat in ejuſdem Chori incenſatione, ſemper ſe inclinans cum eo, & genuflectens quoties ab una parte Chori tranſit ad aliam, ſi Diaconus Altari faciat genuflexionem.

10. In redeundo ad Altare Thuriferarius comitatur

tur Diaconum, qui incenſat Subdiaconum; deinde Thuriferarius incenſat Diaconum duplici ductu, unico autem Ceremoniarium, & Acolythos indè ſine mora. Poſtea genuflectit in medio, & prope ingreſſum Presbyterii facta ante & poſt mediocri inclinatione, thurificat Populum triplici ductu; in medio ſcilicet, inde ad ſui ſiniſtram, tandem ad dexteram. Si in Altari fuerit expoſitum Sacramentum thurificabit Populum a latere Evangelii, non omiſſa genuflexione in medio Presbyterii. Si adſint Magiſtratus, antequam thurificet Populum, ad illos accedit, & eorum ſingulis facta ante, & poſt mediocri inclinatione, illos incenſabit duplici vel unico ductu juxta Locorum conſuetudinem.

11. Quando Celebrans eſt prolaturus verba Conſecrationis, ipſe imponit Incenſum in Thuribulum, & venit ad latus Epiſtolæ in ſupremo gradu genuflectens. Ad Elevationem verò ſacræ Hoſtiæ ter illam incenſat, prout ter incenſat Calicem, profundè ſe inclinans, quando Celebrans genuflexus adorat. Poſt Elevationem aſſurgens diſcedit, & dimittit Thuribulum.

12. Hæc ſunt onera Thuriferarii in Miſſa; in Veſperis autem non ibit ante Ceroferarios cum Thuribulo, ſed inſimul cum aliis Acolythis; Nam cùm ad Veſperas non fiat Incenſatio in principio, veluti in Miſſa, Thuribulum non erit deferendum.

13. Igitur ad Hymni finem præparabit Thuribulum, cum quo, & Navicula anteibit Celebrantem, quando ad Canticum *Magnificat* vadit ad Altare. Facta genuflexione conſiſtet in plano prope gradus laterales in cornu Epiſtolæ, & lateraliter aſcendet ad Altare, quando aſcendit Celebrans. Tempore autem, quo ille oſculatur Altare, præbebit Naviculam Aſſiſtenti ad dexteram, cui poſt impoſitionem Incenſi porriget Thuribulum. Incenſato Altare recipit ab eodem primo Aſſi-
ſtente

Digitized by Google

ſtente Thuribulum, quod ei reddit poſtquam Celebrans ad ſedem ſuam reverſus, & incenſatus fuerit; dummodo duo tantùm ſint, qui in hujuſmodi Veſperis habeant Pluvialia. Verùm ſi præter duos Aſſiſtentes adſint Cantores Pluvialibus induti, Thuribulum dandum erit primo Cantori, qui thurificabit Celebrantem, & Fratres digniores in Choro, inde Aſſiſtentes, & Cantores. Tunc Thuriferarius recipiet Thuribulum, & cum inclinatione mediocri incenſabit Cantorem; inde præmiſſa ad Altare genuflexione, accedit ad Chorum, & cum unica inclinatione, quam repetit ad unam alteramque Chori partem, thurificat omnes ſine mora, primùm à parte Choris, inde ad partem alteram; Poſtmodum incenſat Acolythos quoque ſine mora ſtantes apud Credentiam; Magiſtratum verò ſingulatim, & Populum triplici ductu. Fuſius de his agetur *infra*, quando ſermo fiet de Veſperis ſolemnibus.

14. Eſt hìc advertendum, quòd tempore Incenſationis, ſi cantetur *Gloria Patri*, Thuriferarius debet ſe inclinare versùs Altare, & intermittere incenſationem, a qua penitus ceſſabit, etiamſi non ſit finita, ad Verſum *Dominus vobiſcum* ante Orationem.

CAPUT XXI.

De Ceroferariis.

1. CEroferarii geſtantes Candelabra ſemper incedunt poſt Thuriferarium. Miſſæ ſolemnis tempore locum habent prope Credentiam, niſi ſedeant ad *Gloria in excelſis*, & ad *Credo* in gradibus Altaris; genuflectunt autem ad Confeſſionem, ad Elevationem, & ad benedictionem in fine Miſſæ.

2. In deferendis Candelabris ita ea tenere debent, ut qui

ut qui a parte dextera incedit, ponat manum ſiniſtram in pede Candelabri, dexteram verò ad medium ejuſdem Candelabri globum; & qui incedit a parte ſiniſtra, apponat dexteram ad pedem, ſiniſtram verò ad globum ſupra pedem.

3. In egreſſu e Sacrario inclinare ſe debent vel ad Crucem, vel ad Imaginem, & genuflectere ſemper ante Altare. In Miſſa Candelabra collocant ſive ad interiores, ſive ad poſteriores angulos Credentiæ prout ſinit rerum, quæ inibi ſunt, diſpoſitio.

4. Ad Evangelium, quando Diaconus petit benedictionem a Celebrante, accedunt ad Altare, & ante infimum gradum ſe locant hinc inde: genuflectunt Altari, & poſt Thuriferarium accedunt ad locum Evangelii, ibi medium excipientes Subdiaconum converſa facie ad Diaconum, donec cantetur Evangelium; quo finito, eodem tempore, quo Subdiaconus portat Librum oſculandum Celebranti, recedunt, & facta Altari genuflexione, deponunt Candelabra in Credentia, & apud illam ſtant, donec recitetur Symbolum.

5. Si ad Evangelium quandocumque genuflectendum ſit a Diacono, prout in tertia Miſſa Nativitatis Domini ad Evangelium S. Joannis, & in Feſto Epiphaniæ, ipſi non genuflectent, ſed ſtabunt.

6. Si ad Elevationem tenere debeant Intortitia, dicto *Sanctus*, accedunt ad Altare, genuflectunt in plano; inde ſurgentes ſalutant Chorum, ſi ſit ante Altare, & ſibi ipſis mutuam capitis inclinationem faciunt. Inde utroque genu flexo ſtant ante Altare aliquantùm diſtantes ab inferiori gradu, ita tenentes Intortitia; ut illorum extremitas pavimento adhæreat, & qui manet a parte Epiſtolæ, teneat Intortitium manu dextera; qui verò eſt a parte Evangelii, teneat ſiniſtra.

7. Ad elevationem attollent Intortitia, extrema

ma eorum parte pectori admota uſque ad Calicis depoſitionem incluſivè : & inde ab Altari diſcedunt. Et ſi facienda ſit Communio, poſt acceſſum ante Altare ut ſalutent Crucem, retrahent ſe ad latera hinc inde, ut genibus flexis ſuſtineant Intortitia, uſquequò ſit peracta Communio. Genuflexi itidem permanebunt uſque ad Sanguinis ſumtionem in Miſſis Feriarum Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, ac in Miſſis Defunctorum, excepta Vigilia Paſchæ, & Pentecoſtes, ac Nativitatis Domini, necnon Quatuor Temporum Pentecoſtes.

8. Poſſunt etiam deferre ad Altare Ampullas tam ad Offertorium, quàm ad purificationem ſumendam a Celebrante; & quando non deferunt Candelabra, miniſtrare in omnibus, quæ ſpectant ad Acolythos.

9. Quando Celebrans recitat ultimum Evangelium, ſumunt Candelabra, & ſe locant hinc inde ante infimum Altaris gradum omnium poſtremi. Expectant donec Celebrans deſcendens ab Altare Crucem ſalutet; nam tunc ipſi facta genuflexione diſcedunt.

10. Ad Veſperas procedent e Sacriſtia modo eodem, quo in Miſſa; & cùm ante infimum gradum devenerint, facta genuflexione deponunt Candelabra in plano ad latera Altaris, & Candelas extinguunt.

11. Si alicubi mos ſit collocandi Candelabra ſupra Credentiam, lateraliter diſponentur, & Candelæ non extinguentur.

12. Quando cantatur quintus Pſalmus, cum genuflexionibus accedunt ad Altare, & Candelam ſuam unuſquiſque accendit in Candelabris, cum quibus ad finem Antiphonæ evadunt ad Celebrantem, cui ſe inclinant; & verſa facie ad invicem ſtant prope Legile, donec ipſe cantet Capitulum, & intonet Hymnum, quo intonato, facta ei reverentia, & Altari genuflexione deponunt

ponunt Candelabra cum Candelis accenſis, quæ non amplius extinguuntur.

13. Si Candelabra apponantur in Credentia, Ceroferarii non accedent ad Altare, nec genuflectent, ſed abſque genuflexione, & recta via ibunt ad Credentiam.

14. Quando poſt *Magnificat* repetitur Antiphona, Ceroferarii cum Candelabris redibunt ad Celebrantem, & ut prius inſervient, nec diſcedent, donec a Celebrante poſt Orationem dictum fuerit *Dominus vobiſcum*. Tunc Celebranti ſe inclinantes ibunt ad Altare, & facta genuflexione, conſiſtent paululùm diſtantes ab ultimo gradu, locum dantes Celebranti, & Aſſiſtentibus, nec genuflectent ad cantum Antiphonæ Beatæ Virginis Mariæ, ſed erecti ſtabunt. Abſoluta Antiphona cum Oratione, genuflectent Altari; & omnium primi diſcedent.

CAPUT XXII.

De Miſſa, quæ cantatur ſine Miniſtris.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. VI. 8.

SI quandoque Celebrans cantat Miſſam ſine Diacono, & Subdiacono, Epiſtolam *cantat in loco conſueto aliquis Lector Superpelliceo indutus, qui in fine non oſculatur manum Celebrantis*: Evangelium *autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Evangelii, qui & in fine Miſſæ cantat*, Ite Miſſa eſt, *vel*, Benedicamus Domino, *aut*, Requieſcant in pace, *pro temporis, & Miſſæ diverſitate.*

1. IN Eccleſiis minoribus, quæ ſufficientes non habent Miniſtros, Miſſa ſine Diacono, & Subdiacono, ſed

cum Acolytho, etiam diebus Dominicis, & aliis Feſtis cantabitur, & tunc Celebrans Calicem, & Acolythus Librum deferre poterunt, cum ad Altare acceſſuri ſint; vel utrumque in eodem Altari, dum dicitur Tertia, præparari facient, ac ſaltem quatuor Candelæ ſub finem Tertiæ accendendæ erunt. Quod ſi facienda ſit aſperſio Aquæ benedictæ, cum vaſculo, & aſpergillo præcedet Acolythus, & Celebrans ſequetur Pluviali, vel ſaltem Stola ſuper Alba indutus, factaque Aſperſione, ſumit Planetam in plano ad cornu Epiſtolæ.

2. Cantat clara voce in hac Miſſa Celebrans, *Gloria in Excelſis* . . , Orationes, Evangelium, *Credo*, *Dominus vobiſcum*, & *Oremus* ante Offertorium, Præfationem, *Pater noſter*, *Per omnia*, & *Pax Domini*, *Dominus vobiſcum*, *Ite Miſſa eſt*, vel *Benedicamus Domino*; reliqua ſubmiſſa voce legit, Acolytho reſpondente, ubi Chorus non reſpondeat; prout ſubmiſſa voce recitabit Kyrie, & Epiſtolam in eodem cornu Epiſtolæ. Epiſtola verò cantabitur, ut in *ſuperiori Rubrica*.

3. Altare non incenſabitur, neque dabitur Pax. Acolythus non niſi ad Confeſſionem, elevationem Sacramenti, & Communionem genuflectet.

4. Ad elevationem Sacramenti poterunt deferri duo Intortitia, ſi adſint, qui deferant præter Acolythum neceſſarium, quæ poſt elevationem extinguentur. In Miſſis pro Defunctis eadem ferè ſunt obſervanda, omiſſis omittendis.

CA-

CAPUT XXIII.

De Miſſæ Celebratione coram Prælatis.

1. QUi coram Prælato, Cardinali ſcilicet, Archiepiſcopo in ſua Provincia, vel Epiſcopo in ſua Diœceſi, & non aliis, celebrabit, primò eum præcedit ad Altare; & ibi in infimo gradu a cornu Evangelii ſtans expectat, & dato ſigno incipiendi Miſſam, aliquantùm verſus Altare, facta priùs inclinatione profunda Prælato, & Altari reverentia debita, facit Confeſſionem, in qua dicit *tibi Pater*, & *te Pater*, profundè ſe illi inclinans.

2. Dicto *Oremus*, facta Prælato reverentia, accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit *Aufer a nobis*, ut aliàs.

3. In fine Evangelii Celebrans non oſculatur Librum, neque dicit *Per Evangelica dicta* . . , defertur autem oſculandus Liber Prælato.

4. Pro pace danda Prælato, poſt primam Orationem *Domine Jeſu Chriſte* . . , oſculatur Altare in medio, & deinde oſculatur Inſtrumentum ſibi a Miniſtro porrectum, & dicit *Pax tecum*.

5. Antequam det benedictionem poſt verba *Omnipotens Deus*, converſus ad Prælatum, capite inclinato, quaſi licentiam benedicendi petit, & aſtantes benedicit ab ea parte, ubi non adeſt Prælatus.

6. Poſt abſolutum ultimum Evangelium, convertit ſe versùs Prælatum, eique reverentiam facit, & non priùs diſcedit, quàm Prælatus abierit.

7. Erga alios Prælatos inferioris ordinis, non ea ſunt præſtanda, quæ ſupra relata ſunt; poterit tamen Pax dari, ea prorſus ratione, de qua ſupra, & fini-

finita Miſſa poterit Celebrans eis reverentiam facere, non tamen de Altari, ſed quando diſcedit, & quidem operto capite.

CAPUT XXIV.

De Prima Miſſa novi Sacerdotis.

1. SI Miſſa celebretur ſolemniter, fiant omnia, ut in *Cap. antecedentibus* de Miſſa ſolemni notatur, & Sacerdoti novo aliquis Sacerdos Cotta indutus, & in Ritibus Sacris verſatus aſſiſtet.

2. Si non celebret ſolemniter, Altare parabitur ſolitò feſtivius, & ſuper eo ſex Candelæ poſſunt accendi, & paramenta erunt ex pulchrioribus, & Cæremoniarius, aut alius Sacerdos cum Cotta ſemper aſſiſtet cum duobus ſaltem Clericis, quorum major Librum geſtabit, alter verò procedet manibus junctis a ſiniſtris ejus, & eos ſequetur Aſſiſtens, aut Cæremoniarius, & poſtea Celebrans cum Calice de more, niſi forte Calix, Liber, & alia ſint ad Altare præparata.

3. Cæremoniarius autem, ſive Aſſiſtens genuflectit ad dexteram Celebrantis, dum facit Confeſſionem paullò poſt eum: deinde ſemper aſſiſtit ad Librum, & ſe cum Celebrante ſemper inclinat, genuflectit, & ſignat, quando opus eſt, quaſi eum præcedens in hujuſmodi actibus, modeſtè tamen, & prudenter; non tamen quando extendit manus, benedicit Populum, Oblata, & alia facit ſimilia; genuflectit etiam a verbis, *Qui pridie*, *quàm pateretur*, uſque ad depoſitionem Calicis incluſivè. Item a verbis *Domine*, *non ſum dignus*, uſque ad ſumptionem Calicis incluſivè, & ad benedictionem in fine Miſſæ. In reliquis ſtat.

4. Clerici, qui Miſſæ inſerviunt, ad Confeſſionem

nem genufleċtent hinc inde in plano; poſtea ad reliquum Miſſæ flexis genibus in infimo gradu reſpondebunt.

5. Major mutabit Librum a cornu Epiſtolæ ad cornu Evangelii; miniſtrabit Ampullas; pulſabit Campanulam ad elevationem Sacramenti, & poſteriorem Planetæ partem elevabit. Alter verò ad elevationem Sacramenti adjunċtus alteri Clerico deferet Intortitia, & mutabit Miſſale a latere Evangelii ad latus Epiſtolæ.

6. Si qui eſſent infra Miſſam communicandi, Cæremoniarius continuè ad ſiniſtram novi Sacerdotis adſtabit; Patenam non teneat, nec permittat oſculari illius manum ab iis, qui Sacram Communionem accipiunt. Novus quoque Sacerdos ad Offertorium Oblationes non recipiet, neque poſt Miſſam illas recepturus circumeat Eccleſiam.

7. Quando præcipitur in *Pontificali Romano*, ut novi Sacerdotes poſt primam Miſſam dicant tres Miſſas votivas de Spiritu Sanċto, de S. Maria, & pro Defunċtis, id intelligendum eſt, modò eo die non occurrat Feſtum, quod id impediat, aut dies privilegiatus, quia per Miſſam de tali die ſatisfit præcepto Epiſcopi.

CAPUT XXV.

De Miſſa Solemni pro Defunċtis.

De Ritu ſervando in Rubr. Miſſal. XIII. 2.

IN Miſſa ſolemni non incenſatur Altare ad Introitum, & Subdiaconus finita Epiſtola non oſculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benediċtionem, nec oſculatur Celebrantis manum: non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur Incenſum, ſed duo tantùm Acolythi ſine Candelabris ſtant unus a dextris,

dextris, & alter a ſiniſtris Subdiaconi tenentis Librum Evangeliorum. Non incenſatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum oſculandus. Oblata & Altare incenſantur ut ſupra: incenſatur ſolus Celebrans, & non incenſantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam poſt Celebrantem; ſed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epiſtolæ illud incenſat. Miniſtri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Miſſa non oſculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur.

3. *Si diſtribuendæ ſunt Candelæ, diſtribuantur poſt Epiſtolam; & accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, & poſt Miſſam, dum fit Abſolutio. Si habendus eſt ſermo, habeatur finita Miſſa ante Abſolutionem.*

1. IN Miſſa ſolemni pro Defunctis Altare parabitur Pallio nigri coloris, cum ſex Candelabris, & Candelis. Suppedaneum veſtietur Tapete communi, vel panno nigro; cæteri verò gradus nudi permaneant. Super Altare nihil ornamenti ponatur, præter Crucem, Candelabra, & ea quæ ad celebrationem ſunt neceſſaria; Miſſa autem celebrabitur finita in Choro Prima, vel Nona juxta locorum qualitatem.

2. In Sacriſtia præparentur Paramenta conſueta, excepto Velo pro Subdiacono: inſuper Crux proceſſionalis prope Altare ad latus Epiſtolæ, & in Abaco liber Abſolutionum, Vas Aquæ benedictæ, & Candelæ diſtribuendæ apponentur.

3. Celebrans cum Miniſtris, & Acolythis, ut aliàs, procedit ad Altare: & ſinguli obſervent ea, quæ ſupra dicta ſunt in *Cap. de Miſſa ſolemni*, additis, vel mutatis mutandis, ut infra.

4. Acolythus Thuriferarius incedet quidem cum aliis

aliis more ſolito, ſed ſine Thuribulo, & Navicula. Ceroferarii deponunt Candelabra ſuper Credentia, more ſolito.

5. Miniſtri aliquid dantes, vel miniſtrantes Celebranti in tota Miſſa, & Abſolutione, nunquam ejus manum, aut rem oſculantur, ut alibi dictum eſt.

6. Finita Confeſſione, Celebrans aſcendit ad Altare, & illud oſculatur more ſolito. Miniſtri verò non aſcendunt, ſed facta genuflexione, dum Celebrans oſculatur Altare, vadunt ad cornu Epiſtolæ.

7. Altare non incenſatur in principio, nec Celebrans: qui dum legit Introitum, non ſignat ſe, ſed ſiniſtra manu poſita ſuper Librum, dextera facit ſignum Crucis: & Introitum ſemper proferat in numero plurali, etiam ſi Miſſa pro uno ſolo diceretur.

8. Cùm dicuntur Orationes tam ante Epiſtolam, quàm poſt Communionem, omnes de Choro, & Acolythi in Altari genuflectunt, non tamen Celebrans, nec Diaconus, & Subdiaconus.

9. Subdiaconus, cantata Epiſtola, non oſculatur manum Celebrantis: ſed reddito Libro Acolytho, genuflectit in medio; tum accedit ad cornu Epiſtolæ, & defert Librum Miſſalis ad cornu Evangelii, & ut aliàs, aſſiſtit Celebranti, dum legit Evangelium; & poſtea deſcendit ante Altare in cornu Evangelii.

10. Si in Choro diſtribuendæ ſunt Candelæ, quæ diſtribuuntur quandocumque in fine Miſſæ facienda eſt Abſolutio; tunc poſt Epiſtolam, dum cantatur Sequentia, ſi dicenda eſt, diſtribuantur: quæ ab omnibus de Choro accenduntur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti uſque ad ſumtionem Calicis incluſivè, ac finita Miſſa, dum fit Abſolutio.

11. Diaconus delato Libro ad medium Altaris, ut aliàs, & lecto per Celebrantem Evangelio, genuflexus

xus in ſuperiori gradu, & profundè inclinatus ante medium Altaris, dicit, *Munda cor meum* . ., & accepto Libro, ſine benedictione, & abſque oſculo manus, nihil dicens, deſcendit, & vadit cum Subdiacono, & aliis ad cantandum Evangelium. Primò vadunt duo Ceroferarii, inde Subdiaconus, & Diaconus.

12. Non deferuntur Luminaria: nec portatur Incenſum: ſed duo tantùm Acolythi ſine Candelabris ſtant manibus junctis, unus a dextris, & alter a ſiniſtris Subdiaconi ſuſtinentis de more Librum Evangeliorum. Non incenſatur Liber Evangeliorum, nec in fine Celebrans; Nec defertur Liber oſculandus; neque Celebrans dicit, *Per Evangelica dicta* . . . .

13. Finito Evangelio Subdiaconus tradit Librum Acolytho: & facta ab omnibus genuflexione, Miniſtri in ſuo quiſque loco ſiſtunt poſt Celebrantem, unus poſt alterum.

14. Dicto *Oremus*, Diaconus, & Subdiaconus genuflectunt in locis ſuis. Tum aſcendit Diaconus ad dexteram Celebrantis: Subdiaconus verò accedit ad Credentiam, & defert ad Altare Calicem cum Velo, & Burſa: ſed illi non imponitur Velum oblongum circa humeros.

15. Non benedicitur aqua ponenda in Calice: nec Subdiaconus ſuſtinebit Patenam: ſed ubi aquam infuderit, facta in medio genuflexione, ibit ad ſiniſtram Celebrantis, quem adjuvabit ad incenſandum Altare, poſteriorem partem Planetæ ſublevando.

16. Poſt Offertorium Diaconus ſine oſculis thus offeret Celebranti, qui imponet thus in Thuribulum, more ſolito, cum benedictione *Per interceſſionem* . . . , & thurificabit Oblata, & Altare, dicens, *Incenſum iſtud* . ., & *Dirigatur* . ., ut aliàs. Et demum ipſe ſolus thurificabitur a Diacono, & non alii.

17. Com-

17. Completa incenſatione, unus ex Acolythis miniſtrat aquam, & pelvim ad lotionem manuum Celebrantis; Diaconus verò a dextris ejuſdem, & Subdiaconus a ſiniſtris, medium habentes Acolythum, eidem Celebranti manutergium porrigunt. In fine Pſalmi omittitur *Gloria Patri*, nec loco illius additur *Requiem æternam*. Diaconus a tergo Celebrantis adhuc conſiſtens opportunè reſpondet *Suſcipiat Dominus..*, ſtatimque, genuflexione facta, ad librum accedit.

18. Circa finem Præfationis, iidem Sacri Miniſtri, genuflexione peracta, Altare conſcendunt; Diaconus quidem a dextris, Subdiaconus verò a ſiniſtris Celebrantis; ibique dicunt inſimùl *Sanctus....* Tum Subdiaconus deſcendit poſt Celebrantem, & Diaconus Libro aſſiſtit. Duo interim Ceroferarii cum Funalibus flavi coloris ardentibus ante Altare procedunt; ibique genuflexi in plano remanent uſque ad Communionem utriuſque ſpeciei incluſive, & Thuriferarius prope Credentiam Campanulam pulſat ad *Sanctus*.

19. Dum Celebrans dicit *Hanc igitur...*, Subdiaconus, exhibita Altari genuflexione, ad cornu Epiſtolæ ſe confert, ubi, impoſito abſque benedictione incenſo in Thuribulum, triplici ductu ſuper infimum gradum genuflexus ſacram thurificat Hoſtiam, & Calicem, cum profunda capitis inclinatione ante & poſt utramque elevationem. Qua finita, Thuribulum reddit Thuriferario, ſurgit, flectit ibidem unicum genu, ac deinde ad ſuum revertitur locum, ubi iterum genuflectit, & ſtat ut prius. Thuriferarius, elevationis tempore, a ſiniſtris Subdiaconi in plano genuflexus tintinnabulum pulſat; depoſitoque in Sacriſtiam Thuribulo, ad Abacum redit, ubi genuflectit.

20. Cùm Celebrans dicit *Et dimitte nobis...* ſolus Diaconus ad dexteram Celebrantis, prævia genufle-

P xio-

xione, ſe recipit, ubi eidem inſervit: Subdiaconus autem nonniſi pro dicendo *Agnus Dei...* abſque tunſione pectoris ad ſiniſtram Celebrantis ſe confert. Quo dicto, iidem ſacri Miniſtri loca permutant cum debitis genuflexionibus in receſſu & acceſſu, non autem in medio.

21. In hac Miſſa non dicitur prima Oratio ante Communionem, ſcilicet *Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti..*, nec datur Pax. In fine Diaconus non cantat *Ite Miſſa eſt*, nec *Benedicamus Domino*, ſed *Requieſcant in pace*, ſemper in plurali, & ad Altare converſus. Celebrans, dicto *Placeat*, & oſculato Altari, lecturus procedit Evangelium S. Johannis cum aſſiſtentia Miniſtrorum, quin benedictionem Populo impertiatur.

22. Si habenda eſſet Oratio Funebris, hæc ſequenti methodo, expleta Miſſa, habeatur. Celebrans recitato in cornu Altaris Evangelio S. Johannis deſcendens, ſalutata Cruce, procedet ad Reſidentiam, ubi ſedere debet cum Miniſtris, qui depoſitis prius Manipulis, Celebrantem exuent Caſula, & Manipulo, & Pluviale nigrum imponent: quo deficiente, Celebrans Alba tantum & Stola in modum Crucis diſpoſita, indutus remaneat; mediuſque inter ſacros Miniſtros in parata Reſidentia tecto capite, dum Sermo fiet, ſedebit.

CAPUT XXVI.

De Abſolutione pro Defunctis.

1. LEcto ultimo S. Johannis Evangelio, Celebrans Crucem cum profunda capitis inclinatione, Miniſtri verò cum genuflexione hinc inde ſalutant. Tum ad cornu Epiſtolæ ſe confert, ibique dimiſſis Planeta, & Manipulo, ita ut terga Altari non vertat, Pluviale nigrum induit, adjuvantibus Miniſtris, qui, iiſdem retentis

tis Paramentis, Manipulos dumtaxat deponunt. Sic indutus ad medium Altaris tecto capite cum ſuis Miniſtris per planum procedit, ubi detecto capite Crucem denuo veneratur.

2. Thuriferarius interim dextera Thuribulum, ſiniſtra Naviculam ſumit, viamque Proceſſioni ad Tumulum lento & gravi inceſſu ſternit, alio Acolytho a ſiniſtris ejus incedente cum vaſe luſtralis Aquæ, Aſperſorio, & Rituali. Sequitur Subdiaconus Miſſæ, Crucem cum facie Crucifixi ad Populum converſa elatam deferens, medius inter Ceroferarios deferentes Candelabra cum Candelis flavi coloris accenſis. Veniunt inde Cœnobitæ ordine ſuo, ac tandem Celebrans tecto capite, Diaconum a ſiniſtris ſuis habens, qui tamen Pluvialis oram non elevat. Omnes autem, priuſquam ab Altari diſcedant, debitam exhibent reverentiam: & advertatur ne dum hæc Sacra Actio peragi debet, SS. Sacramentum elevetur, vel miniſtretur, vel ſaltem ne pulſetur tintinnabulum: & ſi oporteat ante Altáre, in quo SS. Sacramentum cuſtodiri ſolet, pertranſire, genuflectant.

3. Cum ad Tumulum pervenerint, Thuriferarius, ejuſque Socius locum ſumunt prope Lecticam a parte Epiſtolæ, ubi, genuflexione Altari peracta, Celebrantem expectant. Subdiaconus verò cum Ceroferariis ſiſtit ſe ſemper ad pedes Tumuli in medio contra Altare, quicumque ſit ille, pro cujus anima Abſolutio peragitur. Clerus ſtat in circuitu Caſtri doloris, ita ut juniores Cruci, digniores autem Celebranti propinquiores ſint. Qui Celebrans, exhibita priùs Altari reverentia; ex alia parte in capite loci inter Altare, & dictum Tumulum ſe locat, aliquantulum verſus cornu Epiſtolæ, ita ut terga non vertat Altari, & Crucem Subdiaconi reſpiciat. A ſiniſtris ejus ſtat Diaconus, & prope eum alii duo Acolythi deferentes Thuribulum, & vas luſtralis Aquæ.

 4. Diſ-

4. Diſpoſitis, ut ſupra, omnibus, ſtantibuſque aperto capite, Cantores tunc & non priùs intonant Reſponſorium *Libera me Domine ...*, quod cæteri eodem proſequuntur tono: Verſus autem a binis Cantoribus dicuntur. Circa finem Reſponſorii Diaconus & Thuriferarius Altari genuflectunt, & accedunt ad dexteram Celebrantis, qui, miniſtrante Diacono Naviculam ſine oſculis, & dicente *Benedicite*, *Pater Reverende*, Thus de more imponit in Thuribulum, illudque manu benedicit, dicens *Ab illo bene✠dicaris...*, Miniſtri poſtea revertuntur ad loca ſua cum debitis reverentiis.

5. Reſponſorio ad finem perducto, Cantor cum primo Choro dicit *Kyrie eleiſon*, & ſecundus Chorus reſpondet *Chriſte eleiſon*; deinde omnes ſimul cantant *Kyrie eleiſon*. Mox Celebrans in cantu dicit *Pater noſter*, quod omnes ſecretò proſequuntur: interim Diaconus cum Miniſtro de Aqua luſtrali ad dexteram Sacerdotis cum genuflexione Altari denuò ſe confert, ubi eidem Aſperſorium ſine oſculis porrigit. Quo accepto, profundam priùs Altari inclinationem exhibet Celebrans, vel genuflexionem, ſi ibi adſit SS. Sacramentum, Diaconus verò ſemper genuflectit; procedit inde per latus ſuum dexterum ad Tumulum, quem circumiens ter aſpergit a parte dextera, in capite ſcilicet, medio, & pede; & ter a ſiniſtra. Cùm tranſit ante Crucem Subdiaconi, profundè ſe inclinat; Diaconus verò a dextris illius incedens, Pluvialiſque fimbriam ſiniſtra elevans, ſemper genuflectit; poſtea de manu ejuſdem Diaconi accipit Thuribulum, & eodem modo, quo aſperſerat, incenſat, facta ſemper Altari debita reverentia in acceſſu & receſſu. Si adſit Cæremoniarius poterit in hac actione Celebrantem præcedere, genuflectens Altari, & Cruci, prout Diaconus. Acolythus verò & Thuriferarius opportuna miniſtrant, quin a propriis diſcedant locis: in abſen-

abſentia tamen Diaconi, reſpectivè elevant fimbrias Pluvialis Celebrantis, dum circuit Tumulum, Acolythus ſcilicet, quando aſpergit; & Thuriferarius, quando incenſat.

6. Celebrans, completa incenſatione, Thuribulum reddit Diacono, & iſte Thuriferario; deinde, facta Altari debita reverentia, ſtans in loco ſuo, ut priùs, verſa facie ad Subdiaconum, junctis manibus cantat *Et ne nos inducas*.., & alia, quæ in Rituali, aut Miſſali habentur, Diacono tenente librum a ſiniſtris ejus. Oratio *Abſolve* hic regulariter dicitur, quin tamen illa Miſſæ, aut alia conveniens prohibeatur: in quacumque autem exprimitur nomen, & dignitas, ſi qua fulgebat Defunctus aut Regia vel Cardinalitia, aut Epiſcopalis vel Sacerdotalis, cum brevi concluſione *Per Chriſtum*... Et reſponſo a Choro *Amen*, Celebrans dextera ſignum Crucis efformans ſuper Tumulum, dicit *Requiem æternam*.., ac mox Cantores altiori tono cantant *Requieſcant in pace*, & Chorus reſpondet *Amen*. Quo dicto Celebrans, ſi dies fuerit obitus, ſeu depoſitionis, aut tertia, ſeptima, trigeſima, vel anniverſaria, graviori voce ſubdit: *Anima ejus*, & *animæ*..., eodemque ordine, quo ab Altari ad Tumulum venerant, a Tumulo ad Sacrarium remeant.

7. Si qua de cauſa Tumulus pro Abſolutione non erigatur, Celebrans dicto *Placeat tibi*... ante Evangelium S. Johannis accedit ad cornu Epiſtolæ, facta prius genuflexione Altari a Miniſtris; ibique ſuper ſuppedaneum, depoſita Planeta, & Manipulo in loco congruo, Pluviale nigrum induit, & ſtans ibidem, converſus ad Altare, medius inter ſacros Miniſtros, qui Manipulos tantùm depoſuerunt, expectat finem Reſponſorii *Libera me*..., quod cantatur a Choro, ſtatim ac ab eodem reſponſum fuerit *Amen*, poſt *Requieſcant in pace*, ante Evangelium. Interim Acolyti extendunt pannum nigrum in plano ante medium Altaris, ſumtiſque Thuribulo,

bulo, & vaſe Aquæ benedictæ, retrahunt ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi circa finem Reſponſorii, Celebrans imponit, & benedicit Thus de more, ut diximus ſupra.

8. Dicto ultimo *Kyrie eleiſon*, Celebrans adhuc ſtans in prædicto cornu Epiſtolæ, verſa facie ad Altare, intonat clara voce *Pater noſter*, quod ſecretò proſequitur; & interim Miniſti de Thure, & Aqua luſtrali, quaſi ad cornu Evangelii per planum tranſeunt cum debitis reverentiis, & ſecundum Altaris gradum conſcendunt, ubi viciſſim miniſtrant Diacono Aſperſorium, & Thuribulum. Celebrans autem ad medium Altaris cum ſacris Miniſtris accedit, ubi facta debita reverentia, ad pannum in plano extenſum ſe convertit, ac de manu Diaconi a dextris illius ſtantis Aſperſorium accipit, quo pannum ter, nempe in medio, a dextris, & ſiniſtris ejuſdem aſpergit, ac deinde thurificat, Pluvialis fimbrias hinc indè elevantibus Miniſtris.

9. Peracta incenſatione, Crucem Altaris denuò ſalutat, ac revertitur ad cornu Epiſtolæ, ubi ex Libro ſuper illud poſito, in cantu dicit *Et ne nos inducas*, & reliqua ut ſuprà, ſignum Crucis versùs pannum producens ad verba *Requiem æternam*. Dicto autem a Cantoribus *Requieſcant in pace*, facta in medio Altaris reverentia, ad cornu Evangelii accedit; ibique ſignans Altare. [illegible] Tabellam, & ſeipſum, dicit more ſolito Evangelium cum Pluviali, & aſſiſtentia Miniſtrorum. Quo finito, cum debitis reverentiis Altari, medius inter Diaconum & Subdiaconum Pluvialis ipſius fimbrias tunc elevantes, in Sacrarium tecto capite præeuntibus Acolythis redit. Idem ſervatur, ſi Lectica Mortuorum ſit adeò vicina Altari, in quo Sacrum fuit celebratum, ut Proceſſio non ſit peragenda, & Religioſi apud Cappellam Miſſam cantaverint. Hic modus Abſolutionis videtur magis conveniens: præſcribitur enim in Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 37. & ſervatur in Cappella Summi Pontif.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

De nonnullis obſervationibus circa Miſſas Defunctorum.

1. QUamvis non ſit præſcriptum Sacerdoti Miſſam pro Defunctis celebraturo, dicere Pſalmos cum Precibus ſolitis ad Sacrum præparatoriis; haud tamen decet ad tremendum Altaris Sacrificium abſque ulla & convenienti alia præparatione accedere. Primo igitur oſcula Crucis in Amictu, Manipulo & Stola non omittuntur, dum Sacerdos illis induitur; nec ſolitæ Orationes Paramenta induendo.

2. Pronunciata Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, & reſponſo a Miniſtro *Ad Deum qui lætificat juventutem meam*, mox ſubjungitur ℣. *Adjutorium noſtrum*, & Confeſſio, cum reliquis, prætermiſſo Pſalmo *Judica me Deus*. Cùm Celebrans ad cornu Epiſtolæ incipit Introitum, non ſignat ſe, ut in aliis Miſſis, ſed dextra extenſa ſignum Crucis ſuper Miſſale efformat in aere, quaſi aliquem benedicens, ſiniſtra interim ſuper idem Miſſale, aut Altare depoſita. Poſt Pſalmum *Te decet Hymnus* omittitur *Gloria Patri*, & loco ipſius repetitur *Requiem æternam dona eis* in plurali, etiamſi pro uno celebretur. *Gloria in Excelſis* non dicitur, neque *Alleluja* poſt Epiſtolam, neque *Jube Domine benedicere*, *Dominus ſit in corde meo*, ſed tantum *Munda cor meum...* In fine prætermittitur oſculum Evangelii una cum verbis *Per Evangelica dicta*.

3. Item non dicitur *Credo*, nec benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio *Deus qui humanæ ſubſtantiæ*. In fine Pſalmi *Lavabo* omittitur *Gloria Patri*, nec illi ſubrogatur *Requiem æternam*. Dicitur ſemper Præfatio Communis. Dum Celebrans ter dicit

cit *Agnus Dei*, non percutit ſibi pectus, ſed ſtat manibus junctis ante pectus, non ſuper Altare poſitis, & loco *Miſerere nobis*, bis dicit *Dona eis requiem*, & tertiò addit *ſempiternam*. Prima Oratio ante Communionem, *Domine Jeſu Chriſte*, *qui dixiſti &c.* omittitur, nec datur Pax. In fine non dicitur *Ite Miſſa eſt*, ſed *Requieſcant in pace* versùs Altare, & non datur Benedictio, ſed dicto *Placeat*, & oſculato Altari, dicitur Evangelium S. Johannis.

4. Prima die cujuſque Menſis (extra Adventum, Quadrageſimam, & Tempus Paſchale) non impedita Officio duplici, vel ſemiduplici, dicitur Miſſa principalis generaliter pro Defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus, & aliis. Si verò in ea fuerit Feſtum ſimplex, vel Feria, quæ propriam habet Miſſam, aut reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, & infrà Hebdomadam non occurrat alius dies, in quo reſumi poſſit, in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis quibus adſimilantur inſigniores Ordinis noſtri Eccleſiæ, dicantur duæ Miſſæ, una pro Defunctis, alia de Feſto ſimplici, vel Feria prædicta. Sed in Eccleſiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Miſſa de die cum commemoratione generaliter pro Defunctis (penultimo loco).

5. Præterea Feria ſecunda cujuſcumque Hebdomadæ, in qua Officium fit de ſimplici vel Feria, Miſſa principalis dici poteſt pro Defunctis. Si autem fuerit propria Miſſa de Feria vel de Feſto ſimplici, vel reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, ut ſupra; in Miſſa de die fiet Commemoratio (ut dictum eſt) pro Defunctis. Excipitur tamen Quadrageſima, & totum tempus Paſchale, & quando per annum Officium eſt duplex vel ſemiduplex: (quibus temporibus non dicitur Miſſa Conventualis pro Defunctis, niſi in die depoſitionis Defuncti, & in Anniverſariis pro Defunctis), neque pro eis fit

ſit Commemoratio. Miſſæ autem privatæ pro Defunctis quocumque die dici poſſunt, præterquam in Feſtis Duplicibus, & Dominicis diebus.

6. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & in die Depoſitionis, & in Anniverſario Defuncti dicitur una tantùm Oratio, & ſimiliter in die Tertia, Septima, Trigeſima, & quandocumque pro Defunctis ſolemniter celebratur: in aliis Miſſis plures. Sequentia pro Defunctis (*Dies iræ, dies illa,*) dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, & Depoſitionis Defuncti, & quandocumque in Miſſa dicitur una tantùm Oratio; in aliis autem Miſſis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

7. Miſſa autem Defunctorum celebrari debet poſt Primam diei: ubi vero dicuntur eorum Vigiliæ manè poſt Matutinum diei, dictis hujuſmodi Vigiliis cum Laudibus, immediatè dici poteſt Miſſa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Miſſa Conventualis dicitur poſt Nonam, quia eo die eſt principalis. In die etiam Obitus ſeu Depoſitionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigeſimo, aut Anniverſario ſolemni, in quo ſit concurſus Populi, poterit ſimiliter dici ultimo loco poſt Nonam. Idem dicendum de Miſſis Quotidianis cum pompa & concurſu decantandis.

8. In die Obitus ſeu Depoſitionis, necnon in die Tertio, Septimo, Trigeſimo & Anniverſario Summi Pontificis, Cardinalis, Epiſcopi, Prælati inſignis, Generalis Miniſtri, Regum, Principum, & Magnatum dicitur ea Miſſa, quæ prima habetur in Miſſali inter Miſſas Defunctorum, illa nimirum, quæ pro die Commemorationis Omnium Defunctorum aſſignatur. Sed pro Papa dicitur Oratio *Deus, qui inter ſummos Sacerdotes* cum ſua Secreta, & Poſtcommunione in numero plurali vel ſingulari, ſi pro uno vel pro pluribus celebretur. Pro Cardi-

 nali

nali Epiſcopo legitur Oratio *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum* N. *Epiſcopum Cardinalem Pontificali feciſti dignitate vigere* ... Si verò fuerit tantùm Presbyter, dicitur *Famulum tuum* N. *Presbyterum Cardinalem Sacerdotali feciſti* .... Si autem fuerit ſolùm Diaconus, dicitur Oratio *Inclina Domine aurem tuam ... ut animam famuli tui* N. *Diaconi Cardinalis*. Pro Defuncto Epiſcopo recitatur Oratio ſupradicta *Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum* N. *Pontificali feciſti*. Pro Perſonis inſignibus ſupra memoratis, oratio erit *Præſta quæſumus Domine*, ſi Sacerdotes extiterint; ſin autem dicetur *Deus cui proprium eſt* in die Obitus; & in die Tertia, Septima, ac Trigeſima *Quæſumus Domine*; in Anniverſario autem *Deus indulgentiarum*. Quæ Oratio etiam dicitur, ſi pro omnibus noſtri Ordinis Defunctis Anniverſarium celebretur, quamvis Epiſcopi, vel etiam Summi Pontifices ſub ea comprehendantur; ſecus ſi pro pluribus Summis Pontificibus vel Epiſcopis &c. celebretur Miſſa, quia in his caſibus orationes propriæ in plurali numero recitandæ ſunt.

9. Pro Defuncto Sacerdote dicenda eſt Miſſa ſecunda in die obitus, & tertia in Anniverſario ejuſdem cum Oratione *Præſta quæſumus*. Si tamen dicatur prima Miſsa, favet Rubrica, quæ concedit, Epiſtolas, & Evangelia unius Miſſæ dici poſſe in alia quacumque Miſſa pro Defunctis. Tandem pro aliis Defunctis ſive Clericis, ſive Laicis in die obitus dicitur illa Miſſa, quæ ſecundo loco reperitur intrà Miſſas de *Requiem* cum unica Oratione, quæ regulariter erit *Deus cui proprium eſt*. Quæ Miſſa dicitur pariter in die verè Tertio, Septimo, & Trigeſimo, a die Obitus ſeu Depoſitionis computando, cum Oratione *Quæſumus Domine*. In Anniverſario pariter, ut ſupra, computando, legitur tertia Miſſa, cum Oratione *Deus indulgentiarum*.

10. Ex-

Digitized by Google

10. Extra diem Obitus ſeu Depoſitionis, necnon diem Tertium, Septimum, Trigeſimum, & Anniverſarium dicitur quarta Miſſa ſeu quotidiana, etiamſi pro Papa, vel aliis inſignibus Perſonis celebretur, cum tribus regulariter Orationibus, prima videlicet convenienti Perſonæ, in cujus ſuffragium offertur Sacrificium, ut ſuprà dictum eſt, ſecunda *Deus veniæ largitor*, vel alia ad arbitrium Sacerdotis, tertia verò ſemper *Fidelium Deus*. Quando autem Miſſa generaliter applicatur pro Defunctis, dicuntur illæ tres Orationes, quæ in Miſſali pro Miſſis quotidianis poſitæ ſunt.

11. Oratio in Miſſali pro Patre & Matre eſt tantùm pro Patre & Matre Sacerdotis, neque alteri convenire poteſt, ut ex ſono verborum patet.

12. Littera N. in Oratione pro Defunctis nomen poſtulat Defuncti, ſi fuerit Nobilis, vel conſuetudo ſit nominandi omnes.

13. Si in Miſſa diei facienda ſit Commemoratio pro Defunctis, ſemper ponitur penultimo loco. In Miſſis autem Defunctorum nulla ſit Commemoratio pro Vivis, etiamſi Oratio eſſet communis Vivis & Defunctis.

14. Miſſæ de Requiem non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670.

15. Cum in Brevibus conceſſionis Indulgentiarum pro Altaribus privilegiatis apponi ſoleat clauſula *Dummodo in illa Eccleſia tot Miſſæ quotidie celebrentur*, & aliquando ex accidenti idem Miſſarum numerus præfixus non poſſit in iiſdem Eccleſiis haberi; ideo quæritur Primò an abſentibus Religioſis ex cauſa prædicationis tempore Quadrageſimæ & Adventus, vel quando occaſione Feſtivitatum, vel Funerum, aut ſimilium, a Superioribus ad celebrandum aliò tranſmittuntur, Indulgentiæ conceſſæ cum certo numero Miſſarum, qui ob dictas cauſas

ſas adimpleri nequit, prorſus ceſſent; vel pro tempore, quo numerus non fuerit adimpletus, ſint ſuſpenſæ, vel potius remaneant in ſuo robore? Secundò an idem ſit ſtatuendum, deficiente præfixo numero Miſſarum ob infirmitatem Sacerdotum, tam Sæcularium, quàm Regularium? Tertiò, an pariter idem ſit ſtatuendum, deficiente numero Miſſarum ob abſentiam ab Eccleſiis Sæcularibus Canonicorum, & Sacerdotum per aliquot dies & Menſes? Sac. Congr. Concil. die 30. Julii 1701. Decreto a Clemente XI. confirmato cenſuit ad primum quoad primam partem pro tempore Adventus, & Quadrageſimæ remanere ſuſpenſas, non autem in reliquis, dummodò rarò contingat. Ad ſecundum non remanere ſuſpenſas. Ad tertium ſatis proviſum in primo. Laudatæ Sacræ Congregationis Concilii declarationes locum, atque inſpectionem ſolummodo habent pro aliquibus noſtri Ordinis Eccleſiis, quæ ſecundo, vel altero Altari privilegiato pro omnibus Defunctis in perpetuum ſtatis feriis, vel quotidiano, conditione adjecta tot Miſſarum in iiſdem reſpectivè Eccleſiis quotidie celebrandarum, conceſſo. Secus verò pro primo & unico Altari ad omnes Defunctos privilegiato, quocumque Sacerdote quotidie celebrante, in qualibet ejuſdem Ordinis, vel Monialium eidem ſubjectarum, quamvis hoc ad determinatas animas Defunctas, exiſtente erecta, vel erigenda Eccleſia, abſque alia conditione per Summum Pontificem Benedictum XIV. in perpetuum conceſſo, vigore Brevis, quod incipit: *Salvatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, ſub die IV. Octobris 1751. emanati. Neque pro ejuſdem primi Altaris ſupplementario, aliiſve ſimilibus, quod perſpicuè dignoſcitur ex §. VII. & VIII. præviæ Inſtructionis ad Decretum cujuſque Altaris reſpectivæ aſſignationis a Generali Ordinis Miniſtro Encyclice tranſmiſſæ.

CA-

CAPUT XXVIII.

De quibuſdam Decretis ſuper Miſſas Defunctorum.

1. IN Dominicis, & Feſtis poteſt celebrari Miſſa de *Requiem* pro Defunctis, inſepulto Cadavere. Sac. Rit. Congr. 23. Maii 1603.

2. Officium Anniverſarium, vel Ternarium, vel Septenarium, vel Trigenarium Defunctorum poſt obitum, ſi cadat die Dominico, vel feſtivo, transfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603.

3. Defunctorum Miſſæ non ſunt cantandæ, nec celebrandæ in diebus ſolemnibus.. S.R.C. 23. Junii 1607. Vide num. 37. 49. 53.

4. Anniverſaria & Miſſæ de *Requiem*, quæ certo die dici debent, eo impedito, transferri poſſunt in ſequentem, prout tranſtulit. S. R.C. 19. Maii 1614. immò anticipari, ut eadem S. R. C. die 27. Sept. 1608. Vide num. 2.

5. Ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetndo in contrarium. S. R. C. 16. Jan. 1627.

6. In Altari pro certis diebus privilegiato, non poteſt dici Miſſa de *Requiem* in Feſto duplici de præcepto, neque in die Dominico. S. R. C. 24. April. 1627.

7. In diebus, quibus fieri non poteſt de Feſto duplici, prohibentur Miſſæ Votivæ, & de *Requiem*, juxta Rubricas. S. R. C. 28. Aug. 1627.

8. Miſſæ S. Gregorii pro Vivis, & Defunctis impreſſæ, quindecim Auxiliatorum, & de Patre Æterno, prohibitæ ſunt. S. R. C. 8. April. 1628.

9. Miſſa Conventualis, non poteſt celebrari pro Anniverſario, ſed cantandæ ſunt duæ Miſſæ. In die verò

rò Depoſitionis dicenda eſt Miſſa pro Defuncto, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 12. Julii 1628. Vide num. 14.

10. Triginta Miſſæ S. Gregorii pro Defunctis non prohibentur. S. R. C. 28. Octob. 1628.

11. Quando adeſt obligatio, & onus faciendi diverſa Anniverſaria ſtatis diebus, in quibus occurrunt Feſta duplicia, ſive ſemiduplicia, nec non etiam Tempus Quadrageſimale, & Quatuor Tempora, Vigiliæ, & ſimilia, Miſſa Conventualis nullo pacto eſt omittenda, ſed utraque Miſſa eſt cantanda, altera de die, altera de *Requiem*, etiamſi occurrat Feſtum duplex, dummodo non ſit feſtivum de præcepto, ad hoc ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, & licitè eleemoſyna lucrari poſſit, ut declaravit Sac. Rit. Congr. die 1. Sept. 1607. in Pampilonenſi. S. R. C. 29. Novemb. 1628.

12. Non valentes ſatisfacere Anniverſariis Defunctorum in diebus ferialibus, poſſunt ipſa adimplere in Feſtis duplicibus, non tamen de præcepto. S. R. C. 3. Mart. 1629.

13. Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando recitatum eſt Officium Defunctorum, non dicitur Miſſa Conventualis de Defunctis, neque Oratio *Fidelium..*, quæ etiam in aliis Feriis ſecundis Quadrageſimæ non dicitur juxta Rubricas, ſed ſolùm Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus ..*, quæ eſt pro Vivis & Defunctis, & omittitur tempore Paſſionis. S. R. C. 11. Julii 1643.

14. Miſſa, ut in die Obitus, præſente corpore, ultra Miſſam de Communi Defunctorum, celebranda erit, quando aliquis obierit in die Commemorationis Omnium Fidelium Defuuctorum. S. R. C. 14. April. 1646. Vide ſupra num. 9.

15. Non licet in Altari privilegiato dicere Miſſam ſolemnem de *Requiem*, in diebus, quibus occurrit Feſtum

Feſtum primæ vel ſecundæ Claſſis, non obſtante conſuetudine immemorabili. S. R. C. 15. potius 25. Sept. 1649.

16. Miſſæ exequiales Defunctorum in die depoſitionis Defuncti poſſunt ſolemniter celebrari diebus, in quibus cadit Feſtum duplex alicujus Sancti, dummodo Feſtum non ſit de præcepto, juxta Rubricas Breviarii Romani. S. R. C. 19. Sept. 1654. & aliàs 23. Junii 1607.

17. Miſſæ privatæ de Defunctis quocumque die dici poſſunt; præterquam in Feſtis duplicibus, & Dominicis diebus, juxta præſcriptum Rubricarum. S. R. C. 15. Febr. 1659. & 28. Febr. 1660.

18. Omnibus & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuſvis Ordinis, etiam neceſſariò exprimendis, diſtrictè præcipitur, ut Miſſas privatas pro Defunctis, ſeu de *Requiem*, in Duplicibus nullatenus celebrare audeant, vel præſumant. Quod ſi ex Benefactorum præſcripto Miſſæ hujuſmodi celebrandæ incidant in Feſtum duplex, tunc minimè transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio Animabus Suffragia expectantibus detrimento ſit, ſed dicantur de Feſto currenti, cum applicatione Sacrificii, juxta mentem eorumdem Benefactorum; curentque Eccleſiarum Rectores, Sacriſtæ, aliique ad quos ſpectat, ut hujuſmodi Decretum inviolatè ſervetur, atque in Sacriſtia affixum retineatur, ubi commodè ab omnibus celebrare volentibus conſpici, & legi poſſit: in eos autem, qui contra facere auſi fuerint, vel præmiſſa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii tam Sæculares, quàm Regulares pro modo culpæ animadvertant. S. R. C. 5. Auguſti 1662. in Decreto Generali, approbante Alexand. VII., & 15. Septemb. 1714. Clemente XI. annuente 29. ejuſdem.

19. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia poſſunt a Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, ſcilicet vel pro omnibus Fideli-

delibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. S. R. C. 4. Auguſtii 1663., & 14. Decemb. 1709.

20. Anniverſaria & Miſſæ cantatæ de *Requiem*, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum quotannis in die ipſorum obitus, etiam in Duplici majori contingentes poſſunt celebrari; & proinde in Decreto die 5. Aug. 1662. edito non comprehenduntur. S. R. C. 22. Novemb. 1664.

21. In die, quo celebratur Feſtum duplex etiam translatum, prohibetur Miſſa de *Requiem*, niſi ſit præſens Cadaver. Anniverſarium poteſt anteferri, immò debet, & in Feriis Majoribus debent omninò cantari duæ Miſſæ; & Collectæ pro Defunctis non admittantur, niſi in Miſſis Feſtorum Simplicium, & Ferialium. S. R. C. 31. Julii 1665.

22. Sacerdos Sæcularis, ſive Cappellanus, ſive non, qui recitavit Officium Semiduplex, vel Simplex, aut feriale, illo die celebrans in aliqua Eccleſia Regularium, in qua recitatum eſt ab ipſis Regularibus eodem die Officium duplex non de præcepto, prout de aliquo Sancto ſui Ordinis, non poteſt dicere Miſſam de *Requiem*. S. R. C. 9. Junii 1668. Idem dicendum de Eccleſia Monialium 11. Februarii 1702. vide n. 44.

23. Anniverſaria, & Miſſæ de *Requiem*, quæ ex diſpoſitione Teſtatorum cum Cantu ſunt quotannis celebrandæ, poſſunt cantari, etiamſi ipſorum Obitus inciderit in Feſto duplici majori. S. R. C. 20. Julii 1669. annuente Clem. IX. 13. Aug. ejuſdem Anni.

24. Privilegium Alexandri VII. die 22. Januarii 1667. circa Miſſas de Feſto duplici in Altaribus perpetuò privilegiatis celebratas, extenditur etiam ad Altaria non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud brevius, vel longius tempus, ac non omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm Hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ

Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, ſive ex obligatione, ſive ex ſola Fidelium devotione celebrabuntur, ſuffragantur; ita ut Animæ Chriſtifidelium, pro quibus celebratæ fuerint, Indulgentias per Privilegia hujuſmodi conceſſas, conſequantur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem Privilegiorum celebratæ fuiſſent. S. R. C. 20. Julii 1669. annuente Clem. IX. 31. Auguſti ejuſdem Anni, & in ſuo Brevi quod incipit: *Cum felicis record.* 23. Sept. 1669. confirmatur.

25. Infra Octavam SS. Corporis Chriſti prohibentur Miſſæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S.R.C. 21. Junii 1670. approbante Clemente X.

26. Miſſæ Defunctorum non poſſunt celebrari, niſi cum colore nigro, vel ſaltem violaceo. S. R. C. 21. Junii 1670.

27. Miſſæ cantatæ Mortuorum infrà Octavam Corporis Chriſti non ſunt celebrandæ, niſi præſente Corpore. S. R. C. 12. Septemb. 1671.

28. Durante expoſitione SS. Sacramenti, occaſioſione 40. Horarum, regulariter celebrari non poteſt Miſſa privata de *Requiem*, licèt occurrat Officium hujuſmodi Miſſas admittens; neque cantari poteſt Miſſa Defunctorum pro adimplenda mente Teſtatoris, ſive Anniverſario ſatisfaciendo. S.R.C. 2. Decemb. 1684.

29. In Miſſa privata de Feſto ſemiduplici, ſimplici, ſeu votiva, vel de infra Octava, ſive de Feria non privilegiata, poteſt in penultimo loco dici Collecta pro particulari Defuncto, puta *Inclina*, vel *Deus*, *qui nos Patrem*, & ſimilia; ſed ob id non eſt omittenda ulla ex Collectis pro tempore aſſignatis, putà *A cunctis*, vel *Eccleſiæ*. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

30. Anniverſaria, ſive Miſſæ quotidianæ cantatæ de *Requiem*, relictæ ex diſpoſitione Teſtatorum pro certis

R die-

diebus, iiſque impeditis die Dominico, ſeu alio Feſto de præcepto, cantari poſſunt in diebus ſubſequentibus, ſeu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Feſto Duplici majori, non tamen de præcepto, præcipuè de Sanctis alicujus Ordinis, non relicta tamen Miſsa in cantu de Feſto Duplici minori occurrente, quatenùs adſit obligatio cantandi. S. R. C. 4. Maii 1686.

31. Cùm primùm accipitur nuntium de Obitu in loco diſſito alicujus de gremio, poteſt cantari Miſſa de *Requiem*, ut in die obitus pro ejus Anima, in Feſto duplici majori, vel minori, non tamen de præcepto, ut citiùs ſuffragetur Animæ Defuncti, non relicta tamen Miſſa in cantu de Feſto duplici, quatenus adſit onus cantandi. S. R. C. 4. Maii 1686.

32. In Anniverſario translato ob Feſtum de præcæpto, non variari debet Oratio *Cujus Anniverſarium depoſitionis diem commemoramus*, ſed recitanda, ut in Miſſali. S. R. C. 4. Maji 1686.

33. Miſſæ privatæ de *Requiem*, Corpore præſente, & inſepulto, dici non poſſunt diebus, quibus fit de Officio duplici, vel aliis a Rubrica vetitis, & quamcumque conſuetudinem tamquam abuſum abolendam, juxta diſpoſitionem Rubricæ Miſſalis Romani de Miſſ. Defunct. num. 2. in fine, & Decreta Sac. Cong. & ſignanter Generale 5. Auguſti 1662. ſervanda eſſe mandavit S.R.C. 10. Januar. 1693.

34. In Eccleſiiis in quibus occaſione 40. Horarum, expoſitum detinetur Auguſtiſſimum Sacramentum, congruentiùs abſtinendum eſt a celebratione Miſſarum Defunctorum, etiamſi ex præſcripto Teſtatorum, eſſent celebrandæ. S. R. C. 27. April. 1697.

35 In Vigilia Epiphaniæ dici non poſſunt Miſſæ privatæ de *Requiem*, S. R. C. 27. April. 1697., & 16. Septemb. 1730.

36. In

36. In Anniverſario occurrente in Feſto duplici ſecundæ Claſſis, non poteſt cantari Miſſa de *Requiem*. S. R. C. 5. Julii 1698.

37. In Duplicibus primæ Claſſis, etiam præſente Corpore, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum, & multò minùs dicenda eſt una Miſſa privata, deficientibus Clericis in Choro S. R. C. 5. Julii 1698. vide n. 3. 49. 53.

38. Infra Octavas privilegiatas non poteſt cantari Miſſa Defunctorum in Anniverſario, & Officio ſolemni. S. R. C. 5. Julii 1698., & 2. Septembris 1741.

39. In die Anniverſarii, & Depoſitionis non poteſt cantari Miſſa Defunctorum loco Conventualis. S R.C. 5. Julii 1698.

40. Si Anniverſarium anticipetur, aut poſtponatur per aliquot dies, poteſt dici Miſſa, ut in Anniverſario. S. R. C. 5. Julii 1698.

41. In Eccleſiis Parochialibus Ruralibus, in quibus per annum plerùmque unus tantùm Sacerdos celebrat, & ſine cantu, poteſt dici Miſſa de *Requiem*, quando Anniverſaria ex Teſtatorum diſpoſitione, recurrente Obitus die, incidunt in Feſtum duplex minus; non idem tamen dicendum de diebus tertio, ſeptimo, ac trigeſimo, ſed ſervetur Decretum Generale editum 5. Auguſti 1662. quod incipit *Cum ſanctiſſimus*. S. R. C. 19. Junii 1700.

42. Ex privata devotione Parocchianorum petentium ſæpiùs per Annum Anniverſaria pro Defunctis Parentibus, Fratribus, Amicis, & aliis Defunctis, poteſt in Ruralibus Eccleſiis cantari Miſſa ſolemnis de *Requiem* in Feſto duplici minori, altera cantata de Feſto, ubi adſunt plures, vel ſaltem duo Sacerdotes, dummodò ſermo ſit de die verè Anniverſaria a die obitus. S. R. C. 19. Junii 1700.

43. In die Commemorationis Omnium Fidelium

Defunctorum non poteſt celebrari Miſſa ſolemnis de *Requiem* poſt Primam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Januar. 1701.

44. Prohibitio facta a S. R. C. 9. Junii 1668. Sacerdotibus Sæcularibus, etiam Cappellanis, qui licèt recitaverint Officium ſemiduplex, vel ſimplex, aut feriale, ne celebrent Miſſam de *Requiem* in Eccleſiis Regularium, in quibus recitatum ſit Officium duplex de non præcepto, vel de aliquo Sancto eorumdem ſui Ordinis, intelligi etiam debet pro Eccleſiis Monialium. S. R. C. 11. Febr. 1702. vide n. 22.

45. Infra Octavam Corporis Chriſti, & Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ, vel pro Defunctis. S. R. C. 15. Sept. 1714.

46. Declarationes Alexandri VII. 22. Jan. 1667., & Clementis IX. 23. Sept. 1669. circa Miſſas Defunctorum in Altari pro Animabus Purgatorii privilegiato non celebrandas, licèt loquantur tantùm de Feſtis duplicibus, tamen intelligendæ ſunt etiam de diebus Dominicis, & infra Octavas Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus, licèt a Feſto duplici non impediantur; adhuc tamen Miſsæ Defunctorum juxta Ritum Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenùs nimirùm Miſſæ, quas iiſdem diebuscelebrare licitum eſt, ſervata cæteroquin Privilegiorum forma, ad Altaria privilegiata celebrentur. S. R. C. 15. Septemb. 1714.

47. Feria ſecunda poſt Dominicam infra Octavam Omnium Sanctorum, Feſto Duplici minori occupata, in qua pro Animabus Confratrum cantatur Officium Defunctorum cum Solemnitate, debet cantari Miſsa de *Requiem*. Quod ſi Anniverſarium prædictum contingat in Feſto altioris Ritus, debet illud præcedenti die celebrari. S.R.C. 8. Martii 1738. (excluſo die Dominico.)

48. An in diebus infra Octavam Corporis Chriſti Dupli-

Duplicia non excludentibus, cantari poſſit Miſsa de *Requiem* de die Obitus, tertio, ſeptimo, & trigeſimo, ac anniverſario in dicto Octavario incidentibus? Reſponſum fuit negativè, & ſerventur Decreta vulgata in Nuſcana 12. Septemb. 1671., & in Collenſi 5. Julii 1998. S.R.C. 8. Martii 1738.

49. Cùm juxta Rubricas Ritualis Romani abſque Miſſa, quantùm fieri poteſt, Defunctorum Corpora non ſint ſepelienda, poterit, præſente Cadavere, unica Miſſa ſolemnis pro Defunctis celebrari Feria ſecunda poſt Paſcha, aut Pentecoſtes. Hæc autem Miſſa decantabitur in Duplicì primæ claſſis haud feſtivo, ſi Corpus præſens fuerit, aut pridie ſepultum. S. R. C. 2. Sept. 1741. Vide num. 3. 37. 53.

50. In Miſſis quotidianis, quæ pro Defunctis celebrantur, poſſunt quidem plures dici Orationes, quàm tres, ſed curandum, ut ſint numero impares, & aliquando pro illa *Deus veniæ largitor*..., impunè ſubrogabitur alia V. G. pro Patre, pro Matre &c. dummodo ultimo loco dicatur illa *Fidelium*... S.R.C. 2.Sept. 1741.

51. In Miſſis Defunctorum, ſeu Paramentis nigris, non miniſtretur Euchariſtia per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, extrahendo Pyxidem a Cuſtodia; poteſt tamen miniſtrari per modum Sacrificii, prout eſt, quando Fidelibus præbetur Communio cum particulis infrà eamdem Miſſam conſecratis. S. R. C. 2. Sept. 1741.

52. Poſſunt adimpleri quælibet Fundationes, ſive in honorem Sanctorum, ſive pro Defunctorum liberatione, Miſſam de die celebrando, quando & Miſſæ Sanctorum, & Defunctorum prædictæ ab occurrente primæ, vel ſecundæ Claſſis ſolemnitate, aut feſtivo die quoad Forum impediatur. S. R. C. 2. Sept. 1741.

53. Utrùm in Dominicis primæ Claſſis, & aliis die-

Digitized by Google

diebus, in quibus abſolutè quæcumque alia Feſta etiam primæ Claſſis excluduntur, licitum ſit cantare Miſſam de *Requiem*, præſente Cadavere? Et reſponſum fuit: Servetur Decretum latum die 5. Julii 1698. videlicet, in Duplicibus primæ Claſſis (Exceptis Feſtivis, & Feriis ſecundis, & tertiis pariter Feſtivis Paſch. & Pentecoſt.) etiam præſente Cadavere, non poteſt cantari Miſſa Defunctorum. S. R. C. 21. Mart. 1744. Vide n. 3. 37. 49.

54. Miſſæ de *Requiem* extra Altare, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum etiam in Pyxide, poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non ſit pro publica cauſa. S. R. C. 7. Maii 1746.

55. Cùm contingat ſæpiùs in Eccleſiis Regularium, vel aliis, præſertim in die Obitus, ſeu Anniverſario Defunctorum, Miſſas celebrari a confluentibus Sacerdotibus, ſupplicatur declarari, an Sacerdotes, qui recitant Officium de Feſto duplici, confluentes ad Eccleſias, ſive Regularium, ſive aliorum, ubi dicitur Officium de Semiduplici, poſſint ibi dicere Miſſas privatas Defunctorum? Reſponſum fuit negativè. Sac. Rit. Cong. 7. Maii 1746.

CAPUT XXIX.

De Ritu Mortuos ſepeliendi.

1. CUM ex variis Summorum Pontificum Privilegiis, Fideles vita decedentes in Eccleſiis noſtris, vel earum Cœmeteriis Sepulturæ mandari valeant; Ritus idcircò, & Cœremoniæ in hujuſce charitatis miniſterio ſervandæ hìc præſcribuntur.

2. Ac in primis Campanæ ſignis præmoniti Regulares noſtri ad Eccleſiam Parochialem, vel aliam, aut etiam ad Domum Defuncti pro locorum conſuetudine pro-

proceſſionaliter conveniunt, ibique modeſtè Parochum præſtolantur. Quo accito, precibuſque de more ſupra Cadaver ab eo abſolutis, ordine ſuo bini & bini procedunt Cœnobitæ, Pſalmos devotè, diſtinctè, gravique voce continuò recitantes, in quorum fine dicitur *Requiem æternam dona ei Domine* ..., intonata priùs ab ipſo Parocho Antiphona *Exultabunt Domino*.

3. Cùm ad Eccleſiæ Limen deventum fuerit, etſi Pſalmus nondùm ſit expletus, dicitur tamen *Requiem æternam* .., atque repetitur Antiphona *Exultabunt Domino oſſa humiliata*. Deinde Eccleſiam ingreſſi cantant Reſponſorium *Subvenite Sancti Dei*..., Cantore incipiente, & Clero alternatim reſpondente. Recta interim deducitur Cadaver ad medium Eccleſiæ, ibique ſic locatur, ut pedes illius, ſi fuerit Laicus, Altare Majus reſpiciant, ſi verò Sacerdos, caput ſit versùs ipſum Altare. Crucifer autem locum ſemper ad caput Defuncti occupat, & Clerus ſtat in circuitu Feretri, Reſponſorium ad finem perducens.

4. Finito Reſponſorio, Cereiſque in numero decenti accenſis circa Corpus, quin è Feretro deponatur, ſtatim, niſi quid impediat, dicitur Officium Defunctorum, ut in Rituali Romano cum tribus Nocturnis, & Laudibus. Si verò ob rationabilem cauſam, videlicet ob temporis anguſtiam, vel aliorum funerum inſtantem neceſſitatem, prædictum Officium integrum recitari nequeat, dicatur ſaltem primum Nocturnum cum Laudibus, maximè ubi ejuſmodi viget conſuetudo, incipiendo ab Invitatorio *Regem cui omnia vivunt*..., ſub ritu duplici. Quod ſi etiam ea fuerit temporis anguſtia, vel urgens neceſſitas, ut nec unum Nocturnum cum Laudibus dici valeat, aliæ preces, & ſuffragia nuſquam omittantur.

5. Pſalmi clauduntur verſiculo *Requiem æternam*

dona

dona eis, Domine .., etſi pro uno tantùm fiat Officium. Verſus item in fine cujuslibet Nocturni dicuntur in numero plurali, & *Pater noſter* totum ſecretò. Lectiones leguntur ſine Abſolutione, Benedictionibus, & Titulo, nec in fine additur *Tu autem Domine* ... Prolixum Reſponſorium *Libera me Domine de morte æterna ..*, dicitur ſemper, & dumtaxat in Officio novem Lectionum. Pſalmi *Lauda Anima mea ..*, & *De profundis ..*, omittuntur. Preces flexis genibus ab omnibus recitantur, Hebdomadario tamen ad Orationem aſſurgente, quam ſub brevi concluſione terminat, quin aliud ſuperaddat, ſi immediatè ſequatur Miſſa ſolemnis Defunctorum; aliàs ſubjungit *Requiem æternam dona eis ..*, & Cantores *Requieſcant in pace*. S. R. C. 2. Decemb. 1684., prætermiſſo ℣. *Anima ejus*.

6. Dum perſolvuntur Laudes, Sacerdos cum Miniſtris Sacras induit Veſtes, eamque, ſi per tempus licuerit, decantat Miſſam, quæ eſt ſecunda pro Defunctis, vel prima, ſi perſona fuerit inſignis. Qua expleta, fit Abſolutio ſupra Cadaver, ut in Cap. præcedenti, & Rit. Rom., incipiendo abſolutè ab Oratioue *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, abſque ulla mutatione, etiamſi pro Muliere, vel pro pluribus Exequiæ peragantur.

7. Poſt Orationem *Deus, cui proprium eſt ...*, Corpus defertur ad Sepulchrum, ſi tunc deferendum ſit, eo ordine, quo ad Eccleſiam delatum eſt, cantando interim Antiphonam *In Paradiſum ...*, quæ repetitur, ſi longior ſit via. Ad locum Sepulturæ ſtant omnes, ut ſupra, ſi commodè fieri poteſt; & Sacerdos Sepulchrum, ſi pridem non fuerit benedictum, benedicit, dicens Orationem *Deus, cujus miſeratione ...*, etiamſi Cœmeterium, Eccleſia, vel Cappella ſint benedicta. Tum impoſito cum benedictione incenſo in Thuribulo, ter Aqua luſtrali aſpergit, & incenſat Cadaver, & Tumulum, quin è loco diſcedat.

8. Quòd

8. Quòd ſi Corpus tunc ad Sepulturam non deferatur, omiſſo Reſponſorio *In Paradiſum* .., & Benedictione Sepulchri, ſi jam eſt benedictum, intonat Celebrans Antiphonam *Ego ſum* .., & Cantores *Benedictus Dominus* .., quod reliqui alternis proſequuntur. Repetita Antiphona, Sacerdos ipſe dicit *Kyrie eleiſon* .., deinde *Pater noſter* .., & dum ſecretò recitatur, ter aſpergit Cadaver e loco pedum, quin Feretrum circumeat. In fine Orationis *Fac, quæſumus* .., dextera ſignum Crucis ſupra Cadaver producens ſubdit *Requiem æternam dona eis* .., & Cantores *Requieſcant in pace*. Mox idem Celebrans graviori voce profert *Anima ejus, & Animæ* .., quo dicto, proceſſionaliter in Eccleſiam, vel in Sacriſtiam remeant, interim recitando Antiphonam *Si iniquitates* .., cum Pſalmo *De profundis* .., & in fine *Requiem æternam dona ei, Domine*.

9. An liceat Curatis, ſalvis eorum juribus Parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum Defunctorum, ne Regulares Curati ad funus corpora Defunctorum ad quaſvis Eccleſias deferenda unà cum Parochis & Clericis proceſſionaliter aſſocient? Reſponſum fuit Regulares in caſu propoſito non poſſe impediri. S. R. C. 23. April. 1633.

10. Officium ſuper Cadàveribus in Eccleſiis Regularium ſpectat, & pertinet ad ipſos Regulares, non autem ad Curatos Defunctorum, & ita in poſterum ſervari mandavit, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 27. Nov. 1638.

11. Electionem, & numerum Religioſorum pro aſſociandis Cadaveribus ad libitum hæredum Defunctorum ſpectat & pertinet; ita ubique ſervari debere cenſuit. S. R. C. 14. Jan. 1640.

12. In Exequiis poſt Abſolutionem, quæ fit ſupra Cadaver in die obitus, vel ſupra Tumulum in die

Anniverſario, dicto Verſu *Requieſcant in pace*, ſubjungi debet: *Anima ejus, & Animæ omnium Fidelium Defunctorum per Miſericordiam Dei requieſcant in pace.* Sed ſuper Lecticam, ſeu Caſtrum doloris in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, nihil eſt ſuperaddendum. S. R. C. 2. Decemb. 1684.

13. In Depoſitione Defunctorum in verbis illis *Non intres in judicium cum Servo tuo, Domine, quia nullus apud te juſtificabitur homo..*, quando eſt Mulier, aut plures ſunt Defuncti, non poſſunt verba *Servo tuo* immutari in *Serva tua*, vel *Servis tuis*, abſque Sacræ Rubricæ læſione, & ſervandum eſt Rituale. S. R. C. 31. Aug. 1697.

14. In Abſolutione in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, non eſt dicenda tota Concluſio in Oratione. S. R. C. 5. Jul. 1698.

15. In ſecundo triduo Hebdomadæ Majoris non poſſunt celebrari Exequiæ Defunctorum, & Officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1736.

16. Regulares cujuſcumque Ordinis non poſſunt intra limites Parochiæ, & extra ambitum propriæ ſuæ Eccleſiæ Abſolutiones Defuncti facere, eoſque incenſo adolere, etiamſi ad id faciendum rogati ſint a Parentibus Defuncti, vel a Magiſtratibus Civitatis, quando agitur de funeribus unius e Magiſtratibus: Parochi enim juriſdictio ſupra Defuncto durat, quouſque tranſeat in aliorum juriſdictionem: non tranſit autem in juriſdictionem Regularium, niſi quando pervenit ad fores eorum Eccleſiæ. Sac. Congr. Concil. 28. Febr. 1708. in Sutrina, & 26. Mart. 1711. in Montepolitiano. Et ſicut non licet Parocho, depoſito Feretro ante Limina Eccleſiæ Regularium, conſuetas recitare Preces ſupra Cadaver ex Decr. S.R.C. in Camerinenſi 1. Sept. 1708. ita non poterunt Regulares, antequam verè & realiter ſit Cadaver intra limites pro-

propriæ juriſdictionis, ſuper illud abſolvere, depoſito Feretro in Vico, qui actus ad ſummum unicè ſpectaret ad Parochum. S. R. C. 2. Sept. 1741.

17. An in Exequiis Defunctornm Sacerdotum præſente Corpore, Subdiaconus ſe ſiſtere debeat ad caput Defuncti Sacerdotis, vel ad pedes juxta opinionem P. Merati? Reſponſum fuit, ſervetur Rituale Romanum, & in Exequiis defuncti Sacerdotis præſente Corpore locetur Crux ad caput Defuncti inter Feretrum & Altare. S. R. C. 3. Septemb. 1746.

CAPUT XXX.

De Ritu ſepeliendi Parvulos.

1. CUM Infans, vel Puer ſacro Baptiſmatis fonte regeneratus diem clauſerit extremum ante rationis uſum, atque apud Nos tumulandus erit, inducetur primùm juxta ætatem a Parentibus, & imponetur ei Corona de floribus, ſeu herbis aromaticis, & odoriferis in ſignum integritatis carnis, & virginitatis; dummodo puer non expleverit ſeptimum ætatis annum, ut ex Mandato Benedicti XIV. in Rituali Romano addendo. Accedent indè Religioſi ad paternas lares Defuncti, præeunte ſine haſta Vexillo Crucis, ubi Curatus ter aſperget Cadaver, dicens interim Antiphonam *Sit Nomen Domini..*, cum Pſalmo *Laudate pueri Dominum*.

2. Mox dirigetur ad Eccleſiam Proceſſio, Fratreſque bini & bini ordine ſuo incedentes Pſalmum *Beati immaculati..*, ac etiam ſi tempus ſuperſit, *Laudate Dominum de Cœlis..*, devotè concinent, haud quaquam prætermiſſo, excepto triduo Hebdomadæ Majoris, Verſiculo *Gloria Patri*. Campanæ vel nullimodè, vel feſtivo pulſabuntur ſono.

3. In ipſo Eccleſiæ ingreſſu, Hebdomadarius Superpelliceo & Stola, vel etiam Pluviali albo opportunè indutus Antiphonam *Hic accipiet* intonabit, & Cantor Pſalmum *Domini eſt terra..*, quem cæteri proſequentur, rectâ interim deducendo Cadaver ante Aram Principem, ubi, omnibus, ut aliàs dictnm eſt, ritè diſpoſitis, Celebrans poſt repetitionem dictæ Antiphonæ immediatè ſubdet ultimò *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter..*, quod dum ſecretò recitabitur, Defunctum ter aſperget, quin Feretrum circumiat; ac deinde Verſiculos, & Orationem, prout in Rituali, dicet.

4. Poſt Orationem *Omnipotens, & mitiſſime Deus*, idem Celebrans, etiamſi Cadaver ad Tumulum tunc non deferatur, mox intonabit Antiphonam *Juvenes, & Virgines*, & Cantor Pſalmum *Laudate Dominum de Cœlis*, quem Chorus unà cum duobus aliis ſubſequentibus perficiet. Repetita Antiphona, recitabit Sacerdos ultimò *Kyrie eleiſon*, *Pater noſter*, alioſque Verſus cum Oratione *Omnipotens ſempiterne Deus...* Deinde, impoſito ac benedicto de more incenſo ter luſtrali Aqua aſperget, & thurificabit Puerum, ac Tumulum.

5. Poſtea ex priſco & laudabili Eccleſiarum more, non in communibus & promiſcuis Cœmeteriorum, & Eccleſiarum monumentis, ſed in peculiari & ſeparato ab aliis loculo, quatenus commodè fieri poterit, humabitur. Tandem in reditu a Sepultura ad Eccleſiam dicetur Antiphona *Benedicite*, cum Cantico trium Puerorum, & Celebrans ante Aram Majorem ſtans ſubdet, poſt repetitionem Antiphonæ, ℣. *Dominus vobiſcum..*, cum Oratione *Deus, quì miro ordine..*: & in ſilentio diſcedent omnes.

6. In Exequiis Parvulorum in Feria V. in Cœna Domini, & in Feria VI., & Sabbato Sancto Majoris Hebdomadæ poteſt omitti *Gloria Patri*, in Pſalmis, qui dicuntur,

cuntur, pro conformitate temporis. Sac. Rit. Congreg. 16. Januar. 1677.

CAPUT XXXI.

De Cæremoniis in Choro ſervandis, dum dicitur Miſſa Solemnis.

1. STatim ac Celebrans Confeſſionem incipit, Vicarius Introitum præcinit, & Chorus eumdem proſequitur; indæ bini Clerici ſubſequentem Verſiculum cum *Gloria Patri* ſimul decantant, ſi Officium duplex, vel ſemiduplex fuerit, aliàs primus Cantor ſolus præfatos Verſus canit, & in fine idem Introitus integrè repetitur a Choro, vel ab Organo. Qui actu cantant, nec ſedent, nec genuflectunt in tota Miſſa, ſed ad Legile detecto capite, continuò ſtant; reliqui autem, exceptis Prælatis, genua flectunt, donec Celebrans Altare conſcendat; alterniſque Confeſſionem faciunt bini & bini, ſubmiſſa voce, ſignantes ſe, ac percutientes pectus, ſicuti Celebrans, & tunc Dignior incipit, inferiore reſpondente. Similiter debitis temporibus erecti dicunt viciſſim *Kyrie*, *Gloria in Excelſis*, *Credo*, *Sanctus*, & *Agnus Dei*, dummodo prædicta a Schola Cantorum decantentur, alioquin Chorus univerſus ſimul omnia concinit in Cantu Gregoriano, & quæ Organi modulatione ſupplentur, duo Clerici in medio Chori intelligibili voce legunt; vel deficiente Organo, primus Chorus incipit, & alter reſpondet, & ſic alternatim uſque ad finem. In Miſſis Defunctorum, & Feriarum Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, quæ jejunantur, genuflectunt omnes etiam Prælati ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo, ad Orationes ante Epiſtolam, & dicto per Celebrantem *Sanctus*, uſque ad *Pax Domini* incluſivè, & ad Orationes poſt Communio-

nionem, ac ſuper Populum, exceptis Vigiliis Nativitatis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes, Feria 5. in Cœna Domini, Feriis Rogationum, & Quatuor Temporibus Pentecoſtes.

2. Dum Celebrans dicit *Aufer a nobis*, & aſcendit ad Altare, ſurgunt omnes, ac nudo capite conſiſtunt, ad initium uſque Thurificationis, quo tempore ſedere poſſunt. Deinde aſſurgunt, ac ſigno Crucis ſe muniunt cum Celebrante ad Introitum, & alternatim dicunt *Kyrie*, *Chriſte*, & *Kyrie eleiſon*, quibus finitis conſident. Cùm Celebrans intonat *Gloria in Excelſis*, ſtant converſi ad Altare, & caput inclinant, inde proſequuntur Hymnum, & contemporaneè cum Celebrante ſignant ſe in fine ad *Cum Sancto Spiritu*.... Poſtquàm autem ſederit Celebrans, ſedent & ipſi tecto capite, quod denuò inclinant, ac diſcooperiunt, dùm cantantur *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Jeſu Chriſte*, *Suſcipe deprecationem noſtram*... Si autem prædicta, ac infrà dicenda a Choro univerſo decantentur, ſtant omnes nudo capite.

3. Ad Orationes diſcoperti ſtant versùs Altare, caput inclinantes ad *Oremus:* poſteà ſedent, donec incipiatur Evangelium a Diacono, niſi fortè ſit priùs genuflectendum, prout ad ea verba *In Nomine Jeſu omne genuflectatur*, *Cæleſtium*, *terreſtrium*, & *infernorum*, in Epiſtola Dominicæ Palmarum, ac Miſſarum SS.Crucis, ad Verſus *Veni Sancte Spiritus*, in Miſſa de Spiritu Sancto, & ad *Adjuva nos Deus* in Quadrageſima. Bini autem Cantores. qui præfatos Verſus concinunt, nonniſi expleto cantu genuflectunt. Cùm Diaconus dicit *Flectamus genua*, genuflectunt omnes, excepto ſolo Celebrante, ac ſtatim, dum Subdiaconus ſubdit *Levate*, aſſurgunt.

4. Ad Evangelium nudo capite conſiſtunt omnes aliquantulùm versùs Diaconum, & ſe cum eo, pollice dexte-

dextero, ſignant in fronte, ore, & pectore, ſiniſtra pectori eidem admota; & ſe inclinant, vel genuflectunt versùs Altare, quando opus eſt, licèt Diaconus ea præſtet versùs Librum.

5. Dum Celebrans Symbolum decantat, ſtant, ut priùs, illudque recitant bini & bini, vel alternatim canunt, uti ſuprà. Ad illa verba *Deum* in principio, caput inclinant, quemadmodum, & ad *Simùl adoratur*, *Jeſum Chriſtum*; ad Verſum autem *Et incarnatus eſt*, genuflectunt uſque ad *Et Homo factus eſt*, incluſivè; quas inclinationes, ac genuflexionem repetunt, quum nuper memorata a Choro decantantur; & in fine dicentes *Et vitam venturi ſæculi* ſignant ſe ſigno Crucis cum Celebrante, ac ipſo ſedente, ſedent.

6. Expleto Symbolo, erigunt ſe univerſi, ac reſpondent ad *Dominus vobiſcum*, caput inclinantes ad *Oremus*. Inde reſident uſque ad Incenſationem Chori, & ſi non incenſatur, uſque ad Præfationem, niſi cantent ad Lectorile. Statim verò ac Diaconus pro Thurificatione Chorum ingreditur, ſurgunt omnes, detecto capite, ac mutuis inclinationibus invitant ſe ad accipiendum Thus, nec priùs ſedere debent, quàm Diaconus univerſos thurificaverit, ac diſceſſerit.

7. Cùm Celebrans Præfationem incipit, ſtant converſi ad Altare nudo capite, quod ad *Deo noſtro*, & Nomen *Jeſu*, ac *Mariæ* inclinant; poſtea alternis dicunt *Sanctus*, ſicut Celebrans, & ad *Benedictus* ſignant ſe a fronte ad pectus. Quo dicto, vel incœpto Canone, genua flectunt omnes uſque ad elevationem Calicis incluſivè; Cantores verò erecti proſequuntur cantum uſque ad *Benedictus qui venit*... excluſivè in quacumque Miſſa. Quo finito, & non priùs elevatur Sacramentum, & ſilet Chorus, & cum aliis adorat; Organum verò, ſi adſit, cum omni tunc melodia, & gravitate pulſandum eſt.

8. Poſt

8. Poſt elevationem, ac depoſitionem Calicis; Chorus proſequitur *Benedictus qui venit...*, & omnes ſurgunt, ac nudo capite ſtant versùs Altare uſque ad Communionem cùm Sacerdotis, tum Populi, ſi facienda ſit, incluſivè. Cùm Celebrans dicit *Pax Domini..*, tam in Altari, quàm in Choro fit ſignum Crucis ſuper frontem, os, & pectus, ut in Cappella Pontificia obſervatur. Dicto alternatim *Agnus Dei...* cum tunſione pectoris, manus junctas tenent, & ſic pacem expectant, quam ſibi ſucceſſivè cum debitis Ritibus deferunt. Deinde facta Communione Sacerdotis, & Populi, cantatur Antiphona, quæ dicitur *Communio*, quo tempore ſedent omnes, ac iterum aſſurgunt ad Orationes ad finem uſque Miſſæ. Benedictionem tamen Sacerdotis genuflexi omnes, præter Prælatos, accipiunt. Ad Evangelium Crucis ſignum pollice dextero efformant ſibi in fronte, ore, & pectore. Denique ad ea verba ultimi Evangelii *Et Verbum Caro factum eſt*, vel, *Et procidentes adoraverunt eum*, aut ſimilia, genuflectunt, ac brevi aliqua Oratione facta, in ſilentio diſcedunt.

CAPUT XXXII.

De Sacroſancto Miſſæ privatæ Sacrificio.

1. NOnnulla licèt in ſuperioribus Capitibus de Miſſa plana enunciata fuerint; nihilominus cùm in iiſdem longè plura deſiderentur ad perfectam exactamque celebrationem, quæ nec cuilibet præſtò eſſe queunt: placuit iccircò Ritus ac Cæremonias Miſſales per extenſum hìc ſubjicere, ne Sacerdotes noſtri aliò confugere cogantur. Ac in primis nonniſi in Eccleſia, vel loco ad hunc duntaxat effectum a Majoribus approbato, offeratur tremendum Altaris Sacrificium.

2. Ubi-

2. Ubicumque verò Sacrum peragatur, fixum Altare lapideum erigatur, ab Epiſcopo conſecratum; vel ſaltem Ara lapidea, quæ portatilis vocatur, ſimiliter ab Epiſcopo conſecrata, & Reliquiis appoſitis in medio, ex Sanctis præcipuè Martyribus ab Eccleſia adprobatis. Qui lapis ita inſertus ſit in Altari ligneæ, alteriuſve materiæ, ut aliquantulùm emineat; tantæque magnitudinis, ut Hoſtiam & Calicem commodè capiat. Quò verò ad Altare purè portatile, Privilegia olim conceſſa illo utendi, in eoque celebrandi, omninò ſunt revocata.

3. Hoc Altare tribus operiatur Mappis, ſeu Tobaleis mundis a Superiore locali benedictis, quarum prima ſaltem oblonga ſit, ac ad terram profluat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri poteſt, diei Feſto, vel Officio convenientis. Quod Pallium non ſolet benedici nec unà, nec ſeparatim ab aliis Paramentis; cùm nec in Rituali, nec in Pontificali propria ejuſdem extet benedictio; imò ſine eo celebrari poteſt, ſi frons Altaris decenter picta ſit, vel affabrè elaborata.

4. Super Altare collocetur Crux in medio, præalta & benedicta, cum Imagine Crucifixi. Duo præterea hinc & inde adſint ſaltem Candelabra cum candelis ex cera accenſis. Ad Crucis pedem Tabella Secretarum apponatur cum alia minoris formæ ad cornu Evangelii, in qua Evangelium S. Johannis *In principio*, & altera in cornu Epiſtolæ, ubi ſcriptus ſit Pſalmus *Lavabo*, cum Oratione deſuper, *Deus*, ✠ *qui humanæ ſubſtantiæ*. In eodem cornu Epiſtolæ adſit Cuſſinus Miſſali ſupponendus, & a latere ejuſdem Cereus, ab elevatione Sacramenti uſque ad Communionem incluſivè accendendus. Item in feneſtrella, ſeu parva Menſa, prope Altare, ſeu cornu Epiſtolæ, linteo mundo tecta, parentur Ampullæ vitreæ,

 (ne

(ne error contingat) pro vino, & aqua, cum Pelvicula, Manutergio mundo, & Tintinnabulo. Super Altare autem nihil omninò ponatur, quod ad Miſſæ Sacrificium, vel ipſius Altaris ornatum non pertineat. Pradella tandem, ſeu Suppedaneum ligneum convenienter elevatum adſit pro Sacerdote.

5. Quibus paratis, Sacerdos Miſſam celebraturus, Matutinum ſaltem cum Laudibus aliaſque preces juxta opportunitatem priùs abſolvet, Sacramentalique Confeſſione conſcientiam ſuam, ſi opus fuerit, emundabit. Cavebit autem, ne Miſſalibus Indumentis, & præcipuè Stola & Planeta, amictus confiteatur. Exinde in Sacrario, vel alibi Orationi genuflexus vacabit aliquantulùm, ac præparatorias preces *Ne reminiſcaris*... devotè recitabit. Quæ Antiphona in Duplicibus duplicabitur, addito *Alleluja*, Tempore Paſchali, necnon ℣. *Gloria Patri* in fine cujuslibet Pſalmi, etiam intra Paſſionis tempus, excepto ultimo Triduo ante Paſcha. Prædictæ tamen preces, in Miſſis præſertim de *Requiem*, abſque ullo prorſus ſcrupulo liberè omitti queunt, dummodò congrua illis ſubſtituatur alia præparatio, in qua, ultra commune ac particulare *Memento* Vivorum & Mortuorum, intentionem efformabit applicandi Sacrificium juxta mentem Superioris vel Sacriſtæ, ſeu ejus ad quem ſpectaverit, necnon faciendi id quod facit Eccleſia, dicendo Orationem *Ego volo celebrare Miſſam*.

6. Præparatoriis precibus expletis, Directorium currentis Anni inſpiciet, Miſſale arripiet, perquiret Miſſam, attentè præleget, atque ſignacula ſuis aptabit locis. Meminerit autem Sacerdos celebrare Miſſam, currenti Officio, quoad fieri poteſt, reſpondentem, etiam in Semiduplicibus & feriis. Poſtea lavabit manus, dicens Orationem *Da Domine*..., eaſque linteo mundo ad id deſtinato exterget.

7. Quo

7. Quo facto, Calicem ab Epiſcopo conſecratum, & ex auro, vel argento confectum, cujuſve cuppa argentea ſaltem ſit intus deaurata, præparabit, ſuper os illius reponendo Purificatorium mundum ſemel tantùm complicatum, ne decidat Patena, a Superiore benedictum, in cujus medio Crux acu picta appareat; & ſuper illud Patenam itidem, ut ſuprà, inauratam & conſecratam, cum Hoſtia majori integra, & a fragmentis expurgata. Parva inde Palla linea, ſolida & candida, abſque textura ſerica in parte ſuperiori, Hoſtiam conteget, tum Velo ſerico, amplo & benedicto, cæteris Paramentis concolori.

8. Eidem tandem Velo ſuperponet Burſam benedictam ejuſdem coloris, Crucem in ſuperiori partis medio habentem; intrinſecus autem ſerico, aut tela candida munitam, & intus Corporale album, a Superiore locali ſimùl cum Palla benedictum, & ex lino dumtaxat confectum, abſque ſerico vel auro in medio, ſed cum parva Cruce ex eodem lino acu picta, non in medio, ſed in ora ipſius. Exinde Velum anterius Calicis ſuper partem apertam Burſæ ad ſe converſam revolvet, ut commodius Calicem ad Altare deferre queat.

9. Tum depoſito Pileolo, Indumenta Miſſalia ſumet, dicens ſecretò ad ſingula ſingulas Orationes a Rubrica præſcriptas. Ac primùm propriis manibus accipiens abſque ullo ſigno Crucis Amictum circa extremitates, oſculabitur illum in medio, ubi eſt Crux. Inde præfatum Amictum Capiti imponens, cordulas ex eo pendentes ſub brachiis poſt tergum ductas, & ante pectus reductas ſtrictè colligabit. Tum manibus junctis, quod ſemper obſervabit, dum actu non erunt occupatæ, caput ſubmittens, Alba induetur, manicam primò dextram brachio dextro, & ſiniſtram ſiniſtro imponens; atque Albam ip-

 ſam,

ſam, adjuvante Miniſtro, circa collum, humeros, brachia, ac totum corpus diſtendet & aptabit.

10. Poſthæc Cingulo lineo potiùs quàm ſerico, coloris albi, vel Paramentorum, per Miniſtrum a tergo ſibi porrecto cinget ſe ſuper lumbos, non ſupra pectus, & ante corpus ſtrictè ligabit, ne Alba defluat in terram, Cinguli extremitatibus firmetur Stola.

11. Poſtmodum, ſacerdos ſuis manibus Manipulum accipiet, & Crucem in medio deoſculabitur, etiam in Miſſis Defunctorum, ipſumque aciculis, aut cordulis firmabit brachio ſiniſtro infrà cubitum, non longè a manu. Deinde utraque manu Stolam a ſeipſo ſumens, ſimili modo oſculabitur eam, ac humeris ſuperimponet nec propè nimis, nec procul a collo; quam appoſitam ante pectus in modum Crucis, ita ut pars dextera ſit ſuper ſiniſtram, extremitatibus Cinguli hinc inde ipſi Cingulo alligabit. Poſtremò Planeta, adjuvante Miniſtro, ſine oſculo induetur, itaut Stolam contegat, eamque cordulis religabit, ne a tergo indecenter pendeat.

12. Sacerdos itaque Miſſalibus indutus Paramentis, alios Sacerdotes fortè adſtantes primùm ſalutabit operto capite, nihil dicens; ac deinde ſiniſtra manu Calicem, ùt ſupra, præparatum, per nodum accipiens nec nimis diſtantem, nec pectori adhærentem deferet ita elevatum, ut ſummitas ejus ad mediam pectoris altitudinem pertingat, dextera extenſa Burſæ ſuperpoſita, ne quid decidat. Supra Calicem nihil omninò ponet præter ea, quæ a Rubrica præſcribuntur, non Sudariolum ſeu Manutergium, non perſpicilla, non clavem tabernaculi, non oſtenſorium, neque rem aliam. Linteolum verò ad emundandas nares Cingulo adhereat a parte dextera ſub Planeta.

13. Celebrans ſumto, ut ſupra, Calice, Cruci vel Imagini Sacriſtiæ profundam exhibebit reverentiam tecto

tecto capite. Tum luſtralem Aquam ad Oſtium Sacrarii accipiet, atque, idoneo præcedente Miniſtro cum Miſſali, & etiam Superpelliceo, ſaltem in ſolemnitatibus, ſi fuerit Religioſus, ad Altare coopertus procedet gravi ac modeſto inceſſu, erecto corpore, oculiſque demiſſis nihil dicens. Neminem per viam etiam ſalutatus ſalutabit, ſi excipias Prælatos ac Principes inſignes in loco eorum juriſdictionis, quibus, quemadmodum & Choro, ſeu Clero, aut alteri Sacerdoti parato fortè occurrenti, debitam peraget reverentiam, capite operto. Si verò contigerit eum tranſire ante Aram Maximam dumtaxat, vel locum, ubi Sacræ reconduntur Reliquiæ, aut ante Altare in quo ſolemniter expoſita eſt Reliquia inſignis alicujus Sancti, tecto capite profundè illi ſe inclinabit. Et ſi Reliquia fuerit Chriſti Domini, vel ex Inſtrumentis ſuæ Paſſionis ac publicè expoſita, unicum tunc genu coopertus flectet. Quod pariter obſervabit tranſiens ante Altare in quo aſſervatur Sacramentum, vel ante aliud Sacellum ſibi proximè occurrens, poſt conſecrationem. Tranſiens denique ante Sacramentum vel publicè, etiam in Pyxide expoſitum, vel in proceſſione delatum, utrumque genu prius flectet, inde caput deteget, & profunde inclinabit; poſteà cooperiet ſe, ſurget, ac viam proſequetur abſque alia reverentia. Hoc ipſum faciet, ſi in Altari elevetur, vel miniſtretur SS.Euchariſtia; nec prius aſſurget, quàm Celebrans Calicem ſuper Corporale depoſuerit: haud tamen permanebit genuflexus ſi in longum protrahatur Communio Populi.

14. Ubi Sacerdos ad Altare, in quo Sacrum peracturus eſt, devenerit, ſtans ante illius infimum gradum in plani medio, dextera Amictum demittet, quem Miniſter ſupra humeros aptabit. (Nec Pileolum abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ facultate adhibebit; quin ipſa etiam obtenta, ab uſu illius a Præfatione uſque ad peractam Communio-

munionem abſtinebit). Tum Crucem deſuper poſitam profunda inclinatione ſalutabit; vel, exiſtente ibidem SS. Sacramento in Tabernaculo, unicum & quidem dexterum genu in plano ſeu imo gradu flectet: Miniſter verò ſemper genuflectet. Inde Sacerdos ad medium Altaris mox aſcendet abſque alia reverentia, ibique ad partem Evangelii Calicem deponet, cujus demiſſo ambabus manibus Velo in anteriori parte revoluto, ſiniſtra Burſam accipiet, & dextera Corporale ab ea extrahet. Quo facto, Burſam eadem ſiniſtra manu ad cornu Evangelii collocabit inter Candelabra, non ſubtus, ne decidente cera deturpetur, ita ut pars illius aperta medium Altaris reſpiciat. Si verò in ea depictæ ſint acu Imagines Sanctorum, aut quid ſimile, illarum tunc, non oris Burſæ habebitur ratio, ne figura invertatur. Corporale poſtmodùm ambabus manibus in medio Altaris ſuper lapidem conſecratum explicabit, ita ut anteriores Menſæ ſive Altaris extremiates exæquet, non excedat, & pars, in qua Crux picta reperitur, ad Celebrantem vergat. Calicem denique ſuper Corporalis medio una & altera manu reponet, illudque undequaque Velo cooperiet, aut ſaltem in parte anteriori in forma pyramidali, ſi Velum breve nimis ſit. Quæ omnia ſimiliter obſervabit, prius quàm ab Altari deſcendat; ſi, deficiente Sacriſtia, aut Abaco, in cornu Evangelii, nunquam verò in medio, Paramenta accipiat.

15. Collocato in Altaris Calice, manus ante pectus conjunget, aliquantulum a Planeta diſtantes, extenſis, & junctis pariter digitis faciem potius, quàm terram directè reſpicientibus, & pollice dextero ſuper ſiniſtram in modum Crucis poſito. Qui modus jungendi manus ſervabitur ſemper, præterquam poſt Conſecrationem, ut dicetur infra. Junctis itaque manibus, Sacerdos ſimplicem Cruci exhibebit inclinationem, quin ocu-
los

los ad Cælum attollat. Quam inclinationem peraget, quoties ante Crucem tranſibit, vel accedet, aut recedet ab ea, niſi paulò ante, vel poſt acceſſum, aut receſſum præſcribatur a Rubrica oſculum Altaris, ſeu alia inclinatio.

16. Facta, ut ſupra, reverentia, mox ad cornu Epiſtolæ ſe conferet manibus junctis, ibique Miſſale clauſum ſuper Cuſſino jam repoſitum a Miniſtro, utraque manu aperiet, Miſſam perquiret, ac ſignacula ſuis locis iterum aptabit. Quo facto, ac relicto Miſſali aperto, ubi Introitus occurrens legere eſt, ad medium Altaris redibit manibus ante pectus junctis; ibique profunda exhibita Cruci reverentia, abſque oculorum elevatione, aut manuum disjunctione, ſeu quacumque Oratione, illico (modò tamen Cerei Altaris ſint accenſi, ac omnia rite diſpoſita) retrahet ſe aliquantulum ad partem Evangelii, ne directè deſcendendo, Cruci vel Tabernaculo terga vertat, & converſa facie ad cornu Epiſtolæ, ab Altari ad planum Cappellæ deſcendet, oculis ſemper demiſſis, manibuſque ante pectus junctis.

17. Quò perventus mox convertet ſe ad Altare, eique ſtans in medio ante infimum gradum, manibus junctis profundè ſe inclinabit, quin oculos prius ad Crucem elevet, vel genuflectet in plano ſeu imo gradu, ſi inibi adſit SS. Sacramentum in Tabernaculo incluſum. Poſtea erectus abſque alia reverentia Miſſam incipiet: ac primùm ſiniſtra manu extenſa, & infra pectus retenta, vertet ad ſe palmam dexteræ, omnibuſque illius digitis junctis ac extenſis, frontem tribus mediis ejuſdem dexteræ digitis phyſicè tanget, clara interim voce proferens *In Nomine * Patris*. Exinde manum ad pectus, ſupra non infra ſiniſtram transferet, dicens *Et * Filii*; tum ad humerum ſiniſtrum *Et * Spiritus*, denique ad humerum dexterum *San*cti*, & ad *Amen* manus iterum, ut ſupra,

ſupra, conjunget. Quod ſemper exequetur, quoties ſeipſum ſignare opus erit.

18. Si in Altari vicino elevetur Hoſtia, priuſquàm Sacerdos Sacrum incœperit, genua flectet in infimo gradu, nec aſſurget, niſi depoſito Calice. Quod ſi tunc Calicem aptet, Miſſamve requirat, munus ſuum perficiet, ac poſtea genuflectet, ut ſupra. Inchoatam verò jam Miſſam, dum prædicta fit elevatio Hoſtiæ, ad finem perducet, nihil omninò advertens. Sacerdos inſuper quammaximè curabit, ut ea, quæ clara voce dicenda ſunt, diſtinctè, devotè, integrè, & appoſitè proferat, non admodùm feſtinanter, ut advertere poſſit quæ legit; nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios tunc fortaſſis in eadem Eccleſia celebrantes; neque tam ſubmiſſa, ut a circumſtantibus audiri nequeat; ſed mediocri, & gravi, quæ & devotionem moveat, & Audientibus ita ſit accommodata, ut, quæ leguntur, intelligant. Quæ verò ſecretè dicenda ſunt, ita pronuntiabit, ut & ipſemet ſe audiat, & a circumſtantibus non audiatur. Quod verò ad durationem Miſſæ privatæ attinet, nec brevior, nec prolixior ſemi horæ ſpatio erit.

19. Celebrans producto ſibi, ut ſupra, Crucis ſigno, manus iteratò ante pectus conjunget, eademque voce clara pronuntiabit Antiphonam *Introibo ad Altare Dei*, cui Miniſter a ſiniſtris illius genuflexus reſpondebit *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam*. Exinde Sacerdos uti priùs ſtans incipiet ac proſequetur alternis cum Miniſtro Pſalmum *Judica me Deus..*, in cujus fine caput Cruci inclinabit, dicens *Gloria Patri...* Quem Pſalmum nunquam prætermittit, niſi in Miſſis Defunctorum, & de Tempore a Dominica Paſſionis incluſivè, uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè. In Miſſis tamen Votivis de Paſſione, ac de Cruce, etiam Tempore Paſſionis

ſionis celebrandis, dicetur omninò prælaudatus Pſalmus cum *Gloria Patri* in fine ejuſdem, nec non in Introitu, & *Lavabo*.

20. Dicto ℣. *Gloria Patri*, ac reſponſo *Sicut erat* a Miniſtro, mox Sacerdos Antiphonam *Introibo* repetet, quin particulam *Et* præmittat. Qua repetita, ſubdet ℣. *Adjut*orium noſtrum*, verba ita diſtribuens, ut ad *Adjutorium* ſignet interim frontem dextera manu extenſa, & ſiniſtra pectori admota; pectus ad *Noſt*rum*, ſiniſtrum humerum ad *In * Nomine*, & dexterum ad *Do*mini*. Quo pariter modo ſignabit ſe Miniſter, ac in fine reſpondebit *Qui fecit Cælum*... Tum, junctis ante pectus manibus, Altari profundè ſe inclinabit, maximaque humilitate recitabit *Confiteor*, ut in ordine Miſſæ, quin nomen alterius Sancti, excepto *Beato Franciſco*, & *Beatum Franciſcum* ſuperaddat. Pronuntians *Vobis Fratres*, vel *Vos Fratres*, nullum reverentiæ ſignum erga Miniſtrum, aut Populum præſtabit non vertendo ſe modò ad unam, modò ad aliam partem. Proferens item nomen *Mariæ*, haud caput inclinabit, cùm jam reperiatur inclinatus inclinatione omnium maxima, quæ minorem includit, quod in ſimilibus ſemper retinebit. Ad *Mea * culpa*, *mea * culpa*, *mea * maxima culpa*, ter pectus, dexteræ manus digitis omnibus ſimul junctis, clauſis & curvis, modeſtè ac leniter percutiet, ſiniſtra infra pectus poſita. Deinde Confeſſionem eodem modo ſtans inclinatus perficiet; qua finita, Miniſter, prætermiſſo *Amen*, illicò ſubjunget, *Miſereatur tui*.., in cujus fine reſpondebit Celebrans *Amen*; ac poſtea eriget ſe; & Miniſter incipiet, ac proſequetur *Confiteor*.. profundè inclinatus.

21. Peracta a Miniſtro Confeſſione, Celebrans erectus ſtans, manibus junctis, immediatè reſpondebit *Miſereatur veſtri*.., quin præmittat *Amen*, vel convertat ſe ad Miniſtrum, aut poſt *dimiſſis* addat *omnibus*. Miniſter

 autem

autem profundè adhuc inclinatus in fine dicet *Amen*, ac poſtea eriget ſe. Mox Sacerdos producens ſibi manu dextera, ſiniſtra infra pectus retenta, ſignum Crucis; ita ut ad *Indul*gentiam* ſignet frontem, ad *Abſolu*tionem* pectus, ad *Et remiſſio*nem* humerum ſiniſtrum, & ad *Peccatorum * noſtrorum*, omiſſo *Omnium*, humerum dexterum, Abſolutionem impertietur, ad quam pariter ſignabit ſe Miniſter, ac reſpondebit *Amen*. Tum Celebrans mediocriter inclinatus, & junctis manibus, clara voce proſequetur alternatim cum Miniſtro *Deus tu converſus*, & ea quæ ſequuntur in ordine Miſſæ, uſque ad *Oremus* incluſivè, quod eadem voce inclinatus, ut ſupra, proferet, extendens ac jungens manus, quin eas elevet, aut humiliet, vel humerorum latitudinem excedere permittat, ſive oculos ad Cœlum attollat, aut caput inclinet.

22. Dicto, ut ſupra, *Oremus*, Sacerdos tunc & non prius ab inclinatione eriget ſe, atque junctis manibus, ad medium Altaris ſtatim aſcendet abſque prævia aliqua genuflexione aut reverentia, ſecretò interim recitans Orationem *Aufer a nobis*... lentè vel expeditè pro qualitate diſtantiæ, ita ut ad Altare perventus ultimum Orationis proferat verbum. Quo expleto & non prius, manus ita junctas Altaris medio ſuperponet, ut ſex longiores digiti ſimul uniti innitantur Altari, digiti verò parvi dumtaxat aliis itidem, conjuncti frontem, ſeu medium anterioris partis Menſæ, ſeu Tabulæ, aut Antipendii Altaris tangant, reſiduo manuum Aram inter & ſeipſum retento, ac pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito. Quæ omnia ſervabit ſemper, cùm manus ante Conſecrationem ſuper Altare junctas tenebit: poſt Conſecrationem verò pollices ab indicibus haud disjunget, donec ipſi, Communione peracta, purificati & abſterſi fuerint. Collocatis itaque Ritu enunciato ſuper Altare manibus, mox Orationem *Oramus te Domine*..,

ne . . ., ſubmiſſa itidem voce, mediocriter inclinatus proferet; & ad verba illa *Quorum Reliquiæ * hic ſunt* . . ., poſitis æqualiter hinc inde manibus uſque ad pulſum excluſivè, extenſis ſuper Altari extra Corporale, niſi latum nimis eſſet, adeoque geſtus inconcinnus, (quod in pari caſu ante Conſecrationem ſemper exequetur, poſtea verò nec pollices ab indicibus disjunget, nec manus extra, ſed intra Corporale reponet) mox paululùm ab Altari retrocedens, caputque rectè inclinans, Aram ipſam non antipendium, in medio, ubi Crux depicta reperitur Corporalis, non autem a latere deoſculabitur, nullam ibidem deſignans Crucem pollice vel manu. Quem ritum in ſimilibus fideliter obſervabit.

23. Oſculato Altari, ac præfata Oratione expleta, manus junctas ante pectus de more tenens accedet abſque ulla Cruci reverentia, ad cornu Epiſtolæ, naturaliter incedendo, ideoque ſiniſtrum latus ad Altare convertendo. Ibi erectus ſtans, verſa ad Aram facie, ac producens ſibi a fronte ad pectus ſignum Crucis dextera manu, ſiniſtra infra pectus poſita, ſimul incipiet voce intelligibili Introitum Miſſæ, quem deinde manibus junctis proſequetur. Ad *Gloria Patri*, Crucem ſimplici inclinatione ſalutabit, capite ac perſona aliquantiſper ad eam converſis, ſed abſque oculorum elevatione. Cùm prædictum repetet Introitum, non ſignabit ſe, uti prius, ſed manus jam ante pectus conjunctas retinebit. Et eo repetito, ad medium Altaris, junctis itidem manibus, ſe conferet, dexterum tunc latus in gradiendo volvens ad Altare; ubi ſtans versùs illud erectus, junctis ſimiliter manibus, ſimplicem Cruci, vel ad ſummum mediocrem exhibebit inclinationem, quin oculos ad Cœlum attollat; ac deinde eadem clara voce dicet ter *Kyrie eleiſon*, ter *Chriſte eleiſon*, & ter *Kyrie eleiſon* alternatim cum Miniſtro.

 24. Poſt

24. Poſt ultimum *Kyrie*, ſtans, ut ſupra, in eodem Altaris medio, clara voce incipiet Hymnum Angelicum, ſi dicendus ſit. Atque dum *Gloria* proferet, manus pridem junctas, non autem Altari ſuperpoſitas extendet, & ad *In excelſis* elevabit eas uſque ad humeros, & non ultra eorum latitudinem, aut altitudinem (quod in omni manuum extenſione & elevatione obſervabit). Cùm verò dicet *Deo*, manus ante pectus de more conjunget, atque caput Cruci ſimpliciter inclinabit, abſque oculorum elevatione. Inde capite & corpore erecto, Hymnum ad finem devotè perducet, manibus junctis; atque ad illa verba *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi*, *Jeſu Chriſte*, *Suſcipe deprecationem noſtram*, & iterum *Jeſu Chriſte*, ſimplicem inclinationem Cruci exhibebit. In fine verò dicens *Cum***Sancto*, dexteram manum, ſiniſtra pectori admota, ad frontem deferet; cùm verò proferet *Spi***ritu*, portabit illam ad pectus; cùm dicet *In***gloria*, humerum tanget ſiniſtrum, & ad *Dei** *Patris* dexterum, atque manus denuò conjunget ad *Amen*.

25. Dicto Hymno Angelico, vel, ſi omittendus ſit, poſt ultimum *Kyrie*, Celebrans, extenſis apertiſque hinc inde manibus, non verò brachiis, neque ſolis digitis ſed etiam palmis ſuper Altare extra Corporale oſculabitur illud in medio, ut ſupra dictum eſt. Tum iiſdem manibus ante pectus de more junctis, oculiſque ad terram demiſſis, convertet ſe ad Populum per ſiniſtrum latus Altaris, hoc eſt Epiſtolæ, ſeu dexterum ſuum. Ibique conſiſtens in medio, quin Altari vel modicùm a tergo innitatur, clara ac intelligibili voce dicet *Dominus*, extendens ſimul & aliquantulùm elevans manus pridem ſtrictè junctas, ità ut humerorum altitudinem, latitudinemque non excedant, & palma unius manus alteram directè reſpiciat, digitis ſimul junctis. Proferendo autem *Vobiſcum*, manus eaſdem illicò ante pectus conjunget, quin

quin illas, caputve Populo inclinet. Quem Ritum in omni manuum extenſione, elevatione, & conjunctione, necnon Populi ſalutatione retinebit. Miniſter verò, inclinato aliquantulùm capite, reſpondebit eodem vocis tono *Et cum ſpiritu tuo*.

26. Quibus prolatis, Sacerdos debita cum gravitate ac modeſtia, junctis de more manibus ante pectus, revertetur per eamdem viam ad Miſſale in cornu Epiſtolæ ſuper cuſſino collocatum; ubi præfatas manus abſque elevatione extendens & ſtatim conjungens, clara voce proferet *Oremus* cum ſimplici capitis inclinatione versùs Crucem. Inde extenſis denuo manibus ante pectus ad æqualitatem humerorum, uti ſupra enunciatum eſt, Orationem clara voce dicet erectus. Quo tempore, ſi folium dextera vertendum ſit, ſiniſtram tum ſuper librum reponet; quod in ſimili ſemper ſervabit, ita ut manus una, occupata altera, elata haud remaneat. Ad Orationis concluſionem, hoc eſt *Per Dominum*, vel *Per eumdem Dominum noſtrum*, manus de more conjunget ante pectus, & ad *Jeſum Chriſtum* caput verſus Crucem inclinabit abſque elevatione oculorum. Quòd ſi Oratio his concludatur verbis *Qui vivis*, vel *Qui tecum vivit*, tunc Sacerdos dictam concluſionem manibus, ut prius, extenſis proferet, easque ad *In unitate* tantùm & incluſivè conjunget, quin caput inclinet, aut ad Crucem ſeſe convertat. Et ſi plures legendæ occurrant Orationes, primam tantùm, ac ultimam concluſione debita terminabit, quemadmodum primæ ſolùm & ſæcundæ invitationem *Oremus* præmittet, iiſdem, qui ſuprà, ſervatis Ritibus in voce, extenſione & conjunctione manuum, necnon capitis inclinatione.

27. Quoties Sacerdos SS. Nomen *Jeſu* tantùm pronuntiabit, ſive in Oratione, ſive in quacumque alia occaſione, caput verſus Crucem inclinabit inclinatione mini-

minimarum maxima, vel verſus Evangelium, ſi in ibi nominetur, aut verſus Sacramentum, ſi jam peracta fuerit conſecratio. Et ſimiliter ubicumque proferet nomen *Mariæ* tantùm, caput ſemper inclinabit inclinatione minimarum media verſus Librum, non verò Crucem. Ad nomen pariter *B. Franciſci*, vel Sanctorum de quibus dicitur Miſſa, vel fit commemoratio ſpecialis, & ad nomen Papæ viventis, quin ad nomina Suffragiorum quæ habentur in Oratione *A cunctis*, ſimplicem, hoc eſt minimarum minimam capitis inclinationem exhibebit verſus Miſſale.

28. Si Altare erectum fuerit ad Orientalem plagam ſive realem, ſive imaginariam, hoc eſt, tali pacto conſtructum, ut Celebrans non modò Crucem, verùm & Populum habeat ante faciem ſuam; tunc Sacerdos dicturus *Dominus vobiſcum*, *Orate Fratres*, *Ite Miſſa eſt*, vel daturus Benedictionem, non vertet humeros ad Altare, ſed oſculato illo de more in medio ibidem perſiſtet erectus ſicuti eſt, facie ad Populum verſa, atque junctis & expanſis manibus, ut ſuprà, dictum Populum ſalutabit ac benedicet.

29. In Quatuor Temporibus, vel quoties plurimæ occurrent dicendæ Orationes cum Prophetiis, ſeu Lectionibus, Sacerdos, finito ultimo *Kyrie* in medio Altaris, exhibitaque Cruci inclinatione, mox ad cornu Epiſtolæ revertetur manibus junctis; ubi ſtans ante Librum clara voce proferet *Oremus*, extendens ſimul ac jungens ante pectus manus, & caput Cruci de more inclinans. Tum iiſdem manibus ſuper Altare hinc inde Miſſalis poſiti extenſis, ut ſeipſum ſuſtineat, dexterum tantùm genu-flectet, atque interim dicet *Flectamus* genua*; cui reſpondente Miniſtro *Levate*, illicò aſſurget, & Orationem extenſis, ut ſupra manibus, leget, ac in concluſione conjunget juxta regulam ſuperius traditam. Poſtea leget

get Prophetias, poſitis hinc inde manibus ſuper Librum vel Altare, ut mox dicetur de Epiſtola.

30. Dicta igitur Oratione, vel Orationibus, modo ſuperiùs enunciato, Celebrans, poſitis hinc inde manibus ſuper Miſſale, aut Altare, ita ut palmæ Librum tangant, vel, prout placuerit, utraque manu Librum tenens, leget Epiſtolam clara & intelligibili voce, corpore erecto. In cujus decurſu ſi occurrerit Nomen *Jeſu*, vel *Mariæ*, aut Sancti, de quo celebratur Miſſa, ſeu ſit Commemoratio, ad primum caput Crucem versùs profundiùs inclinabit, ad reliqua autem versùs Miſſale, uti pridem fuit dictum. Completa Epiſtola cum aliqua vocis flexione, reſpondebit Miniſter *Deo gratias*, & Sacerdos ſimiliter ſtans, eodem modo proſequetur Graduale, ſeu Tractum, aut *Alleluja* cum Sequentia, ſi dicenda ſint.

31. Quibus finitis, ac relicto Miſſali aperto, quod Miniſter ſtatim ad cornu Evangelii deferet, ad medium Altaris procedet junctis manibus ante pectus nihil dicens. Ibique erectus ſic conſiſtens, oculos, non verò caput, ad Imaginem Crucifixi elevabit, ſtatimque demittet. Tum profundè inclinatus ſubmiſſa omninò voce dicet *Munda cor meum ....*, *Jube Domine benedicere*, non *Domne*, & *Dominus ſit in corde meo ...*, prout in Ordinario, quin manus Altari ſuperponat, vel modicùm illud tangat. Quo facto eriget ſe, ac protinus, abſque alia Cruci reverentia, ad Librum junctis adhuc manibus accedet; ubi ſtans versùs illum obliquè poſitum, ita ut poſterior pars illius reſpiciat ipſum cornu Altaris, non verò partem ejus contra ſe directam, intelligibili voce proferet *Dominus vobiſcum*, quin manus disjungat, cui Miniſter reſondebit *Et cum ſpiritu tuo*. Deinde pronuncians *Sequen*✶*tia*, vel *Initi*✶*um Sancti Evan*✶*gelii ſecundùm* ✶ *N.*✶, cui Miniſter reſpondebit *Gloria tibi Domine*, pulpa pollicis dexteræ manus totaliter extenſæ, reliquis digi-

digitis ſimul junctis, Librum ſuper principio Evangelii, quod lecturus erit, ſignabit parvo ſigno Crucis, ſiniſtra itidem extenſa ſuper ipſum Miſſale retenta. Poſteà eodem pollice producet ſibi in fronte, ore, & pectore parvulum Crucis ſignum, ſiniſtram manum extenſam admovendo ipſi pectori, & extendendo pariter dexteram junctis aliis digitis, palmamque ipſius dexteræ ad ſe convertendo. Tum junctis iterum manibus ante pectus, quin caput inclinet ad *Gloria tibi Domine*, majori pauſa ac diſtinctione proſequetur Evangelium uſque ad finem, ſtans, ut ſupra, converſus ad cornu Altaris, corpore & capite erecto, non autem brachiis vel manibus Altari aut Libro innixis. Quòd ſi in Evangelii lectione, genuflectendum, vel inclinandum fuerit caput, id versùs Librum, non verò Crucem præſtabit.

32. Finito Evangelio, Miniſter ſtans in cornu Epiſtolæ poſt infimum Altaris gradum in plano eadem voce reſpondebit *Laus tibi Chriſte*. Sacerdos autem elevans parumper Librum ambabus manibus ſine Cuſſino, & aliquantulùm ſe inclinans ſubmiſſa voce dicet *Per Evangelica dicta*, ac deinde oſculabitur principium Evangelii abſque ulla Crucis productione, ſubnectens *Deleantur noſtra delicta* ſine *Amen*. Quo facto, Miſſale cum Pulvino Corporali adproximabit utraque manu, ut commodius ex illo legere queat, quæ in medio Altaris dicenda erunt. Inde procedet ad ipſum Altaris medium junctis manibus, ubi, prætermiſſa reverentia, ſtans Crucem versùs, corpore & capite erectus, clara voce incipiet ac proſequetur Symbolum, ſi dicendum ſit. Dum autem proferet hoc verbum *Credo*, manus pridem junctas, nec Altari ſuperpoſitas extendet; ad vocem *In unum*, eaſdem elevabit ad æqualitatem humerorum; ac denique ad *Deum*, conjunget ante pectus, & caput, abſque ejuſdem, vel oculorum elevatione, Cruci inclinabit,

habit, prout dictum fuit de Hymno Angelico. Poſteà erecto capite, ſtans ibidem, junctis ante pectus manibus, ut prius, Symbolum ad finem perducet voce intelligibili, caput inclinans ad ea tantùm verba *Jeſum Chriſtum*, & *Simul adoratur*. Ad illa autem *Et incarnatus eſt* ... incluſivè, uſque ad *Et Homo factus eſt* pariter incluſivè, extenſis prius hinc inde manibus ſuper Altare extra Corporale, unicum genu & quidem dexterum uſque ad terram flectet, quin pedem nimis, vel corpus aliquantulùm extendat, aut caput inclinet, & infra Altare demittat, ſeu anteriorem Planetæ partem elevet manibus; quod in ſimilibus genuflexionibus ſemper obſervabit. Poſtremò dicens *Et* * *vi***tam* ... producet ſibi manu dextera ſignum Crucis, ſiniſtra pectori admota; prædicta verba ita diſtribuendo, ut ad *Et** *vi***tam* frontem tangat & pectus, ad *Ven***turi* humerum ſiniſtrum, & ad *Sæ***culi* humerum dexterum, conjungens inde manus ad verbum *Amen*.

33. Dicto Symbolo, vel, ſi illud prætermittendum ſit, poſt Evangelii oſculum, Celebrans ſtans adhuc in medio Altaris junctis manibus, eaſdem mox disjunget, ac extenſas hinc inde ſuper Altare extra Corporale reponet, ipſumque Altare in medio deoſculabitur. Tum erigens ſe, ac manus ante pectus junctas tenens, convertet ſe ad Populum per partem Epiſtolæ, ſeu versùs latus ſuum dexterum, atque in medio conſiſtens, demiſſis oculis, Altari minimè innixus, clara voce proferet *Dominus vobiſcum*, extendens ac jungens, ut ſupra, manus. Mox iiſdem junctis manibus, per eandem viam convertet ſe ad medium Altaris, ubi extendens rurſum, ac jungens manus, caputque Cruci inclinans, abſque illius vel oculorum elevatione, eadem voce dicet *Oremus*, ac ſubinde Offertorium perleget voce itidem clara, & junctis, ut prius, manibus.

34. Lecto Offertorio, Calicem in medio adhuc depoſitum diſcooperiet, removendo ab eo Velum ambabus manibus a parte anteriori vel poſteriori, prout magis decentia aut commoditas exiget; quod poſtea ipſe extra Corporale, vel Miniſter, ſi idoneus fuerit, plicabit, ac reponet prope Tabellam Secretarum, ſeu prope Corporale, non verò ſupra, ad partem Epiſtolæ. Tum ſiniſtra Altari extra Corporale ſuperpoſita, dextera Calicem per nodum accipiet, collocabitque ad cornu Epiſtolæ extra Corporale. Inde manu eadem dextera amovebit parvam Pallam deſuper Hoſtiam, eamque deponet ſuper Corporale, ac aliquantulùm ſuper Velum Calicis, ut commodè accipi valeat; quod deinceps obſervabit. Poſtmodùm ſola manu dextera inter pollicem, indicem & medium digitum ſumet de Calice Patenam cum Hoſtia; cui occurrens ſiniſtra, eamdem ambabus manibus, hoc eſt tribus primis digitis utriuſque manus, reliquis ſubtus poſitis, elevatam tenebit ſuper medium Corporalis ad altitudinem tantùm pectoris, ita tamen, ut parumper ab ipſo diſtet. Qua ſic diſpoſita, oculos ad Deum, ideſt ad Crucifixum elevabit, & ſtatim demittet, ac ſecretò dicet *Suſcipe Sancte Pater*....

35. Peracta Oblatione, ac expleta dicta Oratione, & non priùs, Sacerdos Patenam cum Hoſtia utraque manu directè declinans, ac ſuper Corporale quaſi per palmum elevatam ſuſtinens, cum ea efformabit Crucem mediocrem, diſtinctam & extenſam ſuper dictum Corporale, non per quatuor puncta, ſed per binas æquales lineas, primam ab Altari ad ſeipſum, alteram a ſiniſtra ſua ad dexteram, longitudinis unius circiter palmi. Poſteà e Patena Hoſtiam deponet ſuper Aram conſecratam, quaſi in medio anterioris partis Corporalis, ita ut tempore ſuo commodè oſculari valeat Altare. Qua collocata, ſiniſtram manum ſuper Altare extra Corporale retrahet,

trahet, & dextera præfatam Patenam a parte Epiſtolæ, aliquantulùm ſubtus Corporale ponet.

36. Deinde, exhibita, junctis manibus, inclinatione Cruci, ad cornu Epiſtolæ accedet; ibique ſiniſtra accipiens Calicem per nodum, dextera illum Purificatorio exterget ab intus. Inde repoſito dicto Purificatorio inter digitos ſiniſtræ manus, qua tenebit, ut ſupra, Calicis nodum ſuper Altare, dextera recipiet per manubrium Ampullam vini de manu Miniſtri, & Calicem ori Ampullæ aptè admovens, vinum (quoad fieri poterit album) in eumdem infundet, in ſufficienti ac decenti quantitate, nihil dicens. Quo impoſito, Ampullam reſtituet Miniſtro, vel ſuper Pelviculam, non verò ſuper Tobaleam deponet, eodemque modo tenens ſiniſtra Calicem, dextera producet ſignum Crucis ſuper Ampullam aquæ, dicens interim, & non prius *Deus ✠ qui humanæ ſubſtantiæ...* ſubmiſſa voce, & infundens eadem dextera parum aquæ naturalis in Calicem, proſequetur *Da nobis per hujus aquæ & vini myſterium*, inclinando caput verſus Crucem ad *Jeſus Chriſtus*.

37. Reddita Miniſtro Ampulla aquæ, eadem dextera guttas circa labia Calicis, & intus, fortè diſperſas abſterget Purificatorio, quo deinde partem illam Patenæ, quæ eſt extra Corporale, cooperiet. Tum relicto Calice in parte Epiſtolæ prope Corporale, ad medium Altaris, junctis de more manibus ante pectus, accedet; ibique peracta Cruci reverentia, ac deinde ſiniſtra manu ſuper Altare extra Corporale poſita, dextera accipiet per nodum Calicem diſcoopertum, & ſiniſtra illi occurrente per pedem; atque ita ipſum ambabus manibus ſuſtinens elevatum ad altitudinem oculorum, & a pectore aliquantùm diſtantem, ſecretò dicet *Offerimus tibi Domine...*, intentis ſemper ad Deùm oculis. Quod ſi legenda eſſet prædicta Oratio ex defectu memoriæ, tunc ſufficiet elevatio oculorum in principio.

38. Poſt Orationem, & non prius, Calicem tantiſper demittet, & cum eo, retento ſemper ambabus manibus, ut ſupra, ſignum Crucis per duas æquales ac directas lineas unius circiter palmi, ſupra Corporale efformabit, advertens ne prædicta Crux cum illa Patenæ confundatur, nevè ſuper Hoſtiam producatur. Deinde Calicem in medio Corporalis, ſuper Aram conſecratam, retro Hoſtiam per ſpatium alterius circiter Hoſtiæ collocabit ambabus manibus, ac ſtatim Palla cooperiet, ſiniſtra interim poſita ſuper Altare extra Corporale, vel pedem Calicis tenente.

39. Poſitis inde manibus junctis ſuper Altare, ita ut frontem illius contrectent minores duo digiti, uti aliàs dictum eſt, mediocriter inclinatus dicet ſecretò *In ſpiritu humilitatis...* Poſtea erectus oculos ad Cœlum elevabit, ſtatimque demittet, ac eodem tempore manus expandens, & elevans uſque ad humeros, atque protinus conjungens ante pectus, ſubmiſſa voce proferet *Veni Sanctificator Omnipotens æterne Deus*, quin caput inclinet. Et hic poſita manu ſiniſtrà ſuper Altare extra Corporale, proſequens *Et bene✠dic*, unicam Crucem ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul efformabit dextera extenſa, rectiſque, ac unitis digitis, non per quatuor puncta, ut diximus, ſed per duplicem lineam æqualem & rectam, quarum prima recta inchoetur a medio Pallæ anterioris, & altera tranſverſa ducatur prope oram itidem anteriorem Pallæ. Advertendum autem lineas Crucis haud eſſe formandas acumine ſeu longitudine totius manus, ſed extremitate minoris digiti; neque dexteram, etiam in tranſverſali linea, plicandam eſſe, & incurvandam, ſed rectam ſemper, ac extenſam retinendam eſſe.

40. Sacerdos benedictione, ac Oratione completa, manus ante pectus conjunget, atque ita, exhibita Cruci

Cruci reverentia, ad cornu Epiſtolæ accedet, ubi ſtans extra Altare converſus ad Miniſtrum aquam infundentem, lavabit extremitates tantùm digitorum pollicis & indicis utriuſque manus, dicens interim ſubmiſſa voce Pſalmum *Lavabo*. Tum recepto Manutergio, faciem vertet ad parietem Altaris, ac in eodem cornu Epiſtolæ, digitos, non os, aut labia diligenter abſterget, proſequens interea Pſalmum, ita ut unà cum manuum exterſione finiatur. Cùm autem pervenerit ad ℣. *Gloria Patri*, manutergium tradet Miniſtro, ac deinde junctis manibus dictum ℣. incipiet, & proſequetur, caput inclinans verſus Crucem. Sed in Miſſis Defunctorum, ac de Tempore a Dominica Paſſionis incluſivè uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè prætermittetur.

41. Poſtquam Sacerdos manus laverit, & abſterſerit, atque Pſalmum *Lavabo* integrè abſolverit in ipſo cornu Epiſtolæ, ad medium Altaris, junctis ante pectus manibus revertetur; ibique ſtans erectus, quin reverentiam Cruci exhibeat, manuſve disjungat, oculos ad Crucifixum elevabit, ac ſtatim demittet; & poſitis de more manibus junctis ſuper Altare; ita ut nimirùm minores duo digiti tangant anteriorem partem ipſius Altaris, & alii ſupra ſint naturaliter conjuncti, aliquantulum, hoc eſt mediocriter inclinatus recitabit ſecretò Orationem *Suſcipe Sancta Trinitas...*, quin ad Nomen *Jeſu*, vel *Mariæ* caput inclinet. Qua dicta, oſculabitur Altare in medio, manibus hinc inde extenſis, & ſuper illud extra Corporale poſitis; tum erigens ſe, ac manus denuo conjungens ante pectus, convertet ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, hoc eſt Epiſtolæ, & in medio conſiſtens, demiſſis ad terram oculis, nec Altari a tergo innixus, voce aliquantulum elata, ideſt mediocri, hæc duo tantùm verba *Orate Fratres* proferet, extendens ſimul, ac de more jungens manus, quin eaſdem, vel caput ad Popu-

Populum inclinet . Inde , brevi interpoſita mora verſus adſtantes, circulum integrè perficiet , revertens junctis manibus a parte Evangelii ad medium Altaris, ac interim proſequens ſubmiſſa voce *Ut meum ac veſtrum Sacrificium* ... Quo dicto , & non prius , Miniſter vel alius reſpondebit *Suſcipiat Dominus* .., & ipſe Celebrans ſubdet in fine voce ſubmiſſa *Amen* , ſtans adhuc manibus junctis converſus ad medium Altaris. Quòd ſi Miniſter, vel alius circumſtans non reſponderit, ipſemet Sacerdos erectus ſtans in eodem Altaris medio, verſa ad ipſum facie , ac manibus junctis, ſecretò dicet poſt ultima verba *Patrem Omnipotentem*, præfatam Orationem *Suſcipiat Dominus Sacrificium de manibus meis* , addendo in fine *Amen*.

42. Deinde manibus ante pectus extenſis, & elevatis, uti ad alias Orationes ante Epiſtolam , ſtanſque in medio Altaris converſus aliquantulùm ad Librum, abſolutè leget ſine *Dominus vobiſcum*, ac ſine *Oremus*, ſubmiſſa voce, Orationem, vel Orationes ſecretas, juxta numerum , ordinem, & qualitatem Orationum , quæ clara voce in principio dictæ ſunt . Si igitur unica Oratio ſit dicenda , ſecretò eam recitabit uſque ad *Per omnia ſæculà ſæculorum* excluſivè . Si verò plures adſint Orationes , primam integrè proferet unà cum concluſione voce ſubmiſſa , ac ſibi ipſi reſpondebit *Amen*; deinde ſubjunget ſecundam ſine *Oremus*, ac tertiam, quartam &c. ſub unica concluſione. Ad verba illa *Per Dominum*, vel *Per eumdem* , manus conjunget ante pectus , & ad *Jeſum Chriſtum* caput inclinabit verſus Crucem . Si verò concludatur Oratio per *Qui vivis & regnas*, vel *Qui tecum vivit*, manus tantùm junget ad vocem *In unitate*, quin caput inclinet. Advertet autem Sacerdos aliquid in Miſſali reperturus, vel folia verſurus, dum in medio Altaris conſiſtet, ſolam manum ſiniſtram, quoad fieri poterit,

terit, adhibere, dextera ſuper Altare retenta. At ubi ex neceſſitate utenda quoque erit dextera, manus ad invicem, non ſuper imponantur.

43. Cùm pervenerit ad finem concluſionis ultimæ Secretæ, nimirùm ad verba illa *Per omnia ſæcula ſæculorum* excluſivè, ſtans in medio Altaris, verſa ad illud, vel Librum facie, depoſitiſque ſuper Aram manibus hinc inde extenſis prope Corporale, abſque capitis inclinatione, aut oculorum elevatione, clara & intelligibili voce dicet *Per omnia ſæcula ſæculorum*, deinde *Dominus vobiſcum*, quin manus conjungat, vel ad Populum ſe convertat; tum *Sursùm corda*, elevans manus hinc inde extenſas uſque ad pectus, ita ut palma unius manus, junctis digitis, reſpiciat alteram; mox proferens *Gratias agamus Domino*, easdem manus junget ante pectus, ſed priùs elevabit illas uſque ad humeros, & ad *Deo noſtro*, oculos ad Cœlum attollet, ſtatimque Cruci caput inclinabit.

44. Reſponſo a Miniſtro voce itidem clara *Dignum & juſtum eſt*, extenſis denuo manibus, ac elevatis de more ad altitudinem & latitudinem humerorum, eadem intelligibili voce proſequetur Præfationem propriam, vel communem, juxta Rubricarum diſpoſitionem. Ad verba illa *Chriſtum Dominum noſtrum*, neque hìc, nec in toto Miſſæ decurſu caput inclinabit, una dumtaxat excepta vice in Canone ante *Nobis quoque peccatoribus*. Ad nomen verò *Jeſu* inclinabit ſe versùs Crucem, & ad nomen *Mariæ* tantùm versùs Librum, uti aliàs dictum eſt. Deinde pervento ad *Sanctus*, manus ante pectus, non verò ſupra Altare junget, atque mediocriter inclinatus proſequetur Hymum Seraphicum voce media inter claram & ſubmiſſam, ſcilicet depreſſa in uno tono, Miniſtro interim Campanulam pulſante. Dicturus autem voce eadem media *Benedictus qui venit...*, eriget ſe, ac

Digitized by Google

ac, ſiniſtra infra pectus poſita, ſignum Crucis ſibi de more producet, verba ſic diſtribuendo : ad *Bene * dictus* frontem ſignabit, pectus ad *Qui * venit*, humerum ſiniſtrum ad *In Nomine * Domini*, & dexterum ad *Hoſanna * in excelſis*, jungens inde manus ante pectus. Hìc notetur, quod in qualibet Dominica non habente Præfationem propriam, eſt ſemper deinceps dicenda Præfatio de SS. Trinitate. Ex Decr. Clem. XIII. 3. Jan. 1759.

45. Finita Præfatione, ut ſupra, Sacerdos erectus ſtans ante medium Altaris, verſus ad illud, manibus junctis, eaſdem mox extendet, elevabit, conjungetque de more, extollens ſimul ad Crucem oculos, ac ſine mora illos demittens. Tum manus junctas ſuper Altare illico reponet de more, & profundè inclinatus incipiet tunc & non prius Canonem, ſecretò dicens *Te igitur...*, ut in ordine Miſſæ. Dicto autem *Petimus*, manus hinc inde ſuper Altare extra Corporale extendet, illudque in medio oſculabitur. Deinde erigens ſe, ac ſtans manibus junctis ante pectus, ſecretò proſequetur *Uti accepta habeas & benedicas*; quo prolato, ſiniſtram manum ſuper Altare extra Corporale deponet, & dextera ter communiter ſuper Calicem & Hoſtiam ſignabit ritu aliàs enunciato, ſubmiſsè interim proferens *Hæc ✠ dona*, *hæc ✠ munera*, *hæc ✠ ſancta Sacrificia illibata*. Exinde manibus extenſis ante pectus, prout ad Orationes, proſequetur ex Miſſali legens *In primis*, *quæ tibi offerimus...* voce ſemper ſubmiſſa, niſi aliter notetur.

46. Cùm paulò infra in Canone dicet *Unà cum Famulo tuo Papa noſtro N.*, exprimet tantùm nomen Papæ viventis, & caput inclinabit versùs Librum in reverentiæ ſignum. Sede autem Romàna vacante, prædicta verba omittet, nec alia loco eorum addet. Proferens item iſta *Et Antiſtite noſtro N.* ſpecificabit abſque capitis inclinatione nomen Patriarchæ, vel Archiepiſcopi,

aut

Digitized by Google

aut Epiſcopi Ordinarii in propria Diœceſi, & non alterius Superioris, etiamſi Celebrans ſit omninò exemtus, vel ſub alterius Epiſcopi juriſdictione. Si verò nomen Epiſcopi loci ipſum lateret (quod tamen inquirere tenetur) vel e memoria excideret, tunc ſatis erit dicere *Et Antiſtite noſtro*, mentaliter intelligendo Diœceſanum. Quòd ſi Epiſcopus Ordinarius illius loci, in quo Sacrum peraget, vita ſit functus, dicta verba prætermittet, prout etiam reticebunt eadem Sacerdotes Romæ celebrantes. Nec loco illius nominabit Vicarium Capitularem, neque Archiepiſcopum, aut Patriarcham Antiſtitis defuncti. In locis inſuper nullius Diœceſis, nec mentio fiet Superioris localis, neque ullius Epiſcopi, & ideò prælaudata omittentur verba. Nemo tandem in Canone, præter recenſitos, erit appellandus, quamvis fuerit Generalis Miniſter Ordinis.

47. Pronuntians voce omninò ſubmiſſa *Memento, Domine, Famulorum, Famularumque tuarum N. N.*, manus illico, quin prius eas jungat, vel demittat, aut Altari ſuperponat, ſeu oculos extollat ad Cœlum, elevabit & junget uſque ad pectus, vel faciem, hoc eſt uſque ad mentum circiter. Quibus ſic junctis ſtabit pauliſper in quiete, per ſpatium unius ſaltem *Pater noſter*, capite aliquantulùm inclinato, facie verſa ad Altaris medium, applicationem Sacrificii renovans, ac pio cordis affectu commemorationem faciens Vivorum Chriſtifidelium juxta ſuam voluntatem, quorum nomina ſecretò, ſi placuerit, vel mente tantùm exprimet. Quin poterit Celebrans, ſi pro pluribus orare intendat, ne circumſtantibus ſit moroſus, ante Miſſam proponere in animo omnes illos tam vivos, quàm defunctos, pro quibus in hoc Sacrificio deprecari intendit, & in eorum reſpectivè locis generaliter unico contextu ipſorum Vivorum, ac Defunctorum commemorationem agere, pro quibus ante

te Miſſam orare propoſuit. In prædicta item Oratione, utpote privata admittere valebit etiam Excommunicatos vitandos, Infideles &c. ad converſionem.

48. Qua peracta, manus demittet, eaſque extenſas ut prius retinens, ſecretò proſequetur *Et omnium Circumſtantium*..., ac ſimiliter ſtans *Communicantes*... de proprio, vel Communi. Ad SS. Nomen *Jeſu Chriſti* caput profundiùs inclinabit versùs Crucem; ad Nomen verò *Mariæ*, vel Sancti, de quo Miſſa ſeu Commemoratio etiam infra Octavam peragitur versùs Librum. In concluſione ad *Per eumdem*, manus de more conjunget ante pectus, eaſque incipiens *Hanc igitur*... expandet ſimul ſuper Oblata, quin prius illas disjungat, ita ut palmæ ſint apertæ versùs ac ſupra Calicem & Hoſtiam, & digitorum extremitates perveniant ad medium circiter Pallæ, non tamen illam tangant, pollice dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis poſito, ſupra, non verò infra manus. Ad verba illa *Per Chriſtum Dominum*... manus abſque disjunctione claudet; & retrahet ad ſe ante pectus, atque ita junctis proſequetur *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus*.... Deinde ſiniſtra manu ſuper Altare extra Corporale depoſita, tria Crucis ſigna, juxta regulam aliàs traditam, dextera continuatè producet ſuper Calicem & Hoſtiam ſimul, dicens ad primam *Bene ✠ dictam*, ad ſecundam *Adſcri ✠ ptam*, & ad tertiam *Ra ✠ tam*.

49. Quibus diſtinctè ac ſenſim peractis, mox junctis manibus ſubſequentia verba *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis*... proferet; inde manum dexteram in eadem altitudine disjungens, non verò demittens, ſed tantùm ad ſe parumper retrahens, ſiniſtra iterum ſuper Altare depoſita, alteram Crucem breviorem ſuper Hoſtiam ſeparatim efformabit, ſecretò interim pronuntians *Cor ✠ pus*. Tum elevans aliquantulùm

lùm dexteram, eodem modo ſignabit ſemel ſuper Calicem tantùm, dicens *Et San✠guis*. Poſtmodum elevans manus, non verò oculos, eaſque tunc, & non prius conjungens ante pectus, proſequetur *Fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri*, & ad *Jeſu Chriſti* caput inclinabit Crucem versùs. Mox disjunctis manibus proferens *Qui pridie quàm pateretur*, exterget pollices & indices utriuſque manus ſuper laterales Corporalis extremitates. Et dicens *Accepit panem*, pollice ac indice dexteræ manus Hoſtiam accipiet in parte inferiori; quod ut facilius præſtet, oram illius indice ſiniſtræ manus aliquantulùm premet ſuper Corporale. Exinde ſubdens, *In ſanctas ac venerabiles manus ſuas*, prædictam Hoſtiam pollice etiam, & indice ſiniſtræ manus accipiet, reliquoſque digitos utriuſque manus ſimul extendet & conjunget.

50. Stans igitur Sacerdos erectus ante medium Altaris cum Hoſtia præ manibus erecta, non quaſi jacente, ac paululùm elevata a Corporali, ita tamen ut a Populo non videatur, ſubdet, *Et elevatis oculis in Cælum ad te Deum Patrem ſuum Omnipotentem*, quo tempore oculos, non caput ad Crucifixi Imaginem attollet, ac ſtatim demittet. Inde pronuntians *Tibi gratias agens*, caput aliquantulùm inclinabit Cruci, & retinens Hoſtiam pollicem inter & indicem tantùm ſiniſtræ manus in medio Corporalis, dextera producet ſuper eam parvulum Crucis ſignum ad vocem illam *Bene✠dixit*. Qua prolata, pollicem iterum, ac indicem ejuſdem dexteræ admovebit Hoſtiæ, uti prius, & proſequetur *Fregit*, *deditque Diſcipulis ſuis*, *dicens*: *Accipite & manducate ex hoc omnes*.

51. Quibus integrè dictis, & non priùs, cubitos Altari modeſtè ſuperponet, quin tamen Corporale manibus tangat, & ſtans capite ac humeris mediocriter inclinatis, nec non paribus in Suppedaneo pedibus, intentionem renovans faciendi id quod facit Eccleſia, diſtin-

ctè & attentè ſecretò ac viva fide proferet ſuper Hoſtiam, quam pollices inter & indices tenebit ſuper lapidem conſecratum verba Conſecrationis, Hoc est enim Corpus meum. Quibus prolatis, mox cubitos extra Altare retrahet, ſolaſque manus Sacram Hoſtiam retinentes quaſi ad extremitatem Corporalis reducet, reliquis digitis extenſis ac ſimul unitis. Tum majori reverentia unicum genu & quidem dexterum uſque ad terram flectens Hoſtiam conſecratam adorabit abſque capitis inclinatione, vel indecenti Corporis extenſione. Inde erigens ſe acceptam utraque manu Hoſtiam in inferiori parte elevabit in altum, quantùm commodè poterit, ita ut ab omnibus videatur, nec lentè nimis, nec properè, & perpendiculariter, hoc eſt recta linea, non ſuper caput, aut Calicem; junctos ac extenſos retinens poſteriores digitos, ſicut & imas partes manuum; atque ita Sacratiſſimam Hoſtiam per breviſſimum temporis ſpatium elevatam Populo reverenter oſtendet adorandam, oculos ſemper in eam fixos retinens.

52. Poſtmodum Hoſtiam ambabus manibus, ut ſupra, junctis, mox declinabit per eamdem lineam rectam, atque ſola dextera reverenter reponet ſuper Corporale in eodem loco, ubi eam prius accepit, ſiniſtra interim Corporali ſuperpoſita. Et deinceps pollices & indices non disjunget ad ablutionem uſque digitorum excluſivè, niſi quando Hoſtia tangenda, aut tractanda erit. Quod ſi fragmenta quædam poſt hunc, vel quemlibet alium Hoſtiæ contactum digitis ipſis adhæreant, affrictu eorumdem inter ſe, non ad Calicis Labrum, decidant curet in medium Calicis. Repoſita autem Hoſtia conſecrata ſuper Corporale, manus hinc inde ſuper illud extendet, retentis ſemper pollicibus & indicibus unitis, atque Sacamentum genuflexus, ut ſupra, adorabit. Inde ſurget, & retenta manu ſiniſtra ſuper Corporale, digitis medio

ac

ac indice unito pollici dexteræ Calicem diſcooperiet, collocando Pallam ſuper extremitates Corporalis, & Veli exiſtentis ad partem Epiſtolæ, ac digitos utriuſque manus exterget, ſi opus fuerit, in medio Calicis.

53. Detecto Calice & non prius, erectus ſtans dicet, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*; dein ambabus manibus accipiens dictum Calicem jnxta nodum infra cuppam, & aliquantùm, hoc eſt tribus, quatuorve digitis illum elevans a Corporali, ac ſtatim deponens, ſecretò proſequetur, *Accipiens & hunc præclarum Calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas*, & ad *Item tibi gratias agens*, caput inclinabit verſus Sacramentum. Tum ſiniſtra Calicem per nodum retinens, dextera ſuper eum parvam efformabit Crucem, interim dicens. *Bene✝dixit*. Et illico Calice, ut prius, reſumto ambabus manibus, proſequetur erectus, *Deditque Diſcipulis ſuis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes*. Quibus expletis & non antea, cubitos ſuper Altare decenter apponet, advertens ne Hoſtiam tangat, & tribus poſtremis ſiniſtræ manus digitis per pedem ſuſtinens Calicem rectum, ac parumper a Corporali, & Ara conſecrata elevatum, dextera verò per nodum infra cuppam, proferet attentè, continuatè & ſecretè, ut ſupra, ſtans mediocriter inclinatus, verba Conſecrationis Sanguinis, HIC EST ENIM CALIX.. Cavebit autem Sacerdos in Conſecratione tum Hoſtiæ, tum Calicis, ne afflet, vel ore illa contingat, ſeu in Calicem os indecenter immittat. Caput item haud movebit ad ſingula verba, neque Hoſtiam aut Calicem peracta Conſecratione oſculabitur, neque verba Conſecrationis magno conatu proferet & aſpiratione, ſed unico contextu, & nulla interpoſita mora.

54. Prolatis verbis Conſecrationis, reponet Sacerdos Calicem ſuper Corporale, & dicens ſecretò *Hæc quotieſcumque feceritis*... flexo dextero poplite pretioſiſſi-

ſiſſimum Sanguinem reverenter adorabit, retentis hinc inde manibus ſuper Corporale. Tum eriget ſe, & Calicem diſcoopertum cum Sanguine accipiens ambabus manibus, ut prius, hoc eſt ſiniſtra pedem, & dextera nodum, quin disjungantur pollices & indices, elevabit eum perpendiculariter & devotè, uti diximus de Hoſtia, & erectum, quantùm commodè poterit, ita tamen ut pes illius non excedat oculos Sacerdotis intentos ſemper in dictum Calicem, oſtendet Populo adorandum. Mox ipſum per eamdem lineam rectam reverenter deponet ſuper Corporale in locum priſtinum, & ſiniſtra manu Corporali ſuperpoſita, dextera cooperiet illum Palla, ac ambabus manibus ſuper Altare intra Corporale poſitis, genuflexus Sacramentum iteratò adorabit.

55. Deinde erigens ſe, ac ſtans in medio Altaris, extenſis manibus ad altitudinem, & latitudinem humerorum, ſubmiſsè dicet tunc, & non prius *Unde & memores...* Si utatur perſpicillis, ipſa non adhibeat, ſi poſſit, a Conſecratione uſque ad peractam Communionem; quod ſi illis neceſſariò uti debeat, ſumat ea inter indicem & medios digitos dexteræ manus, & nunquam ſuper Corporale ea deponat. Ad verba illa *De tuis donis ac datis*, manus ante pectus conjunget, ſed ita ut pollices & indices uniti inter ſe remaneant, non autem pollice dextero ſupra ſiniſtrum poſito in modum Crucis, uti ante Conſecrationem. Depoſita inde ſiniſtra ſuper Corporale, ter dextera ſignabit ſuper Hoſtiam, & Calicem ſimul, dicens interim, *Hoſtiam ✠ puram*, *Hoſtiam ✠ ſanctam*. *Hoſtiam ✠ immaculatam*. Poſtea ſuper Hoſtiam tantùm unicam producens Crucem, breviorem quidem, ſed ejuſdem altitudinis, proferet, *Panem ✠ ſanctum vitæ æternæ*, & conſimili modo ſuper Calicem dumtaxat ſignans pronuntiabit *Et Calicem ✠ ſalutis perpetuæ*.

56. Quo facto, extendet ut prius manus, quin illas

illas anteà jungat, & ſtans erectus ſecretò proſequetur ex Libro *Supra quæ propitio...* Dicturus autem *Supplices te rogamus*, manus ita junctas Altari ſuperponet, ut pollices, & indices uniti inter ſe maneant, digiti auriculares frontem Altaris tangant, & reliqui ſuper Corporale conſiſtant; atque profundè inclinatus incipiet tunc præfatam Orationem. Ad verba illa *Ex hac * Altaris participatione*, oſculabitur Altare in medio, manibus hinc inde ſuper Corporale poſitis, advertens ne Hoſtiam tangat, & protinus erigens ſe, ac jungens manus ante pectus dicet *Sacroſanctum Filii tui.* Exinde poſita ſuper Corporale ſiniſtra, brevem Crucem dextera efformabit ſuper Hoſtiam tantùm, pronuntians, *Cor✠pus*, & mox alteram ſuper Calicem dumtaxat ad verba, *Et San✠guinem ſumpſerimus*. Tum ſiniſtra pectori admota, ſeipſum dextera ſignabit modo infra poſito, advertens ne pollices & indices disjungantur, & ne Planetam, vel quid aliud tangant. Ad voces illas *Omni * benedictione*, frontem tribus ultimis dextræ manus digitis continget, ad *Cæ*leſti* pectus, ad *Et * gratia* humerum ſiniſtrum, & ad *Reple*amur* dexterum. Cùm verò pronuntiabit *Per eumdem Chriſtum*, manus ante pectus conjunget abſque capitis inclinatione.

57. Poſtmodum dicens ſecretò *Memento etiam, Domine*, abſque oculorum elevatione, manus lentè extendet, ſtatimque, quin priùs illas demittat, vel elevet, junget ante pectus ad verba *In ſomno pacis*, poſt quæ pauſa fiet, & non ante. Deinde manus junctas elevabit uſque ad faciem, hoc eſt mentum, intentiſque oculis ad Sacramentum, & capite aliquantulum inclinato, Commemorationem Fidelium Defunctorum ad libitum peraget, non in ictu oculi, ſed per ſpatium ſaltem unius *Pater noſter*, & mentaliter potius quàm verbaliter. Qua facta, ſtans, ut prius, extenſis manibus proſequetur ſubmiſſa voce *Ipſis Domine*, & in fine ad *Per eumdem Chriſtum*,

manus

manus iterum junget ante pectus, atque caput hac ſola vice inclinabit verſus Sacramentum.

58. Tum ſiniſtra manu ſuper Corporale depoſita, erectus ſtans percutiet ſibi leviter pectus tribus ultimis dexteræ digitis unitis & curvis, advertens ne pollice ac indice ſimul junctis Planetam tangat, & interim voce aliquantulum, nempe mediocriter elata proferet *Nobis quoque peccatoribus*, quin manum dexteram prius ſuper Altare deponat. Dein proſequetur ſecretò *Famulis tuis*, ſtans, ut prius, manibus extenſis; & cùm dicet *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas*, manus junctas ante pectus tenebit. Poſtea manu ſiniſtra Corporali ſuperpoſita, ter dextera ſignabit ſuper Hoſtiam & Calicem ſimùl, dicens *Sancti✝ficas, Vivi✝ficas, Bene✝dicis, & præſtas nobis*. Quibus prolatis, mox Calicem eadem dextera diſcooperiet, accipiens Pallam inter digitos medium, & indicem unitum pollici, ac illam deponens ſuper Corporale, aliquantulum ſupra Velum. Et poſitis de more manibus hinc inde ſuper Altare intra Corporale, dexterum genu uſque ad terram devotè flectet abſque rumore, & aſſurget.

59. Poſtmodùm indice ſiniſtræ manus Hoſtiam, reverenter accipiet circa medium oræ, non omninò a parte inferiori, pollicem inter & indicem dexteræ, & cum ea ſuper Calicem, quem manu ſiniſtra tenebit circa nodum infra cuppam, ter linea recta, & æquali abſque ulla prorſus ejuſdem Hoſtiæ inclinatione, ſignabit a labio ad labium, ſecretò dicens *Per ip✝ſum, & cum ip✝ſo, & in ip✝ſo*, & advertet ne Calicem Hoſtia tangat, aut aliud reverentiæ ſignum peragat. Similiter cum Hoſtia recta duplicem efformabit Crucem mediocrem, rectam & æqualem, ad calicis altitudinem, incipiens a labio ejuſdem ad pectus, ſed intrà Corporale, & incurvato brachio ſiniſtro, & interim pronuntiabit *Eſt tibi Deo Patri ✝ omnipoten-*

potenti, *in unitate Spiritus* ✠ *Sancti*. Inde recta, non verò per gyrum ducens Hoſtiam ſuper Calicem, tenebit illam inter pollicem & indicem dexteræ manus ſupra medium ejuſdem Calicis, quem ſiniſtra dein elevabit aliquantulum, ad altitudinem nempe trium aut quatuor circiter digitorum, ſimul cum Hoſtia, dicens eodem tempore *Omnis honor & gloria*. Quo facto Calicem mox priſtino loco ſiniſtra deponet, & dextera Hoſtiam ſuper Corporale; tum digitos in Calice exterget (quod certè exequi conveniet poſt quemlibet Hoſtiæ ſacræ contactum) eoſdem pollices & indices, ut prius, conjunget, Calicem Palla cooperiet, & genuflexus Sacramentum adorabit.

60. Quo adorato, eriget ſe, & manibus extenſis hinc inde ſuper Altare intra Corporale retentis, intelligibili voce dicet *Per omnia ſæcula ſæculorum*, reſpondente Miniſtro *Amen*. Tum proferens *Oremus* junget manus ante pectus, eodemque tempore caput Sacramento inclinabit; quo ſtatim erecto, eadem voce proſequetur junctis manibus ante pectus *Præceptis ſalutaribus moniti* ... Cùm verò incipiet *Pater noſter*, extendet, elevabitque de more manus, & ſtans, oculis ſemper, uti ab initio, intentis ad Sacramentum, Orationem Dominicam clarè ac devotè perficiet. Qua expleta, & reſponſo a Minſtro *Sed libera nos a malo*, idem Sacerdos ſtans, ut prius, demiſſa voce ſubdet *Amen*, quin ipſe ſecretò præmittat etiam *Sed libera nos a malo*. Deinde, & non anteà, ſiniſtra manu ſuper Corporale poſita, dextera, quin pollicem & indicem disjungat, Patenam aliquantulum Purificatorio exterget, ac poſteà deponet illud in ea a corporali diſtantia, ut Calix, facta ablutione digitorum, collocari queat inter ipſum Purificatorium & Corporale. Poſtmodùm Patenam accipiens inter indicem unitum pollici, & medium digitos dexteræ manus, illam ita ſuſtinebit erectam ſuper Altare, ut pars ejus interior ac in-

aurata Hoſtiam reſpiciat, ejuſque extremitas, ſive ora Tobaleam Altaris, vel etiam Purificatorium tangat, non verò Corporale.

61. Dextera igitur Patenam a parte ſuperiori, ut ſupra, tenens, ſiniſtra ſuper Corporale ex alia parte retenta, ſecretò Orationem *Libera nos quæſumus,* recitabit, caput de more inclinans Miſſale verſus ad nomen *Mariæ*, necnon BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, atque Andreæ, ſi de illis Miſſa celebretur, vel Commemoratio peragatur. Inde Celebrans, prius quàm verba *Da propitius pacem* proferat, elevabit manu dextera Patenam de Altari, eodemque tempore ſiniſtra infra pectus poſita, ita ut Planetam pollice ac indice unitis haud tangat, ſeipſum Patena ſignabit, dicens interim *Da* * *propitius* ad frontem, *Pa* * *cem* ad pectus, *In* * *diebus* ad humerum ſiniſtrum, & *No* * *ſtris* ad dexterum. Tum Patenam in parte ſuperiori ac interiori, non verò in medio vel quò tranſitura eſt Hoſtia, deoſculabitur, & proſequens *Ut ope miſericordiæ tuæ...* præfatam Patenam abſque nova exterſione, ita ſubmittet Hoſtiæ, quam indice ſiniſtro etiam accommodabit, ut pars ſuperior ilius ſuper pedem Calicis ſit reclinata.

62. Dictis verbis illis *Pertubatione ſecuri*, ac Hoſtia Patenæ ſuperpoſita, Calicem Ritu alias enuntiato deteget, genuflectet & aſſurget. Inde oram Hoſtiæ premens aliquantulùm indice ſiniſtro, eamdem Hoſtiam accipiet indicem inter, & pollicem dexteræ manus, & ſic ſolis illis elevabit ſuper Calicem. Poſteà digitis etiam ſiniſtræ Hoſtiam ſuper medium Calicis tenens, reverenter illam franget in duas æquales ac rectas partes, videlicet in ſuprema, media, & infima parte medietatis dicens interim *Per eumdem Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum*. Mox partem mediam Hoſtiæ; quam dextera tenet, ſuper Patenam collocabit: de alia verò parte, quæ in ſiniſtra

niſtra ſuper Calicem remanſit, franget cum pollice & indice dexteræ manus particulam ex inferiori parte, proſequens *Qui tecum vivit & regnat*, & eam præfatos inter digitos dexteræ retinens ſuper medium Calicis, partem majorem Hoſtiæ, quæ in ſiniſtra eſt, adjunget mediæ Patenæ ſuperpoſitæ, ita ut formam per quantum fieri poterit orbicularem efficiat, proferens interea *In unitate Spiritus Sancti Deus*.

63. Mox ſiniſtra Calicem per nodum infrà cuppam accipiens, & dextera particulam Hoſtiæ ſuper ipſum Calicem, ut priùs, retinens, clara voce pronuntiabit *Per omnia ſæcula ſæculorum*; & reſponſo *Amen*, cum ipſa particula ſignans ter ſuper os Calicis a labio ad labium ſine contactu, illius, eadem intelligibili voce ſubdet *Pax* ✝ *Domini ſit* ✝ *ſemper vobiſ* ✝ *cum*. Deinde reſponſo a Miniſtro *Et cum ſpiritu tuo*, particulam ipſam illicò immittet in Calicem, dicens ſecretò *Hæc commixtio*... cum inclinatione capitis ad *Jeſu Chriſti*. Quibus integrè expletis, pollices ac indices utriuſque manus aliquantulùm extergeт ſupra medium, non verò labium Calicis; iiſdemque poſteà junctis, Calicem Palla cooperiet, genuflectet, ſurget, uti aliàs dictum eſt, & ſtans mediocriter inclinatus Sacramento, junctis manibus ante pectus, non ſuper Altare poſitis, intelligibili voce pronuntiabit *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*. Ad primum *Miſerere nobis*, & non prius manus disjunget, ſiniſtram nimirùm Corporali ſuperponens, & dextera percutiens ſibi leviter pectus, quin pollice ac indice unitis Planetam tangat. Deinde abſque nova manuum conjunctione ſecundò dicet *Agnus Dei*, ſiniſtram hinc, & dexteram inde tenens ſuper Corporale, qua dextera iterum percutiet ſibi pectus ad *Miſerere nobis*; quod & tertiò præſtabit ad *Agnus Dei*, & *Dona nobis pacem*.

64. Poſt hæc manibus junctis ſuper Altare poſitis, ita ut minores digiti frontem dicti Altaris tangant,

non verò Corporale, ſupra quod digiti dumtaxat annulares & medii extendi debent, ſtans mediocriter inclinatus, oculiſque ad Sacramentum intentis, dummodò perfectè calleat memoriter ſubſequentes Orationes, ſecretò dicet *Domine Jeſu Chriſte*... cum reliquis, ut in ordine Miſſæ, quin caput inclinet ad nomen *Jeſu*. Quibus Orationibus intregrè expletis, manus hinc inde ſuper Corporale extenſas locabit, & flexo poplite dextero Sacramentum adorabit, ac poſteà erigens ſe proferet ſecretò *Panem Cœleſtem accipiam*, *&* *nomen Domini invocabo*. Quo dicto, & non priùs, parum inclinatus pollice ac indice dexteræ manus, ambobus etiam adjuvantibus ſiniſtræ digitis, reverenter ſumet de Patena ambas partes Hoſtiæ, quas illico pollicem inter & indicem ejuſdem ſiniſtræ ita collocabit, ut pars dextera Hoſtiæ alteri aliquantulùm ſuperponatur, & utraque quaſi orbem efformet. Deinde Patenam dextera ſupponet Hoſtiæ inter eumdem indicem ac medium digitos ſiniſtræ; atque ita partes hujuſmodi ſiniſtra tenens ſuper Patenam pectus inter & Calicem, quatuor circiter digitis a Corporali elevatam, ſtans medioriter inclinatus verſus Altaris medium, quin cubitum, aut brachium, ſeu manum ſiniſtram ſuper Altare ponat; aut pedem incurvet, vel corpus vertat ad latus Epiſtolæ, ſive Hoſtiam ita teneat elevatam, ut a populo videatur, ter ſibi leviter percutiet pectus tribus poſterioribus digitis dexteræ manus, ita ut index & pollex juncti Planetam haud attingant, dicens interim voce aliquantulùm elevata *Domine non ſum dignus*, & ſecretò proſequetur maxima devotione ac humilitate *Ut intres ſub tectum meum*... dextera tunc Corporali ſuperpoſita.

65. Quibus tertiò integrè dictis, eriget ſe ab inclinatione, & ex ſiniſtra accipiens ambas partes Hoſtiæ, unam alteri ſuperpoſitam, ut commodè ſumi poſſit, pollicem

licem inter & indicem dexteræ manus, cum illa erectus ſtans ſuprà Patenam, quam in ſiniſtra immotam tenebit, ſignabit ſe ipſum ſigno Crucis, ita tamen, ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ dicens ſecretò *Corpus Domini noſtri....* inclinatione capitis ad verba *Jeſu Chriſti.* Deinde cubitis non verò manibus ſuper Altare poſitis, mediocriter inclinatus ambas ſimùl partes, ſuppoſita Patena, reverenter ſumet. Quòd ſi palato, vel dentibus adhæreat fragmentum aliquod, tum lingua, non verò digito inde revellat, & ubi commodè nequeat, ſumat Sanguinem, & ablutionibus deglutiat. Caveat autem ne ante ſumtionem Hoſtiæ, aut Sanguinis, quemadmodum & in toto decurſu Miſsæ, Orationes ullas privatæ devotionis ore proferat; permittuntur tamen breves amoris, fidei, contritionis &c. actus mentales.

66. Sacroſancto Chriſti Corpore devotè ſumto, Patenam Corporale ſuper & pedem Calicis ſiniſtra deponet; & erigens ſe, junctis indicibus & pollicibus ambas quoque manus ante faciem, ideſt uſque ad mentum conjunget; atque ita conſiſtens, capite pauliſper inclinato, & oculis demiſſis ſeù compoſitis, quieſcet aliquantulùm in ferventi meditatione Sanctiſſimi Sacramenti. Qua brevi peracta, manus disjungens hæc tantùm verba ſecretò proferet *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Et interim ſiniſtra ſuper Corporale depoſita, Calicem dextera diſcooperiet, & relicta in ſuo loco Palla, ac ipſo Calice, ſi opus fuerit, parum remoto, genufle-ctet & ſurget. Deinde retinente ſiniſtra ſuper Corporale, Patenam dextera inter digitos medium, & indicem unitum pollici accipiet; tum Corporale manu ſiniſtra, pollice ſemper ac indice ſimul jùnctis, parumper elevatum ſuſtinens, ipſum diligenter inſpiciet, ac fragmenta, ſi quæ ſint in eo, cum Patena colliget. Poſtmodum ſiniſtra Patenam, non ex ea parte, qua fragmenta collegit,

legit, accipiet, eamque ſuper os Calicis inclinatam aliquantulùm retinens, pollice & indice manus dexteræ ſedulò exterget, quemadmodum & ipſos digitos, ne minimum quid fragmentorum in eis remaneat, ſed nunquam purgabit eos ad Calicis labia.

67. Poſt accuratam Patenæ ac digitorum exterſionem, junctis pollicibus & indicibus, Calicem dextera manu infra nodum Cuppæ accipiet, & ſiniſtra Patenam ſuper Corporale tenens, ſubmiſſa tunc & non prius voce dicet *Calicem ſalutaris accipiam* uſque ad *Salvus ero* incluſive. Quo dicto, ſignabit ſe ſigno Crucis cum Calice, ſecretò interim proferens *Sanguis Domini noſtri..*, inclinatione capitis ad verba *Jeſu Chriſti....* Et advertet ne dictum Calicem nimis attollat, aut eo ſe ipſum tangat, vel Patenam ſimul moveat, & Calici ſupponat. Deinde manu ſiniſtra ſubmittens Patenam Calici, hoc eſt ſubtus mentum, quin tamen illud vel minimum contingat, totum Sanguinem una cum particula ſtans reverenter ſumet, & quidem unico hauſtu, ſi poſſit, attendens ne inconcinnè Calicem reclinet, vel labia ejuſdem, aut ſua indecenter lambat. Si verò particula remanſerit in Calice, illam indice dextero ad labium adducet, & ſumet ante purificationem, vel meliùs vinum infundet, ac poſteà accipiet.

68. Hauſto igitur Sanguine, Calicem ac Patenam, ut prius, ſuper Corporale deponet, haud retracta ab eis manu, & pauliſper quieſcet in meditatione SS. Sacramenti, ſtans capite inclinato, ac oculis demiſſis. Inde proferet ſecretò *Quod ore ſumſimus..*, & retenta ſiniſtra cum Patena ſuper Corporale, Calicem è medio Altaris dextera extendet extra Corporale, ſed ſuper Altare, ita tamen ut illud minimè tangat, Miniſtro in cornu Epiſtolæ, qui vinum in Calicem infundet, donec Sacerdoti pro ſui purificatione ſatis videbitur. Poſt hæc manum

num retrahens, Calicem levi agitatione circumaget in medio Altaris, ut diſperſæ colligantur ſpecies; ibique purificationem, eadem qua hauſtus eſt Calicis parte Sanguinem, ſumet unico itidem hauſtu, Patena interim ſub mento poſita, uti in ſumtione Sanguinis.

69. Quo peracto, Patenam in medio Corporalis versùs extremitatem anteriorem deponet, quin illàm Palla contegat, vel Purificatorio extergat, aut invertat; & accipiens cuppam Calicis (abſque eo quod labium illius anteriùs, aut os ſuum digitis abſtergat) ſex inferioribus digitis utriuſque manus, pollicibus ac indicibus ſuper os ejuſdem Calicis inter ſe conjunctis, (ſi procedet ad partem Epiſtolæ, exhibita priùs Cruci reverentia) elevatum ſuſtinens Calicem extra Corporale, ſed intra Altare, niſi fortè Miniſter exiguæ fuerit ſtaturæ, pollices & indices priùs vino, deinde aqua a Miniſtro infuſis diligenter abluet ſuper medium Calicis, nihil dicens. Quòd ſi caſu digitis aliis, vel manu Hoſtiam conſecratam tetigerit, tunc digiti & pars illa ſimiliter abluantur.

70. Lotis autem digitis, ad medium quaſi Altaris revertetur, tenens adhuc Calicem, uti prius, quem poſtea prope & extra Corporale deponet. Tum excuſſis ſupra Calicem digitis, dextera Purificatorium ſumet, advertens ne gutta aliqua ſupra Altare decidat, & cum illo pollices ac indices utriuſque manus exterget, dicens interim ſubmiſſa voce *Corpus tuum, Domine*... Quibus diligenter abſterſis, Purificatorium extra Corporale, ſed prope Calicem deponet, & accendes ad medium Altaris junctis manibus, uti ante Conſecrationem, Crucem inclinatione capitis ſalutabit. Deinde apprehenſo iterum Purificatorio ſiniſtra, Calice verò dextera per nodum infra cuppam, ablutionem unico hauſtu, eademque parte ſumet, ipſum Purificatorium interim ſupponens Calici. Quòd ſi poſt ablutionem, aut Orationes, aliquod Hoſtiæ frag-

fragmentum repererit Sacerdos in Patena, vel alibi, poterit illud ſtatim ſumere, cùm tota illa actio unicum reputetur convivium, una perfecta Sacrificii conſumtio, unicus actus.

71. Poſt ablutionis hauſtum, Calicem ſuper Corporalis medium reponet, & accipiens dextera Purificatorium, cum illo os ſuum exterget, deinde Calicem, quem tunc ſiniſtra per nodum tenebit. Quo facto, Purificatorium ſuper Calicem in medio relictum extendet ambabus manibus, inde Patenam ſiniſtra, tum Pallam dextera ſuperponet. Poſtmodùm eadem dextera Calicem versùs cornu Epiſtolæ locabit, & plicato utraque manu Corporali, quod illico in Burſam includet, ut initio Miſſæ, totum Calicem Velo cooperiet, ac deſuper Burſam ita ponet, ut os illius partem anteriorem reſpiciat. Denique manu ſiniſtra ſubtus Velum immiſſa, accipiet Calicem per nodum; dextera verò Burſæ ſuperpoſita, Calicem collocabit in medio Altaris, atque illum a parte ſaltem anteriori totaliter conteget Velo, uti in principio Miſſæ.

72. Sacerdos, aptato, ut ſupra, Calice in medio, manus de more conjunget ante pectus, & peracta Cruci reverentia ad cornu Epiſtolæ procedet, ubi ſtans verſa facie ad Altare, ac junctis manibus, Antiphonam, quæ dicitur Communio, clara & ordinaria voce leget, abſque capitis inclinatione, aut alia reverentia. Qua lecta, ad medium Altaris, junctis item manibus ante pectus, modeſtè revertetur, & extenſis hinc inde manibus ſuper Altare, illud in medio oſculabitur. Tum erigens ſe, ac manus denuo conjungens vertet ſe ad Populum per ſiniſtrum Aræ latus, atque in medio conſiſtens extendet & junget manus de more, dicens interim clara voce *Dominus vobiſcum*. Quo dicto, manus iterum junget ante pectus, & per eamdem viam redibit ad Librum,

brum, ubi Orationes poſt Communionem eodem modo, numero, & ordine recitabit, quo ſupra dictæ fuerunt Collectæ. Quibus cum ſuis ſolitis concluſionibus integrè expletis, in Quadrageſima a Feria quarta Cinerum uſque ad Feriam itidem quartam Majoris Hebdomadæ incluſivè, in Miſsa tantùm Feriali, Sacerdos ſtans in eodem cornu Epiſtolæ ante Librum, priuſquam proferat, *Dominus vobiſcum*, illicò ſubdet clara voce *Oremus: Humiliate * capita veſtra Deo*, extendens eodem tempore, ac jungens manus, caputque versùs Crucem ſemel tantùm inclinans. Poſtea extenſis de more manibus, ſubjunget eadem voce Orationem ſuper Populum ibidem poſitam, ſtans interim erectus versùs Altare, qua cum ſua concluſione finita, & non priùs, Miſſale dextera claudet (niſi ultimum Evangelium fuerit proprium) ita ut pars foliorum cornu Evangelii, non autem Epiſtolæ reſpiciat, & jungens iterum manus ante pectus revertetur ad medium Altaris, ubi eo oſculato, ut ſupra, vertet ſe ad Populum, ac dicet *Dominus vobiſcum*, deinde *Ite Miſſa eſt*, cum duplici *Alleluja* per Octavam Paſchæ, eodem modo ſtans erectus, junctis manibus, ad Populum converſus, & per eamdem viam revertetur ad Altare. Si verò prædicta verba ſint omittenda, tunc prolato *Dominus vobiſcum*, mox per latus ſuum ſiniſtrum, ſeu Epiſtolæ convertet ſe ad medium Altaris, ubi erectus ſtans versùs illud, junctis itidem manibus ante pectus clarè pronuntiabit *Benedicamus Domino*, vel *Requieſcant in pace* in Miſſis Defunctorum.

73. Quorum uno, alterove dicto, caput & humeros mediocriter inclinabit ante medium Altaris, & manibus de more junctis ſuper illud, ita ut duo minores digiti frontem tangant, ſecretò Orationem *Placeat tibi Sancta Trinitas*.. proferet. Qua finita oſculabitur Altare in medio, poſitis hinc inde manibus ſuper illud

Digitized by Google

extenſis; tum erigens ſe, ac ſtans adhuc versùs ipſum Altare, oculos ad Cœlum, hoc eſt ad Crucifixi Imaginem elevabit, ſtatimque demittet; quo tempore extendens & attollens pariter manus uſque ad humeros, illaſque protinus conjungens ante pectus, & caput Cruci inclinans dicet voce intelligibili *Benedicat vos Omnipotens Deus*. Quibus verbis prolatis, mox ad Populum junctis adhuc manibus ante pectus, ac demiſſis ad terram oculis, convertet ſe a ſiniſtro latere Altaris, hoc eſt Epiſtolæ ad dexterum, & conſiſtens in medio circuli, ſiniſtram manum illicò pectori admovebit extenſam: dextera verò itidem extenſa & recta, junctiſque digitis Populum ſemel tantùm benedicet, dicens clara voce ad primam lineam rectam a fronte ad pectus ductam, *Pater*, *&* *Filius*, ✠ deinde ad ſecundam lineam tranſverſam, manu quoque recta æqualiter efformatam, *Et Spiritus Sanctus*.

74. Deinde junctis manibus ante pectus, circulum perficiens accedet ad cornu Evangelii, ubi facie ad illud converſa, clarè proferet *Dominus vobiſcum*. Quo dicto, ac reſponſo a Miniſtro *Et cum ſpiritu tuo*, ſiniſtram ſuper Altare, vel Miſſale, ſi proprium legendum ſit Evangelium, extenſam deponet, & pollice dextero, junctis ac extenſis reliquis quatuor digitis, ſignans primùm parvo ſigno Crucis Altare, ſeu Tabellam, vel Librum, ſi adſit, in principio Evangelii, eadem intelligibili voce dicet *Initium* ✝ vel *Sequentia* ✝; & dum Miniſter reſpondebit *Gloria tibi Domine*, eodem pollice ſignabit ſe in fronte, ore & pectore, ſiniſtra interim infra ipſum pectus poſita. Poſtea junctis de more manibus ante pectus, Evangelium conveniens leget, eodem modo, & Ritu, quo primum. Cùm verò pervenerit ad verba illa *Et Verbum caro factum eſt*, vel ſimilia, manibus hinc inde ſuper Altare poſitis, quin cum iiſdem Planetam attollat,

Digitized by Google

tollat, unicum genu verſus cornu Evangelii flectet, ac mox ſurgens Evangelium uſque ad finem ibidem proſequetur, ut prius, manibus junctis. Quo integrè in eodem cornu expleto, Miniſter ſtans a parte Epiſtolæ reſpondebit *Deo gratias*, ac poſtea Candelas extinguet. Sacerdos verò, clauſo dextera Miſſali, ſi illo uſus eſt, ita ut pars foliorum ipſum cornu Evangelii reſpiciat, ad medium Altaris mox ſe recipiet, manibus junctis, quin Librum, Tabellamvè in fine lecti Evangelii deoſculetur.

75. Quo cùm pervenerit, Cruci ſtans adhuc in Suppedaneo reverentiam exhibebit, inde revoluta ambabus manibus anteriore parte Veli ſupra Burſam, Calicem per nodum accipiet ſiniſtra manu nuda, dexteram Burſæ ipſi ſuperponens extenſam, ne quid decidat. Tum retrahens ſe aliquantulùm a parte Evangelii, ac vertens ſe per latus ſuum dexterum, hoc eſt facie converſa ad cornu Epiſtolæ, ita deſcendet ab Altari ad planum, ut Cruci directè terga non vertat, nec Albam pedibus conculcet. Deinde convertet ſe ad Altare per eamdem ſuam partem dexteram, & ſtans in plani medio ante infimum gradum Crucem cum profunda inclinatione, vel Sacramentum genuflexione ſalutabit. Poſtea & non prius dextera caput operiet Amictu, advertens ne quid de Calice decidat, & repoſita ſupra Burſam manu, eodem modo quo ad Altare venerat, in Sacrarium abſque alia reverentia, præcedente Miniſtro remeabit, ſecretò interim dicens, etiam in Miſſis Defunctorum Antiphonam *Trium Puerorum*... (non verò *Te Deum*..., aut alias Orationes) cum reliquis, ut in principio Miſſalis: in reditu autem ad Sacriſtiam ea omnia ſervabit, quæ peragenda notavimus in ingreſſu ad Altare.

76. Sacerdos igitur ad Sacrarium perventus Cruci vel Imagini ibidem adſtanti profundam exhibebit reverentiam, quin Miniſtro etiam petenti, ac genuflexo manu

manu benedicat, ſed affectu tantùm, vel etiam voce dicens *Dominus te benedicat*. Deinde Calice in loco convenienti depoſito, alios Sacerdotes inibi fortè præſentes ſalutabit, & adjuvante Miniſtro Sacras exuet Veſtes ordine retrogrado, primùm ſcilicet Planetam, inde Stolam, Manipulum, Cingulum, Albam & Amictum, oſculando Cruces in medio, etiamſi Miſſa fuerit de *Requiem*: in deponenda autem Alba advertat ne illam a parte poſteriori extrahat ſupra caput, ſed priùs dimoveat a brachio ſiniſtro. Si verò ex neceſſitate dimiſſurus ſit Paramenta ad Altare, in quo celebravit, tunc finito ultimo Evangelio, accedet manibus junctis ad medium Altaris, & ibi peracta Cruci reverentia, ad ipſum cornu Evangelii revertetur, ubi Miſſalia indumenta, ut ſupra, exuet, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum* cum Cantico, Pſalmo & Orationibus. Quibus Paramentis depoſitis, manus lavabit, abſtergetque alio decenti Manutergio; ac tandem genuflexus in loco ſegregato debitas Deo gratias rependet, prout in Tabella: & in pace diſcedet.

CAPUT XXXIII.

De Ritu miniſtrandi Miſſæ privatæ.

1. DIvino, tremendoque Miſſæ Sacrificio Cœnobita aliquis Superpelliceo indutus continuò, ſi fieri poterit, inſerviat, cum debita tanto loco, tantæque Majeſtati reverentia. Ex conſuetudine tamen, ac neceſſitate miniſtrare quibit Sæcularis, modò idoneus ſit, atque honeſtus, nunquam verò Fœmina.

2. Præfatus itaque Miniſter, lotis priùs manibus, ac brevi facta Oratione, Cottam induit, Miſſale Celebranti tradit, qui illud percurrat, ac ſignacula diſponat,

nat, inde aquam & manutergium, ſi opus ſit, eidem præbet, ac in ſumendis Miſſalibus Indumentis adjuvat. Quibus acceptis, ſumit & ipſe Miſſale. Poſtmodùm, exhibita Cruci, ſeu Imagini Sacriſtiæ reverentia, ad Fontem luſtralis Aquæ, quæ regulariter in ipſius Sacrarii ingreſſu reperitur, accedit, ubi Sacerdoti Aquam benedictam dextera, vel Aſperſorio comiter porrigit. Tùm Campanulam aliquantulum pulſat, ipſumque Celebrantem tribus, quatuorve paſſibus præcedens, ad Altare, nudo capite, oculis demiſſis, gravi ac modeſto inceſſu procedit, Librum deferens elevatum ante pectus ambabus manibus.

3. Cùm Sacerdos ad Altare pervenerit, Miniſter aliquantulùm retrocedens, aditum illi ante ſe tranſeunti præbet, ac ſiſtit ſe ad ipſius dexteram. Tùm Amictum ſupra humeros Celebrantis aptat, vel ab eodem Biretum, ſi illo utatur, dextera, non autem ſuprà Miſſale accipit, cum quaſi oſculo ejuſdem, ac poſteà genuflectit; quod ſemper etiam obſervare debet quoties ante medium Altaris tranſibit, vel ab eodem recedet, aut ad illud accedet, etiamſi ſola ibi adſit Crux.

4. Facta genuflexione, Veſtes anteriores Celebrantis modeſtè elevat, dùm Aram conſcendit (quod in ſimilibus ſemper ſervat). Indè per planum ad partem lateralem Epiſtolæ incedens, Biretum Sacerdotis loco congruo deponit, & nuſquam ſuper Altare, vel gradus illius. Poſteà per idem cornu Epiſtolæ aſcendit ad Altare, ubi Miſſale clauſum ſuper Cuſſinum ſeu Pulvinum ita collocat, ut pars inferior Altare tangat, ſuperior autem Pulvino adhæreat, & ea pars, qua Liber aperitur, cornu Evangelii reſpiciat. Quo facto, Cereos Altaris, ni priùs fuerint accenſi, Candelula in ſummitate virgæ appoſita accendit, lumine ſumto e viciniori Lampade. Et Sacellum obſerat, ne Laici, præſertim Fœminæ intrà illud con-

conſiſtant. Redit inde ad Altare, & facta in medio genuflexione, retrahit ſe ad partem anteriorem Evangelii, ubi genuflexus in plano a ſiniſtris Celebrantis, aliquantiſper poſt illum, clarè, devotè, ac ſenſim reſpondet, junctas retinens manus.

5. Cùm Sacerdos Miſſam incipit, dicens: *In nomine* * *Patris*... Miniſter pariter ſignat ſe cum eo a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum, ſiniſtra manu infra pectus poſita extra Crucis limites. Ad Antiphonam *Introibo*..., reſpondet *Ad Deum*, *qui lætificat*..., & ſic alternatim ad Pſalmum *Judica me Deus*... ſi dicendus ſit, conformando vocem ſuam voci Sacerdotis, ac inclinans caput ad ℣. *Gloria Patri*... Dùm Celebrans profert ℣. *Adjuto***rium noſt***rum*..., ſignat ſe a fronte ad pectus..., ac poſteà reſpondet *Qui fecit Cælum*, *& Terram*. Dicto inde a Sacerdote *Confiteor*..., (quo tempore erectus ſiſtit) nec *Deo gratias*, nec *Amen* reſpondet, ſed ſtatim ſubdit *Miſereatur tui*... inclinatus & converſus ad Celebrantem. Tùm Altari profundè inclinatus Confeſſionem facit, ut in Ordine Miſſæ, addito ex Privilegio S. Franciſci Nomine. Dicens *Tibi Pater*, & *Te Pater*, convertit ſe inclinatus ad Celebrantem, & ad *Mea culpa*, ter pectus dextera manu modeſtè percutit; digitis omnibus ſimul junctis, clauſis, & curvis, ſiniſtra infra pectus poſita extenſa. Celebrans, peracta Confeſſione, ſubdit *Miſereatur veſtri*..., cui Miniſter adhuc inclinatus profundè versùs Altare reſpondet *Amen*, ac poſteà erigit ſe, dùm Sacerdos incipit *Indul***gentiam*..., ſignans ſe cum eo a fronte ad pectus. Ad verba *Deus tu converſus*... iterùm inclinat ſe mediocriter, ac reſpondet alternatim, integrè, non nimis feſtinanter, nec voce nimis remiſſa, aut elata; quod ſemper obſervare debet.

6. Dùm Sacerdos Altare incipit conſcendere, ſurgit Miniſter, ac veſtes illius anteriores dextera aliquantulùm

tulùm elevat, deinde genuflectit in imo Altaris gradu. Ubi verò nulli adſunt gradus, ſed ſolum ſuppedaneum, tunc Miniſter ſtat in eodem plano, non ſuper, ſed prope Pradellam genuflexus. Ad Introitum ſigno Crucis ſe munit cum Celebrante, & caput inclinat verſus Crucem ad *Gloria Patri* ..., dicens poſtea alternatim cum eodem Celebrante *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eliſon*. Quo dicto, inclinat ſe pariter, ac ſignat ſe cum Sacerdote ad Hymnum Angelicum. Tum reſpondens *Et cum Spiritu tuo*, caput aliquantulùm demittit in ſignum reverentiæ erga Sacerdotalem ſalutationem; quod in ſimilibus ſemper obſervat. Caput item inclinat ad *Oremus* ante Orationes, ad nomen *Jeſu*, *Mariæ*, vel *Sanctorum*, de quibus dicitur Miſſa, vel fit Commemoratio, ad Nomen *S. P. Franciſci*, ac Papæ viventis, quoties in decurſu Miſſæ proferuntur.

7. In fine primæ & ultimæ Orationis reſpondet *Amen*, & quando Celebrans dicit *Flectamus genua*, mox ſubdit *Levate*, quin tamen aſſurgat. Item poſt quamlibet Lectionem, Epiſtolam, ſeu Prophetiam, excepta ultima Danielis in Sabbato Quatuor Temporum, reſpondet *Deo gratias* clara voce. Et circa finem Gradualis, *Alleluja*, Tractus, vel Sequentiæ, erigit ſe, & per planum Cappellæ incedens, ac in medio genuflectens, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi Miſſale ſumit ambabus manibus, illudque transfert cum Cuſſino ad alteram partem, incedens per planum Altaris, vel ſaltem per gradum Pradellæ inferiorem, nuſquam verò in plano, ubi eſt Sacerdos, & in medio genuflectat. Caveat inſuper ne terga vertat Altari, unde deſcendens a parte laterali Epiſtolæ, convertat tunc latus dexterum ad ipſum Altare, ſiniſtrum verò ad Populum; e contrà poſtquàm in cornu Evangelii Librum depoſuit, convertat ſiniſtrum latus ad Altare, & dexterum ad Populum.

8. De-

Digitized by Google

8. Depoſito Miſſali ſuper Altare, ita ut pars ſuperior Libri cornu poſterius Altaris reſpiciat, mox deſcendit per gradus laterales in planum pariter laterale Cappellæ; ibique ſtans converſus ad Altare reſpondet *Et cum ſpiritu tuo*, *Gloria tibi Domine*, & unanimiter cum Celebrante ſe ſignat in fronte, ore, & pectore, cum pollice dextero, ſiniſtra manu pectori admota. Deinde recedens, genuflectit in medio, ac ſe confert ad cornu Epiſtolæ ante infimum gradum lateralem, ubi verſa facie ad Evangelii latus, erectus conſiſtit manibus junctis, genuflectit versùs Altare, ſi Ritus ferat, ac in fine reſpondet *Laus tibi Chriſte*; quod pariter obſervat in fine partis illius Paſſionis, quæ loco Evangelii dicitur.

9. Dicto *Laus tibi Chriſte*, mox ibi de more genuflectit, abſque ulla alia reverentia, ac dum Celebrans Symbolum recitat, caput inclinat ad verba *Deum* in principio, *Jeſum Chriſtum*, *Simul adoratur*, ſed profundius inclinat ad *Et incarnatus eſt*, & in fine ſignat ſe a fronte ad pectus, cùm Sacerdos dicit *Et vitam venturi ſæculi*. Deinde reſpondet *Et cum ſpiritu tuo*, & dum Celebrans legit Offertorium, ſurgit, genuflectit, ac Aram conſcendit, ubi Velum Calicis plicat, & prope, non ſupra Corporale ad partem Epiſtolæ collocat. Quòd ſi Sacerdos hujuſmodi miniſterium per ſe exercere voluerit, tunc Miniſter, genuflexione facta, mox ad Abacum pergit, ſumturus Ampullas aquæ & vini, quas ſupra Pelviculam ambabus manibus defert elevatas ante pectus, aſcendens ad Altare per gradus laterales Epiſtolæ. Tum Celebranti ad ſe venienti caput inclinat, & Ampullas primùm vini, deinde aquæ cum oſculo earumdem, non autem manus Celebrantis, dextera porrigit. Inde repetita debita reverentia, ad Credentiam remeat, ubi dimiſſa Ampulla vini, Manutergium accipit, ac illud inter digitos ſiniſtræ manus, vel ſuper brachium ſiniſtrum reponit,

ponit, eodemque modo ad latus Epiſtolæ denuo accedit, Pelviculam ſiniſtra, dextera verò Ampullam aquæ ſuſtinens. Celebranti, ut ſupra, ſe inclinat, & aquam, ſuppoſita Lance, ſuper pollices ac indices illius cum oſculo Ampullæ infundit extra Altare, donec ſignum deſinendi dederit. Quo dato, mox ei Mappulam ad extergendas manus præbet, eaque recepta, ac facta inclinatione, deſcendit ab Altare, & projicit aquam in locum congruum, & omnia ad Abacum reportat, Manutergium plicat, ac ſumta Campanula, redit ad partem anteriorem Epiſtolæ, ubi genuflexus remanet in plano, vel in imo Altaris gradu, ut ſupra dictum eſt. Miniſter itaque Altari nihil ſuperponat, nec Manutergium, nec Pelviculam, nec Ampullas.

10. Dicto a Sacerdote *Orate Fratres*, Miniſter genuflexus quidem, ſed corpore & capite erectis reſpondet *Suſcipiat Dominus*..., non tamen prius quàm Celebrans circulum perfecerit, & ultimum verbum, ſcilicet *Omnipotentem* finierit, nec in fine ſubdit *Amen*, ſed ipſe Celebrans. Ibidem genuflexus clara voce reſpondet ad Præfationem, inclinans caput ad *Gratias agamus*. Et in fine, dum Sacerdos dicit *Sanctus*, ter Campanulam pulſat interpolatim, duobus ictibus pro ſingulis ternis vicibus, uſque dum Celebrans dicat *Benedictus*....; quo tempore ceſſat a ſonitu, Campanulam in ſecundo gradu ad ſui dexteram deponit, & ipſe pariter ſe ſignat a fronte ad pectus.

11. Dum Sacerdos dicit *Memento*, vel prius, ſi opus ſit, ſurgit Miniſter, genuflectit, ac pergit, & lumine accepto ex Lampade vel Altari, accendit Intortitium in Candelabro majori ad cornu Epiſtolæ poſitum, quod non extinguit, niſi poſtquam Sacerdos Sanguinem ſumſit, vel alios, ſi qui ſint, communicavit. Deinde genuflectit ſuper altiorem gradum in latere Epiſtolæ pro-

pe Suppedaneum, vel in plano poſt Celebrantem, ſi nulli ſint gradus. Dum Sacerdos Hoſtiam elevat, ipſe profundè inclinatus, manu ſiniſtra fimbriam poſteriorem Planetæ aliquantulùm elevat, & dextera ter Campanulam, eo modo, quo ſupra, pulſat, prima vice, quando Celebrans genuflectit, ſecunda dum Hoſtiam elevat, tertia denique, cùm eamdem dimittit. Quod pariter obſervat in elevatione Calicis, quin unquam Planetam deoſculetur. Et ſi tunc adſit SS. Sacramenti Expoſitio, vel fiat Proceſſio, vel celebrentur Exequiæ, aut Miſſa Solemnis, ſive quid ſimile, Campanulam non pulſet.

12. Depoſita Hoſtia, idem Miniſter etiam Planetam dimittit. Deinde ſurgit, ab Altari deſcendit, ac retrahit ſe ad infimum gradum a parte Epiſtolæ, deferens ſecum Campanulam, quam amplius non pulſat, ſed in loco ſuo deponit. Ibidem genuflexus reſpondet, quando opus eſt. Ad ea verba *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*, efformat ſibi ſignum Crucis in fronte, ore, & pectore. Reſpondens in fine Orationis Dominicæ *Sed libera nos a malo*, non ſubdit *Amen*, ſed ipſe Celebrans, ſubmiſſa voce. Inſuper ad *Nobis quoque peccatoribus*, ſemel percutit pectus ſuum, tribus verò vicibus ad *Agnus Dei*, & *Domine non ſum dignus*.

13. Sumto a Sacerdote Sanguine, vel etiam prius, ſi opus ſit, aſſurgit Miniſter, genuflectit in ſuo loco, & deferens ſecum Campanulam, ad Credentiam vadit ſumturus Ampullas aquæ & vini cum Pelvicula, relictis ibidem earum operculis, & Campanula. Tunc pergit ad cornu Epiſtolæ, & ibi debitam peragit reverentiam; verùm ſi Sacerdos Sanguinem nondum hauſit, tunc in præfato loco genua flectit, ac ſumto Sanguine, ſurgit, & primò extenſa manu dextera ſuper Altare, cum Ampullæ oſculo, & capitis inclinatione ante & poſt, infundit in medium Calicis vinum in convenienti quantitate

titate arbitrio Sacerdotis. Poſtmodum retrahit ſe Miniſter aliquantulùm ad partem Epiſtolæ, ibique rurſus vinum & aquam ſuper pollices & indices Celebrantis in medio Calicis ſuper Altare infundit, cum oſculis Ampullarum, & capitis inclinatione, ut ſupra.

14. Miniſtratis Ampullis, eaſdem, facta conſueta Altari reverentia, ad Abacum reportat, & operculis ſuis tegit. Deinde Cereum extinguit, & debitis cum genuflexionibus in medio, transfert Miſſale cum Pulvinari ad cornu Epiſtolæ, eo modo, quo prima vice. Tum redit per planum ad cornu Evangelii, ibique genuflexus, ut initio Miſſæ, reſpondet Celebranti. In Quadrageſima caput inclinat, dum Sacerdos dicit *Humiliate capita veſtra Deo*.. & dum Sacerdos Benedictionem Populo impartitur, formulæ Benedictionis reſpondet *Amen* adhuc genuflexus; inde erectus dicit *Et cum ſpiritu tuo*, *Gloria tibi Domine*, ſignans ſe parvo ſigno Crucis in fronte, ore, & pectore, pollice dextero. Poſtea accedit ad latus Epiſtolæ, flexo poplite in medio; ibique ſtat, dum legitur Evangelium, & genuflectit cum Celebrante versùs Altare, ac in fine reſpondet *Deo gratias*. Quòd ſi aliud Evangelium ab illo S. Joannis legendum ſit, (quod facilè dignoſcet ex Libro relicto ſuper Altare aperto) tunc Miſſale ab una ad aliam partem transfert, dum Celebrans ſecretò dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas*. Quæ omnia ita tempeſtivè peragere debet, ut genuflexus reperiatur in plano, vel in imo gradu ante medium Altaris, ad Benedictionem Sacerdotis.

15. Finito ultimo Evangelio, Miniſter cum debita genuflexione in medio Altaris aſcendit per gradus laterales ad cornu Evangelii, ubi tunc & non priùs Candelam in illa parte exiſtentem extinguit. Deinde cum nova genuflexione in tranſitu per planum medium ejuſdem Altaris, accedit per gradus etiam laterales ad partem

tem Epiſtolæ, ut ibi extinguat alteram Candelam. Quibus extinctis, Miſſale accipit, ac etiam Biretum, ſi Celebrans eo utatur, & per planum accedit prope medium Altaris ad dexteram Celebrantis, cui, facta prius Altari genuflexione, Biretum, ſi eo utatur, dextera, & non ex Miſſali porrigit, cum quaſi ejuſdem oſculo, & capitis inclinatione ante & poſt. Tum præcedens illum, deferenſque Miſſale, ut initio, eodem modo, quo ad Altare venerat, in Sacrarium remeat, ubi exhibita Cruci vel Imagini, ac Sacerdoti reverentia, Miſſale loco congruo reponit, atque Celebrantem in dimittendis Paramentis a ſiniſtris adjuvat. Quo facto, eumdem reſalutat, & depoſito Superpelliceo, ſeorſim genuflexus, brevi orat, ac in ſilentio diſcedit.

16. In Miſſis Defunctorum non ſignat ſe ad Introitum, nec percutit pectus ad *Agnus Dei*, neque Ampullas, aut quidquam aliud oſculatur.

17. Si in illo Altari publico Fidelium cultui expoſitum ſit Sacramentum, tunc Miniſter caveat ne renes vertat SS. Euchariſtiæ. Quoties ad medium accedit, vel ab eo recedit, aut per illud tranſit, in plano utrumque genu flectit, & caput profundè inclinat. Dum porrigit Ampullas, aut quid aliud, eas non oſculatur ob reverentiam Sacramenti; & ad *Lavabo* in plano remanet, terga vertens ad Populum, faciem verò contra Altare. Campanulam non pulſat, neque ad *Sanctus*, neque ad elevationem; quod ſimiliter obſervat in quacumque Expoſitione, etiam in alio Altari, ut ſupra dictum eſt.

18. Si Prælatus, putà Cardinalis, Nuntius, vel Legatus Sedis Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in eorum Reſidentia, aut loco juriſdictionis, Sacrificio Miſſæ interſit; tunc Miniſter accedens ad Altare profunda capitis inclinatione eumdem ſalutat; quod ſemper obſervat in decurſu Miſſæ, tranſiens ante ipſum.

ipſum. Advertat tamen, ut ab una parte ad aliam migraturus, non ante & per medium, ſed poſt Prælatum tranſeat, quantùm fieri poteſt. Tum genuflexus ad cornu Epiſtolæ in plano (niſi ibi adſit Prælatus, quo caſu locat ſe ad partem Evangelii) Confeſſionem facit alternatim cum Celebrante, & ad eum non verò ad Prælatum converſus dicit *Tibi Pater*, *Te Pater*, *Miſereatur tui*.. Confeſſione autem expleta, accedit ad cornu Evangelii, ubi de more reſpondet, ac remanet, translato Miſſali, donec lectum fuerit Evangelium. Quo finito, ipſe Miniſter (niſi Prælatus habeat Cappellanum, & aliud Miſſale paratum) ſtatim ex Altari defert Miſſale apertum ad Prælatum abſque reverentia, ut illud oſculetur indicando ubi deſcribitur initium Evangelii. Poſtea Librum claudit, Prælato ſe inclinat, ac revertitur ad Altare, ubi, facta genuflexione, Miſſale reponit apertum, & deinde retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ. Quod ſi ibi foret Ptælatus aliis dignior, tunc illi ſoli defertur Liber Evangeliorum deoſculandus. Et ſi adeſſent plures Prælati æquales, nulli ipſorum defertur oſculandum Miſſale, nec ipſe Celebrans in dictis caſibus illud oſculatur, neque dicit *Per Evangelica dicta*.

19. Dum Sacerdos dicit *Agnus Dei*, Miniſter cum debitis reverentiis ex Abaco ſumit Inſtrumentum Pacis cum Velo coloris Miſſæ uniformis, manubrio ejuſdem appenſo. Quod Inſtrumentum dextera elevatum tenet ſupra Altare, genuflexus a dexteris Celebrantis, dum Orationem *Domine Jeſu Chriſte*, *qui dixiſti*... ſecretò profert. Qua finita, & oſculato Altari a Celebrante, eidem adhuc genuflexus Inſtrumentum porrigit deoſculandum, reſpondens, *Et cum ſpiritu tuo*. Tùm erigens ſe genuflectit Sacramento unico genu, Inſtrumentum Velo abſtergit, illudque oſculandum defert abſque ulla inclinatione Prælato dicens *Pax tecum*. Quo oſculato, idem Inſtru-

Inſtrumentum Velo cooperit, & ſalutato Prælato, reportat ad Credentiam. Sed ſi plures fuerint Prælati, ſingulis, præbet Inſtrumentum Pacis, Digniori primùm, deinde aliis ſucceſſivè; & poſt oſculum, non verò priùs, unicuique ſe inclinat, & extergit Inſtrumentum, quod in fine dumtaxat Velo obtegit, & reportat ad locum ſuum. Finito tamdem ultimo Evangelio, prædictus Miniſter Cereos Altaris non extinguat, niſi Prælato diſcedente, cui profundam exhibebit reverentiam.

20. Prælatis item exteris adſtantibus profundè ſe inclinat, accedens & recedens ab Altari, necnon tranſiens ante ipſos. Miſſale tamen non eis defert oſculandum, ſed Inſtrumentum Pacis dumtaxat. Quod pariter obſervat in præſentia ſupremi alicujus Principis, Magiſtratus &c., in loco eorum juriſdictionis.

21. Quòd ſi quis ex ſuprà memoratis Prælatis Miſſam planam celebrare voluerit, peculiaribus ornamentis veſtietur Altare, ac tam ſuper ipſo, quam ſuper Credentia parabuntur opportuna, ſex, aut quatuor ſaltem ardentibus Cereis. Religioſi duo eidem inſervient cum ſuperpelliceis. In lotione trina manuum, videlicet ante Miſſam, poſt Offertorium, ac poſt Communionem Mantile mundum miniſtrabunt, Familiaris verò ejus aquam. Sacris Veſtibus ex Altari deſumtis induent illum cum debitis oſculis (niſi SS. Sacramentum fuerit expoſitum, aut Miſſa celebretur de *Requiem*). Manipulum tamen brachio ejus ſiniſtro non imponent, niſi ad *Indulgentiam*, *abſolutionem*... poſt Confeſſionem ſi non ſit Miſſa de *Requiem*, nam in hac Miſſa Manipulum prius ſumit ut alii ſimplices Sacerdotes. Veſtietur autem primò Amictu, deinde Alba, Cingulo, Cruce pectorali, Stola hinc inde pendente, Planeta, & poſtremò Manipulo, ut ſuprà.

22. Duo Cœnobitæ Confeſſionem cum Prælato hinc

hinc inde genuflexi facient, & in reliquis Miſſæ ſtantes eidem inſervient in reſpondendo, & transferendo Librum, in cooperiendo & diſcooperiendo Calicem, cùm opus fuerit, in miniſtrando Ampullas, ac in cæteris omnibus uſque ad finem. Unus ex illis, vel alter Religioſus ſuperpelliceo pariter indutus Inſtrumentum luminis, vulgò *Bugia* continnò miniſtrabit; & ad elevationem SS. Sacramenti duo Clerici poſt Celebrantem genuflexi a lateribus duo ſuſtinebunt Intortitia, quæ nonniſi poſt Communionem utriuſque ſpeciei extinguent, & cùm opus erit, tintinnabulum pulſabunt. Miſſa tandem expleta, Prælatum Sacris Veſtibus exuent, & dum in Genuflexorio tegmine, ac duobus Pulvinaribus ornato, gratias Deo de more reddet, Librum Canonis, ſeu Pontificale hinc inde ſuſtinebunt, uti fieri debet ad præparatorias Miſſæ preces; quibus finitis, ad portam uſque Cœnobii a Religioſis comitabitur.

CAPUT XXXIV.

De quibuſdam Decretis Sacr. Rit. Congreg. ſuper celebratione Miſſarum, aliiſque Sacris Actionibus.

1. MIſſa Conventualis cantanda eſt poſt Tertiam, non autem abſolutis omnibus Horis Canonicis, non obſtante contraria conſuetudine. Quòd ſi ob terræ frigiditatem Populus veniat tarde pro ſolemni Miſſa, tardiùs etiam recitetur Hora Tertia, potiùs quàm decantetur Miſſa poſt Sextam, vel Nonam. Sac.Congr. 18.Jun.1589.

2. Epiſcopus in Eccleſiis Regularium poteſt cantare Miſſam, vel cum Cappa eidem aſſiſtere, & ibi Baldachinum erigere, etiam pro Concionibus ex Decreto Sac. Cong. Epiſc., & Regul. de mandato Clementis Papæ VIII. edito die 10. Jun. 1603., & in Decr. generali ejuſ-

ejuſdem 27. Sept. 1659. coram Alex. Papa VII. Excepta tamen Baſilica Patriarchali S. Franciſci Aſſiſii.

3. Non ſunt conſecranda ea Altaria, ſub quibus recondita ſunt Defunctorum Cadavera. Sac. Cong. 8. Novemb. 1599.

4. Si ſub Altari, vel ſub ejus gradibus humata ſint Defunctorum Cadavera, non eſt ibi celebranda Miſſa, donec aliò transferantur. Sac. Cong. 10. Nov. 1599.

5. Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu Conſecrationis ſtatuere aliam diem pro Anniverſario ejuſdem Conſecrationis. Sac. Cong. 19. Feb. 1587.

6. Miſſa Conventualis in Feſtis dicenda eſt tempore æſtivo hora 14., tempore hyemali hora 17. Sacra Cong. 27. Julii 1602. In Feriis autem poteſt dici paulò citiùs, modò non valdè diluculò. Eadem Sac. Cong. 20. Febr. 1701., & 17. Sept. 1702.

7. Epiſcopus non poteſt cogere Regulares, ut faciant Commemorationem ipſius in ultima Collecta. Sac. R. C. 10. Jun. 1602.

8. Uſus ſemel introductus juxta Regulas Libri Cæremonialis ſervandus eſt, & pax cum oſculo omnibus Viris Eccleſiaſticis in Choro ſedentibus danda eſt. S.R.C. 8. Jul. 1602.

9. Qui aſſiſtit in Choro Miſſæ Conventuali, non poteſt portare Pileolum per totum Canonem; in aliis verò Divinis Officiis uti poteſt. Sac. Cong. 5. Nov. 1602.

10. Intrà Clauſuram Monialium omninò prohiberi debet celebratio Miſſæ, etiam ad communicandas Infirmas, non obſtante antiquiſſima conſuetudine. Sac. Cong. 10. Decemb. 1602.

11. Poteſt Epiſcopus etiam in Eccleſiis Regularium cantari facere Miſſas Rogationum per ſuos Canonicos. S. R. C. 21. Jan. 1603.

12. Altare portatile tunc Conſecrationem amittit,

tit, quando frangitur, vel loco movetur repoſitorium Reliquiarum. Sac. Cong. 5. Mart. 1603.

13. Cæremonialis Liber nec Laicis, nec Clericis prohibet, quominùs in Proceſſione SS.Sacramenti deferant Intortitia, vel Candelas accenſas. S.R.C. 12. April. 1603.

14. Ubi Oratio 40. Horarum fuit ob tumultus bellicos intermiſſa, debet reſtitui. S.C. 15. April. 1603.

15. Cæremoniale Epiſcoporum non tollit immemorabiles & laudabiles Eccleſiarum conſuetudines. S.R.C. 11. Jun. 1605.

16. Preces ordinatæ ad impetrandam pluviam, non ſunt recitandæ inter Miſſarum Solemnia, ne Miſſæ Sacrificium interrumpatur. S. R. C. 11. Jun. 1605. (intelligitur etiam de precibus pro quacumque alia neceſſitate.)

17. Conſuetudo immemorabilis aliquibus in locis, ut Campanæ in ſalutatione Angelica non pulſentur ante pulſationem in Eccleſia Matrice ſervanda eſt. S. R. C. 24. Sept. 1605.

18. Miſſæ ad ſatisfaciendum eleemoſynis alicui Eccleſiæ traditis, non ſunt celebrandæ per exteros, ubi commodè poſſunt ſatisfieri per Sacerdotes ejuſdem Eccleſiæ. Sac. Cong. 28. Jan. 1606.

19. Euchariſtia non eſt ſingulis diebus exponenda ſuper Altari, ſed in quibuſdam tantùm Solemnitatibus. S. R. C. 4. Mart. 1606.

20. Decretum de die 11. Junii 1605. quòd Cæremonialis Liber non tollat laudabiles & immemorabiles conſuetudines, habet locum in omnibus Regnis & locis Chriſtianitatis. S.R.C. 17. Jun. 1606.

21. Genufleĉtendum non eſt ad Orationes in Miſſa Solemni, in qua dicitur *Gloria* & *Credo*. S. R. C. 19. Maii 1607.

22. Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas & ad Veſperas Solemnes in Triduo Paſchatis,

in Sabbato in Albis, & Dominicis uſque ad Aſcenſionem, quo die, cantato Evangelio, extinguitur. Ad Matutinum & in aliis ſolemnitatibus, & diebus ſolemniter celebratis, non accenditur, niſi adſit conſuetudo, quòd durante Tempore Paſchali accendatur. S. R. C. 19. Maii 1607.

23. In privatis Oratoriis & privilegiatis, non poteſt celebrari Miſſa in Feſtis ſolemnioribus, nempe in Natali Domini, Epiphania, Feria V. in Cœna Domini, Paſchate, Pentecoſte, Annuntiatione, Aſcenſione D.N.J.C., Aſſumtione B. M. V., in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Omnium Sanctorum. S. R. C. 19. Novemb. 1607.

24. Diaconus Evangelii debet thurificare Chorum, nec ab eo munere excuſatur ſub prætextu contrariæ conſuetudinis. S. R. C. 15. Mart. 1608.

25. Non approbatur uſus duorum Thuribulorum in incenſatione Perſonarum. S. R. C. 15. Mart. 1608. vide n. 38.

26. Decretum in Viſitatione factum contra regulas Libri Cæremonialis, non eſt ſervandum. S. R. C. 7. Aug. 1610.

27. Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus celebrantes ſolemniter, poſſunt & debent ſedere in Banco, dum cantatur *Gloria*, *Credo* &c. non obſtante qualibet conſuetudine. S. R. C. 15. Jan. 1611., & nunquam in Sede cum poſtergali etiam Celebrantes coram Epiſcopo, ut deducitur ex Decreto ejuſdem S. R. C. 19. Maii 1614. vide num. 51. 103.

28. Miſſarum Solemnium celebratio, delatio SS. Sacramenti in Proceſſione in ejus Feſtivitate, Candelarum, Cinerum & Palmarum Benedictiones, & Functiones ſimiles, quas Superior præſens facere ſolet & debet, eo abſente vel impedito, ad primum, & deficiente primo ad ſecundum Sacerdotem, & ſic ſucceſſivè pertinent. Colligitur ex Decr. S. R. C. 25. Jun. 1611.

29. Miſ-

Digitized by Google

29. Miſſa Conventualis de Feſto, ſeu de Feria currenti omninò cantanda eſt, non obſtante quacumque contraria conſuetudine. S. R. C. 28. Jan. 1612.

30. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ abſque expreſſa licentia, quam dare debet S. R. C. 12. Maii 1612.

31. Epiſcopus tantùm, & non alius inferior, dum privatè celebrat, poteſt accipere Paramenta de ipſo Altari, & duos habere Miniſtros Superpelliceis indutos, præter alium Miniſtrum Clericum, ſive Laicum communi veſte indutum. S. R. C. 7. Jul. 1612.

32. Altare portatile ligneum cum Ara lapidea permitti debet, non obſtante Conſtitutione Synodali, dummodò habeat ſolitum Reliquiarum repoſitorium, juxta reformationem Rubr. Miſſ. Rom. cap. 20. S. R. C. 10. Nov. 1612. Vide infra num. 138.

33. Archiepiſcopus poteſt ante ſe Crucem deferri facere per Monaſteria, & per loca etiam exempta ſuæ Diœceſis. S. R. C. 13. Jul. 1613.

34. Si incœpta Conſecratione Eccleſiæ, correptus morbo Epiſcopus deficiat, & præſertim antequàm ungantur Cruces, reaſumenda eſt Conſecratio. S. R. C. 12. April 1614.

35. Diaconus non debet pacem dare Laicis, neque Domino Loci, ſed ipſa ſpectat ad alium Miniſtrum Cotta indutum, & cum Inſtrumento, non verò cum oſculo. S. R. C. 5. Julii 1614.

36. Poteſt Epiſcopus prohibere, ne Campanæ nondum benedictæ pulſentur. Sac. Cong. 5. Julii 1614.

37. Non debent Regulares in Canone nominare Superiores ſuos, ut Antiſtites. S.R.C. 14. Novemb. 1615. Vide infra n. 66.

38. In Perſonarum incenſatione tota Thurificatio facienda eſt cum unico Thuribulo. S. R. C. 21. Jul. 1618.

1618. *Vide* ſupra *n.* 25., niſi adſit conſuetudo immemorabils, quod eodem tempore thurificetur Chorus & Magiſtratus, quæ ſervanda eſt. Colligitur ex Dec. S. R. C. 1. Sept. 1607.

39. Dum Horæ Canonicæ recitantur in Choro, non ſunt celebrandæ Miſſæ privatæ in Altari Majori. S.R.C. 2. Maii 1620.

40. Regulares in celebratione Miſſæ poſſunt annuntiare Dies Feſtos & jejunia in ſuis Eccleſiis. Sac.Cong. 2. Jul. 1620.

41. In Oratione *A cunctis*, nomina Patronorum S.Michaelis Archangeli, & S. Johannis Baptiſtæ præponenda ſunt Apoſtolis. S. C. R. 22. Aug.1620., quò verò ad nomen Sancti Patriarchæ Joſeph. Vide infra n. 165.

42. Miſſæ certis Regularibus conceſſæ non poſſunt ab aliis dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſiis. S.R.C. 29. Novemb. 1622. (*niſi tamen adſit ſpecialis conceſſio.*)

43. Annuli uſus in Miſſa prohibetur quibuſcumque Doctoribus. S.R.C. 11.Feb.1623. Etiam Protonotario Apoſtolico. Eadem 3.Mart.1674.; ſine tamen gemma de rigore uti poſſunt Canonici annulo aureo. Eadem 4. Aug. 1663.

44. In Feſto Stigmatum S. Franciſci adhibetur color albus. S. R. C. 9. Decem. 1623.

45. Facultas concedendi uſum Pileoli in Miſſa ſpectat ad Papam. S. R. C. 24. April. 1626.

46. Non poteſt omitti altera ex duabus Miſſis cantandis de Feſto & de Feria. S.R.C. 16. Maii 1626.

47. In Miſſa Feriæ quartæ Quatuor Temporum currentis in die Octava Nativitatis B. V. M. dicenda eſt Præfatio Communis, non vero de B.M.V. S. R. C. 12. Decemb. 1626.

48. Miſſa Conventualis de Feria in Eccleſiis inſignioribus omninò eſt dicenda ultrà Miſſam Feſti, & abuſus

ſus ſunt reformandi. Ita colligitur ex Decr. S. R. C. 16. Jan. 1627.

49. Ob Miſſam Votivam, ſeu pro Defunctis, non eſt omittenda Miſſa Conventualis, neque poteſt introduci conſuetudo in contrarium Ritum. S.R.C. 16. Jan. 1627.

50. Signum quod fit cum Patena a fronte ad pectus, fit integrè cum ſigno Crucis, poſt quod debet deoſculari. S.R.C. 13. Mart. 1627.

51. Celebrantes Miſſam ſolemniter ſedeant in loco parato pro Celebrantibus a latere Epiſtolæ. S.R.C. 12. Jun. 1627., vide n. 27. 103.

52. In Feſtis primæ Claſſis non dicitur Oratio juſſa a Majoribus pro re gravi, veluti *Deus refugium*. S.R.C. 28. Aug. 1627.

53. In finæ Miſſæ ad quodcumquæ Altare celebratæ, fiat reverentia Cruci infrà gradus, capite ſemper aperto. S. R. C. 28. Aug. 1628.

54. Nequeunt Regulares SS. Sacramentum exponere ſine licentia Ordinarii. S. R. C. 26. Feb. 1628.

55. Non poteſt prohiberi celebratio Miſſæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum, antequam celebretur Miſſa Parochialis. S. R. C. 31. Mart. 1629.

56. In Altari, ſub quo ſunt ſepulta Cadavera Defunctorum, non poteſt celebrari. S. R. C. 11. Jun. 1629.

57. Qui præ timore, vel balbutiæ non pronuntiat Evangelium S. Johannis, quod legitur in fine Miſſæ, ſed ejus loco aliud ſuo arbitrátu recitat, debet a Miſſarum celebratione ſuſpendi, quouſque illud ritè pronuntiare aſſueſcat. S. R. C. 5. Jul. 1631.

58. Aſperſorium Aquæ benedictæ Cardinali etiam Legato, ſeu Ordinario Loci, aliquam Eccleſiam ſuæ Diœceſis, ſeu juriſdictionis, quacumque de cauſa ingredienti, non ab Archidiacono, ſeu aliis de Capitulo cujuſcumque Eccleſiæ porrigi debet, ſed a Digniori illius Eccle-

cleſiæ, ad quam Cardinalis etiam Legatus, ſeu Ordinarius accedit. S. R. C. 14. Febr. 1632. Etiam Epiſcopo a Dignitatibus & Canonicis aſſociato. Eadem S. R. C. eodem die & anno. Vide etiam infra num. 64.

59. Aquæ benedictæ aſperſio in Dominicis debet fieri per ipſum Celebrantem, quicumque ille ſit, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potiùs corruptela dici debet. Colligitur ex Decreto S. R. C. 27. Novemb. 1632. Vide infra num. 67.

60. Ubi non eſt Aurora phyſicè pro licita Miſſarum celebratione, attendatur ea moraliter & politicè, quando ſcilicet terminari ſolet hominum quies, & inchoari labor, juxtà probatam Regionum conſuetudinem. S. R. C. 18. Sept., & 2. Nov. 1634.

61. Miſſa Conventualis de Feria in Quadrageſima & Adventu nullo modo poteſt omitti, quando in eis etiam cadat Feſtum alicujus Sancti, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 24. Nov. 1635. (In Vigiliis etiam, quatuor Temporibus, ac Feria ſecunda Rogationum.)

62. Feſtum principalioris Patroni in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris Patroni in quacumque Civitate, aut Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi & venerari contigerit, eſt præceptivum cum obligatione audiendi Sacrum, & vacandi ab operibus ſervilibus. S. R. C. 13. Sept. 1642. Urbano Papa VIII. adprobante in ſua Conſtitut. quæ incipit: *Univerſa*.

63. Communitates, vel Univerſitates Civitatum, ſeu Locorum, non tenentur ex præcepto ſervare Feſta ex voto earumdem indicta, cùm ſub præcepto teneantur tantùm Perſonæ voventes. S. R. C. 18. April. 1643. in Decr. de obſervat. Feſtorum adprob. Urban. VIII. vide num. 122. & ead. Sac. Congr. 1. Febr. 1744.

64. Aſpe-

64. Aſperſorium Aquæ benedictæ Epiſcopo in Eccleſiam Religioſorum ingredienti, eſt porrigendum per Digniorem illius Monaſterii, non autem per aliquem ex Canonicis Epiſcopum aſſociantibus. S. R. C. 14. Jun. 1646. Vide ſupra num. 58.

65. In Miſſa Conventuali, quando decantatur Evangelium, Ceroferarii cum Cereis accenſis aſſiſtere debent, & Diaconus quoties thurificatur Altare, Incenſum miniſtrare tenetur. S. R. C. 5. Sept. 1648.

66. In Canone omninò facienda eſt Commemoratio de Epiſcopo, etiam ab Exemtis. S. R. C. 25. Sept. 1649. Vide ſupra num. 37.

67. Aſperſio die Dominico ſemper facienda eſt a Celebrante, etiam quando Superior celebrat. S.R.C. 16. Nov. 1649. Vide num. 59.

68. Miſſa, quando canitur ſine Miniſtris, non debet thurificari neque Altare, neque Chorus. S. R.C. 19. Auguſti 1651.

69. Miſſæ duæ ejuſdem Sancti immediatè una poſt aliam, non debent cantari eadem die in Eccleſia, in qua celebratur ejus Feſtivitas. S. R. C. 3. Aug. 1652.

70. Miſſa non poteſt celebrari cum cæſarie ficta. S. R. C. 3. Auguſt. 1652. (niſi adſit Summi Pontificis diſpenſatio.)

71. Tam Sæculares, quàm Regulares cujuſcumque Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, non poſſunt excedere limites verbales Indultorum Sedis Apoſtolicæ ſuper Beatificationibus, præſertim in celebratione Miſſarum, & Officiis cum Octavis, niſi hoc expreſsè Sedes Apoſtolica eis indulſerit. S. R. C. 3. Oct. 1652. adprobante Innoc. Papa X. 16. Dec. ejuſdem anni.

72. Regulares, etiam Societatis Jeſu, in Miſſis ſolemnibus adhibere debent Diaconum & Subdiaconum, & in Veſperis Sacerdotem Pluviali indutum, ac in reliquis

liquis omnibus tenentur exactè obſervare Rituale, Cæremoniale, & Rubricas Miſſalis Romani. S. R. C. 5. Oct. 1652. confirmante Innoc. Papa X. 16. Dec. ejuſdem anni.

73. Miſſa de Dominica, ſeu de Feſto Duplici, ſi illa die occurrat, debet dici cum Commemoratione SS. Sacramenti, ad formam Rubricarum Miſſalis, quando fit particularis Proceſſio cum SS. Sacramento in aliquibus Dominicis, ſeu aliis diebus cujuslibet Menſis. S. R. C. 6. Dec. 1653.

74. Baldachinum in Eccleſiis, & locus in Presbyterio non debetur Domino loci, & admonentur Ordinarii, ne permittant hujuſmodi uſurpationem, & non licitam detentionem. S. R. C. 9. Jun. 1657.

75. Miſſæ currentes in honorem alicujus Beati non canonizati, non poſſunt celebrari ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 28. Sept. 1658.

76. In Miſſis privatis quoad Indumenta, Cæremonias, Miniſtros, Altaris ornatum, & Benedictionis largitionem, a ſimplici Sacerdote Prælati Epiſcopis inferiores diſcrepare non debent; ac proinde Sacras Veſtes induere debent in Sacriſtia, neque uti poſſunt Cruce pectorali: unico tantùm contenti ſint Miniſtro, aquam cum Pelvi & Urceolo argenteis ſibi miniſtrare minimè facere poſſunt, duaſque tantùm Candelas ſuper Altare adhibere valent. S. R. C. coram Alexand. VII. 27. Sept. 1659. in Decreto Generali §. 21.

77. Si conceſſa fuerit per Sedem Apoſtolicam Altarium erectio, non tamen ob id Miſſa & Officium de Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita præſumatur; etenim ſpecifica & expreſſa conceſſio ſuper his præcedere debet. S. R. C. die & anno ut ſupra.

78. Ubi in uno loco cultus Beatis fuerit conceſſus, non extendatur inconſulto Pontifice ad alium locum, quavis alia concurrente auctoritate. S.R.C. ut ſupra.

79. In

79. In locis, ubi Beatos ab omnibus coli permiſſum fuit, non inde publica Officii recitatio permiſſa cenſetur, ſed tantummodò privata, nec ſatisfactoria præcepto recitationis, niſi quoad illos, quibus Sedes Apoſtolica de hoc indulſerit. S. R. C. ut ſupra.

80. Miſſæ de Beatis, quæ fuerint indultæ certis Perſonis, nempe Presbyteris Regularibus, vel Sæcularibus alicujus loci, vel Monaſterii, ſeu Presbyteris alicujus Eccleſiæ ſervitio præcipuè addictis, a confluentibus Sacerdotibus, quavis Dignitate, etiam Cardinalatus inſignitis, minimè celebrari poſſunt. S. R. C. ut ſupra.

81. Dies Feſti in Beatorum memoriam non celebrentur, niſi ſpeciali Indulto Apoſtolico proviſum fuerit. S. R. C. ut ſupra.

82. Beatorum Nomina in Kalendariis non apponantur, niſi illius tantùm loci, earumque Perſonarum, in quo & a quibus cultus cum Officio & Miſſa celebretur. S. R. C. ut ſupra.

83. In publicis Precibus præter indultas, & a Sede Apoſtolica approbatas, Beati non invocentur. S.R.C. ut ſupra.

84. In quibuſvis Eccleſiaſticis Precibus, etiam in Oratoriis privatis recitandis particularia Beatorum ſuffragia non apponantur, vel recitentur. S. R. C. ut ſupra.

85. Beatorum Reliquiæ in Proceſſionibus minimè circumferantur. S. R. C. ut ſupra.

86. Non removetur cultus Beatis, qui per communem conſenſum Eccleſiæ, vel per immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel temporis centum Annorum metam excedentis ſcientiam ac tolerantiam Sedis Apoſtolicæ, aut Ordinariorum hactenùs præſtitus, ac certis modo & forma ab eo tempore eis exhibitus fuit. Verùm ſi a centum Annis citra, cultus hujuſmodi aliqua ex parte conſtite-

rit auctus & extenſus, eo caſu idem in priſtinum reducatur, prout quivis cultus, extra caſus prædictos ad expreſſa tantùm verbaliter in Apoſtolicis Indultis omninò revocetur. S. R. C. ut ſupra.

87. Beati in Patronos non eligantur, nec eorum Natalitia cum Octavis celebrentur. S. R. C. ut ſupra (niſi adſit ſpecialis conceſſio.)

88. Dies Feſti in Beatorum honorem non celebrandi, non extenduntur ad Feſta Devotionis. S. R. C. 17. April. 1660.

89. Indulta recitandi Officium cum Octava, vel ſine Octava, & celebrandi Miſſam de Beatis, non fuerunt revocata per Decretum emanatum anno 1659. die 27. Sept. S. R. C. 17. April. 1660.

90. In Eccleſiis, in quibus Officium & Miſſa de Beatis recitari, ac reſpectivè celebrari poſſunt, licitum eſt eorum Reliquias exponere. S. R. C. 17. April. 1660.

91. Miſſa Solemnis in Dominica infra Octavam alicujus Sancti, non debet celebrari de eodem Sancto, licèt de conſenſu Ordinarii fiat Proceſſio ad ejus Eccleſiam. S. R. C. 24. Jul. 1660.

92. Miſſæ plures non poſſunt celebrari in Cappellis Nobilium a Sacerdotibus Regularibus. S. R. C. 23. Febr. 1661.

93. Symbolum in Miſſa Solemni poteſt decantari in illa Eccleſia, ubi eſt Altare erectum ſub invocatione alicujus Sancti, ratione concurſus ad præſcriptum Rubricarum, licèt de eo fiat Officium ſub Ritu Semiduplici. S. R. C. 1. April. 1661.

94. Miſſa ſecunda de Paſſione Domini cum *Gloria* & *Credo* in Altari SS. Crucifixi, ſingulis Dominicis, præter Reſurrectionis Domini Noſtri, & Pentecoſtes, non conceditur, neque poteſt tolerari. S. R. C. 2. Jul. 1661.

95. Miſſæ Sacrificium peragi poteſt in publico Orato-

ratorio extrà aliquod Oppidum conſtructo, de licentia Epiſcopi in diebus ſolemnioribus Anni, etiam contradicente Parocho pro commoditate Villicorum circumhabitantium, dummodo habeat omnia requiſita ad Eccleſiam, vel ſaltem ad publicum Oratorium conſtituendum. S.R.C. 3. Sept. 1661.

96. Crux parva cum Imagine Crucifixi poſita ſuper Tabernaculum, in quo aſſervatur SS. Sacramentum in Altari, non eſt ſufficiens in Miſſa, ſed poni debet alia Crux in medio Candelabrorum. Et in Altari in quo adeſt magna Statua SS. Crucifixi, non eſt neceſſe, ut ponatur alia Crux dum celebratur Miſſa. S.R.C. 16. Jun. 1663.

97. Cruces, quæ fiunt a Sacerdote ſuper Oblata, non ſunt faciendæ manu tranſverſa, ſed manu recta in tranſverſa parte Crucis. S.R.C. 4. Aug. 1663. & 24. Jul. 1683.

98. Manus Sacerdotis ad *Hanc igitur Oblationem* debent ita extendi, ut palmæ ſint apertæ, pollicè dextero ſuper ſiniſtrum in modum Crucis ſupra manus, non verò infra manus. S. R. C. 4. Aug. 1663.

99. Pars inferior Hoſtiæ præcidi debet, non autem ſuperior, quando dicitur *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum*. S. R. C. 4. Aug. 1663.

100. Quando Epiſcopus aſſiſtit Miſſæ ſolemni, Celebrans debet reſpondere Epiſcopo: *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam*, & alia, uſque ad *Indulgentiam* incluſivè, non verò ſimul cum illo dicere *In Nomine Patris*.., S. R. C. 4. Aug. 1663.

101. In Miſſis de Beatis, quæ ſub Ritu Duplici Majori celebrantur, non debet dici *Credo*. S.R.C. 12. Jul. 1664.

102. In aſſignatione Miſſæ, & Evangeliorum, quæ debentur extra tempus Paſchale SS. Martyribus Stanislao Pontifici, Petro, ac Nereo, & Achilleo, ſervandæ ſunt Rubricæ Generales. S. R. C. 18. Sept. 1666.

 103. Cele-

103. Celebrans & Aſſiſtentes in Veſperis & Miſſa Solemni, etiam in Solemnitatibus debent ſedere in Scamno, & non in Sede Camerali. S.R.C. 31. Jul. *1666*. Vide n. 27. 51.

104. Quando adeſt Legatum quòd Sacerdos, antequam diſcedat ab Altari, recitet aliquod Evangelium, Pſalmum, ſeu Orationem poſt terminatam Miſſam, debet oneri ſibi injuncto ſatisfacere poſt finem Miſſæ, exutis Veſtibus Sacerdotalibus, & cum ſola Cotta in Altari, vel in Sacriſtia, & ſic Legatum adimplere. S. R. C. 31. Aug. *1669*.

105. Celebrans in Miſſa ſolemni procedere debet ad præparatam Sedem aperto capite, & ita regredi ad Altare, quando ſedere debet, dum cantatur Hymnus Angelicùs, & Symbolum Apoſtolorum, ſed ad illa verba, quæ cantantur in Choro, ad quæ fieri debet inclinatio, tenetur ſe inclinare nudo capite, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 21. Mart. *1676*.

106. In aſperſione Aquæ benedictæ, quæ diebus Dominicis a Sacerdote Alba & Stola induto, ſive etiam cum Pluviali, immediatè celebraturo Miſſam Conventualem, Stola eſt aptanda ante pectus in modum Crucis, non verò ad utrumque latus pendens a collo. S. R. C. 30. Sept. *1679*.

107. Si Altare non haberet planitiem, ſed multos gradus, vel ſi ipſam haberet nimis latam, debet in eo apponi Pradella, quæ dividat Altare a planitie, & Sacerdos incipiat Miſſam ante ipſam Pradellam. S R. C. 16. Jun. *1683*.

108. Patena ad Miſſam in extremitate, ſeu oræ Patenæ congruentiùs eſt oſculanda. S.R.C. 24. Jul. *1683*.

109. Rubrica concedit uſum Planetarum Complicatarum ante pectus Diaconis & Subdiaconis miniſtrantibus in Miſſa ſolemni, in Cathedralibus, & præcipuis Eccleſiis

cleſiis (præcipuæ Eccleſiæ ſunt etiam Regularium, & Monialium, quibus a Sede Apoſtolica Planetæ plicatæ aliàs conceſſæ fuerunt) in diebus jejuniorum cum limitatione, ut ibi. In minoribus verò Eccleſiis Miniſtris prædictis dat tantùm uſum Albæ cum Manipulo Subdiacono, & cum Stola ac Manipulo Diacono. S. R. C. 13. Jun. 1684.

110. Qui recitat Officium de Sancto, de quo habet inſignem Reliquiam in propria Eccleſia, ſi celebret eo die in alia Eccleſia, debet omittere *Credo*. S. R. C. 2. Dec. 1684., & 10. Jan. 1693.

111. Clerus, qui habet Indultum recitandi Officia Sanctorum, quorum inſignes Reliquiæ aſſervantur in aliena Eccleſia, quæ habet Clerum ſeparatum, in Miſſis non debet dicere *Symbolum*. S. R. C. 2. Dec. 1684.

112. Non eſt omittenda una ex aſſignatis Orationibus in Miſſa, veluti tertia *A cunctis*, ſi ſecunda eſſet de Feſto ſimplici, ut ejus loco dicatur Oratio imperata, veluti *Deus refugium*, ſed poſt tertiam Orationem *A cunctis*, poteſt & imperata dici, cùm in Miſſa de ſemiduplici, vel ſimplici, vel votiva, non ſint neceſſario dicendæ Collectæ impares, putà tres, quinque, vel ſeptem. S.R.C. 2. Decemb. 1684.

113. In Miſſa Patroni minùs principalis non debet dici *Symbolum*, & particulam *Patroni* intelligendam eſſe de Patrono principali tantùm, nec poſſe extendi ad minùs principales ſtatuit. S.R.C. 2. Dec. 1684., 15. Sept. 1691., 19. Jun. 1700., ut in n. 124., & 22. Aug. 1744.

114. Quando occaſione belli contra Turcas dicitur Collecta, vel Miſſa contra Paganos, non poteſt mutari nomen *Paganorum*, dicendo *Turcarum*, vel *Hæreticorum*. S.R.C. 30. Jul. 1689., & olim 4. Apr. 1626.

115. In Miſſa ſolemni de Feria Commemoratio non eſt facienda de Sancto ſemiduplici occurrente, cujus

Miſſa

Miſſa pariter cantanda eſt abſque Commemoratione Feriæ, & in utriſque Miſſis tempore Paſſionis dicenda eſt tantùm ſecunda Oratio *Eccleſiæ*, vel pro Papa, ut docet Gavantus. In Miſſis autem privatis de Feſto ſemiduplici, cùm ſit clara diſpoſitio Rubr. 9. de Orat. num. 5. dicenda eſt ſecunda Oratio de Feria, tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa. De ſimplici verò facienda eſt Commemoratio juxta eamdem Rubricam. S.R.C. 10. Jan. 1693.

116. Occurrente Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli in Feria tertia poſt dominicam Quinquageſimæ, obſervandum eſt jejunium, quod non poteſt anticipari. S.R.C. 23. Jan. 1694. confirmante Innoc. XII. Quæ tamen jejunii anticipatio pro Laicis Sæcularibus tantùm in Sabbato præcedenti a Benedicto Papa XIV. ſub die 5. Februarii 1751. indulta fuit.

117. Sacerdos, qui celebrat Miſſam Conventualem, in qua Chorus tenetur cantare Symbolum, non poteſt eam proſequi eo tempore, quo a Choro cantatur Symbolum. S. R. C. 17. Decemb. 1695., & antea 13. Septemb. 1630.

118. Parochis miniſtraturis SS. Sacramentum Infirmis, non eſt licitum de die, neque de nocte uti parvo Pileolo in delatione ejuſdem per Civitatem, ſub prætextu alicujus infirmitatis, abſque ſpeciali S. Sedis licentia. S. R. C. 13. Aug. 1695. In itinere tamen, & extra Civitatem, vel Oppidum ſolet indulgeri uſus dicti Pileoli Parocho reumate laboranti. S. R. C. 5. Mart. 1633. Et ita remiſit arbitrio Epiſcopi uſum Pileoli ad tenorem dicti Decreti eadem S. R. C. 10. Jan. 1693.

119. Evangelium pro Solemni Benedictione Palmarum a Sacerdote celebrante abſque Diacono, & Subdiacono canendum eſt in cornu Epiſtolæ. S.R.C. 27. Apr. 1697. Idem ritus ſervari debet Feria VI. in Paraſceve a Sacerdote Sacram Actionem faciente, qui recitata aut cantata Paſſio-

Digitized by Google

Paſſione, & præmiſſo in eodem cornu Epiſtolæ *Munda cor meum...* ibidem eam partem Evangelii; *Poſt hæc autem...* cantare vel legere debet.

120. In Eccleſiis permittuntur Altaria tantùm antiqua Sanctis Veteris Teſtamenti Prophetis dicata. S. R. C. 3. Aug. 1697.

121. Ante ℣., qui dicitur *Communio*, cooperiendus eſt Calix Velo in anteriori parte, prout ante Confeſſionem. S. R. C. 1. Mart. 1698.

122. In Sanctorum Patronorum electione fieri non debent promiſſiones ſervandi diem Feſtum Patroni electi tamquam de præcepto, etiamſi ab Eccleſia univerſali ſub tali Ritu non colatur; nam has promiſſiones & vota non admittit, nec approbat, ſed rejicit, & tantùm ex devotione ſervari poſſe concedit S. R. C. 15. Mart. 1698. vide n. 63.

123. Deficiente Subdiacono pro Miſſa ſolemni, data neceſſitate poteſt permitti per ſuperiores, ut ſubſtituatur conſtitutus in Minoribus Ordinibus ad cantandam Epiſtolam, paratus abſque Manipulo. S.R.C. 5. Jul. 1698.

124. In Feſto Translationis Patroni principalis ſub Ritu Duplici majori, dici non poteſt Symbolum in Miſſa. S.R.C. 19. Jun. 1700., vide n. 113.

125. Sub generali Indulgentiarum ſuſpenſione, quæ fit Anno Jubilæi non comprehenduntur Altaria privilegiata, nec aliæ Indulgentiæ pro ſolis Defunctis conceſſæ. Sac. Cong. 24. Jan. 1700.

126. In Feſtis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum & Virginum, quæ celebrantur ſub Ritu Duplici majori, non eſt dicendum Symbolum in Miſsa, ſed ſerventur Rubricæ Generales Miſſalis Romani cap. XI. de Symbolo. S. R. C. 19. Jun. 1700.

127. In Sacrificio Miſſæ non eſt adhibenda Palla a parte ſuperiori drappo ſerico cooperta. S.R.C. 22. Jan. 1701.

128. Sa-

128. Sacerdotes in Sacrificio Miſſæ congruentiùs utuntur Cingulo lineo, quàm ſerico. S. R. C. 22. Jan. 1701. vide n. 144.

129. Regularium Superiores non veniunt ſub nomine Ordinariorum. S. R. C. 22. Jan. 1701.

130. In Miſſa Conventuali Dierum ſolemnium, quæ abſque cantu & Miniſtris celebratur, non eſt facienda Thurificatio. S. R. C. 22. Jan. 1701.

131. Sacerdotes etiam Regulares diebus quibus propria Officia recitant ſub Ritu duplici, celebrantes in alienis Eccleſiis, quando peragitur Feſtum cum ſolemnitate & concurſu Populi, debent celebrare Miſſas conformando ſe Ritui & colori earumdem Eclleſiarum. In aliis verò diebus poſſunt, ſed quando prohibentur Miſſæ Votivæ, vel Defunctorum, debent ſe uniformare ſaltem quoad colorem. S. R. C. 11. Jun. 1701.

132. Sacerdotes exteri confluentes ad Eccleſias, etiam Regularium, & celebrantes de Sanctis, etiam Ordinis, quando Feſtum celebratur cum Solemnitate & concurſu Populi, debent in Miſſis ſe uniformare cum Sacerdotibus illius Eccleſiæ, etiam Regularibus, quoad Credo, & numerum Orationum, more Duplicium; in aliis verò diebus poſſunt. S.R.C. 11. Jun. 1701.

133. In Eccleſiis Regularium diebus Dominicis, quibus tàm Regulares, quàm exteri celebrant de Dominica, poſſunt exteri uti coloribus Paramentorum, quibus utuntur Regulares, ratione alicujus Octavæ; & Regulares celebrantes in alienis Eccleſiis uti coloribus juxta ritum eorumdem: & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quam Regulares in alienis poſſunt in alienis Eccleſiis uti coloribus juxta Ritum eorumdem, & tam exteri in Eccleſiis Regularium, quàm Regulares in alienis poſſunt apponere Commemorationem Octavæ, ut ſupra, occurrentis, ſervata Rubrica de duplici Oratione habenda

da in Dominicis infra Octavam. S. R. C. 11. Jun. 1701.

134. Facultates celebrandi cum Miſſali Romano pro Cappellanis Monialium, intelligi debet pro omnibus & ſingulis, qui ex debito tenentur celebrare in Ec- Eccleſiis ipſarum Monialium, dummodo celebrent cum Miſſali Romano. S. R. C. 11. Febr. 1702., & 20. Novemb. 1717. adprobante Clemente XI. die 1. Decem.

135. Sacerdotes non debent deferre manutergium ſuper Calicem, tam eundo, quàm redeundo ab Altari. S. R. C. 1. Sept. 1703.

136. Functiones omnes Hebdomadæ Sanctæ, Benedictiones & diſtributiones Candelarum, Cinerum, & Palmarum, Celebratio Miſſæ ſolemnis Feriæ V. in Cœna Domini, & Miſſarum ſolemnium per Annum, ſive pro Vivis ſive pro Defunctis, Benedictiones ignis, ſeminis, ovorum ac ſimilium; Expoſitio 40. Horarum, & Benedictio, quæ fit ſuper Populo; Expoſitio quæ fit cum Reliquiis vel ſacris Imaginibus, & Benedictio, quæ cum eis fit ſuper Populo non ſunt de juribus Parochialibus. S.R.C. 10. Decem. 1703. in Decr. Generali, adprobante Clemente XI. 12. Jan. 1704.

137. In Oratoriis privatis, quæ per S. Sedem concesſa fuerint, non licet Regularibus cujuſvis Ordinis aut Inſtituti, ſeu Congregationis etiam Societatis Jeſu, aut etiam cujuſcumque Ordinis Militaris, etiam S. Johannis Hieroſolymitani, aut aliis quibuſcumque Sacerdotibus celebrare in diebus Paſchatis, SS. Reſurrectionis D. N. J. C., aliiſque Anni Feſtis ſolemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis; in reliquis verò diebus, prædictis Regularibus, ſeu Sacerdotibus quibuſcumque, etiam Epiſcopis, in præfatis Oratoriis celebrare non liceat, ubi etiam unica Miſſa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuerit; ſuper quo Celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo ſe optimè informare: atque illa, etiam

in caſibus permiſſis celebrari nequit poſt Meridiem: & in omnibus hujuſmodi caſibus perſonæ quæcumque dictas Miſſas audientes, nullatenus Eccleſiæ præcepto ſatisfaciunt. S. C. C. 15. Decem. 1703. adprobante Clemente XI.

138. Quoad Altare portatile, licentiæ ſeu privilegia conceſſa nonnullis Regularibus in cap. *In his de Privilegiis*, & per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata utendi dicto Altari portatili in eoque Celebrandi abſque Ordinariorum licentia in locis in quibus degunt, omninò revocata ſunt per Conc. Trid., & propterea iiſdem Regularibus prohibetur ne illis utantur. S. C. C. 15. Decem. 1703. adprobante Clemente XI. 12. Jan. 1704., Innocentio XIII. Conſt. *Apoſtolici muneris* 13. Maii 1723., & Benedicto XIII. Conſt. *In ſupremo*, 22. Sept. 1724.

139. In Eccleſia, ubi quotidie non cantatur Miſſa, ſi occurrat Feſtum Patroni ſeu Titularis, diebus quibus non poteſt de eo fieri Officium, poteſt nihilominùs, diebus non exceptis a Rubr. Miſs. tit. VI. de Translatione, cantari Miſsa de Patrono ſeu Titulari, licèt non cantetur altera Miſsa concordans cum Officio. S. R. C. 23. Aug. 1704.

140. Antiphona B.M.V. in fine Officii debet omitti in Choro, quando immediatè ſequitur Miſſa, quæ in Eccleſiis non Cathedralibus, & non Collegiatis, ſed in minoribus, etiam Regularium, licèt non cantetur a Choro, ſed coram Clero legatur tantùm a Celebrante, habenda eſt tamquam Conventualis; & in Feſtis ſecundæ Claſſis debet omitti Commemoratio Sancti Simplicis eadem die occurrentis, ut præſcribitur in Rubr. Miſs. Tit. VII. n. 1. S. R. C. 14. Febr. 1705.

141. Si accedat ad Regularium Eccleſias Epiſcopus Titularis Suffraganeus ad celebrandum pontificaliter, non debent Regulares ei Baldachinum erigere, quod nec

nec in Eccleſiis ſuis, nec in exemtis Diœceſibus, nec extrà Diæceſim illi competit, quamvis accedat de licentia Ordinarii. S. R. C. 6. Mart. 1706.

142. Feria tertia Rogationum non dicitur ſecunda Oratio Dominicæ. S. R. C. 25. Sept. 1706.

143. In die S. Laurentii Titularis alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Matricis nullius Dæceſis non eſt recitandum Symbolum in aliis Eccleſiis ejuſdem loci, ſed tantùm in Eccleſia propria. S. R. C. 23. Mart. 1709.

144. Cingulum tertium indumentum Sacerdotale poteſt eſſe coloris Paramentorum. S.R.C. 8. Jun. 1709. vide num. 127.

145. In Eccleſiis, ubi Titulus eſt Eccleſiæ, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum quod transferri debet, diebus in quibus juxta Rubr. Miſs. de Transl. Feſtorum, poſſunt cantari duæ Miſsæ, una de Die, alia de Feſto. Sed in Eccleſiis, in quibus non eſt obligatio cantandi Miſſam quotidiæ, cantari poteſt Miſſa ſolemnis Votiva de Feſto occurrente tantùm. S.R.C. 17. Aug. 1709.

146. Quando tertia Oratio in Miſſa eſt ad libitum, & ex juſſu Summi Pontificis, vel Epiſcopi debet apponi aliqua ſpecialis Oratio pro publica indigentia, videlicet *contra Turcas* ſeu *ad petendam ſerenitatem*, aut *pluviam &c.* hæc Oratio debet recitari tamquam ex præcepto quarto loco, non omiſſa tertio loco illa, quæ eſt ad libitum, ſeu pro devotione Sacerdotis eligenda. S. R. C. 17. Aug. 1709.

147. In Vigilia Omnium Sanctorum, ſi occurrat dici Miſſa de Feſto ſemiduplici, poſt Orationem Vigiliæ tertia Oratio erit *A cunctis*, non verò de Spiritu Sancto. Et in Officio non obſtante Commemoratione Vigiliæ, debent in Laudibus fieri ſuffragia communia. S. R. C. 21. Junii 1710.

148. Quando Altare fuit conſecratum ad modum

Altaris fixi cum Sacris Sigillis, & unctionibus inter ſtipitem & Altare, ſi motus fuerit lapis ſuperior, qui format menſam Altaris, a ſuo ſtipite, tunc execratur Altare. Si verò fuit conſecratum ad modum Altaris portatilis, non execratur in quavis remotione, ſed tantùm quando frangitur Sepulchrum Reliquiarum. S. R. C. 21. Jun. 1711.

149. Confeſſario & Cappellanis tantùm quarumcumque Monialium ſervitio addictis, licitum eſt Miſſas Sanctorum, de quibus ipſæ recitant Officium, celebrare ſed cum Miſſali Romano, & de Communi, non verò Miſſas proprias eorumdem Sanctorum variis Ordinibus conceſſas. S. R. C. 20. Novem. 1717. adprobante Clemente XI. 1. Decemb. ejuſdem.

150. In Feſto B. M. V. de Monte Carmelo, quod etiam a Regularibus ſervari debet die 16. Julii, quamvis Officium recitetur juxta conceſſionem Benedicti XIII. prout in Feſto S. Mariæ ad Nives, tota tamen Miſſa, & non tantùm Evangelium, dicatur illa quæ a Sede Apoſtolica approbata eſt, & quæ incipit *Gaudeamus omnes*. S. R. C. 5. Maii 1736.

151. Quando Feſtum S. Petri Martyris transfertur extra Tempus Paſchale, Evangelium erit *Si quis venit ad me*. S. R. C. 5. Maii 1736.

152. Ab Orationibus expungenda ſunt cognomina & patriæ Sanctorum. S. R. C. 5. Maii 1736.

153. Annua Commemoratio omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Communitatis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum Duplex minus etiam translatum, ſed fiet Officium de Duplici cum ſola Miſſa ſolemni poſt Tertiam, Officium verò Defunctorum recitandum erit poſt Laudes ſub Ritu Duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in Paramentis nigris. S. R. C. 5. Maii 1736.

154. Quando occurrit Vigilia, aut Feria Quatuor

tuor Temporum infra Octavam Conceptionis B. M. V., debet recitari Officium de die infra Octavam; Miſſæ autem, ſive una cantetur, ſive legatur, ſint de Feria Quatuor Temporum cum ſecunda Oratione de Octava, & tertia de Spiritu Sancto, quæ ſemper dicitur infra Octavas B. M. V. juxta Tit. IX. de Orat. num. 7. & 9. nam Oratio, quæ ibi præſcribitur dicenda ſecundo loco, ponitur tertio loco. At ſi Feria Quatuor Temporum occurrat in die Octava Conceptionis, omnes Miſſæ privatæ dicantur de Octava cum Commemoratione Feriæ. Miſſa autem ſolemnis, quæ dicitur poſt Tertiam, erit de ipſa Octava ſine Commemoratione Feriæ, cùm de ea cantari debeat alia Miſſa poſt Nonam ſine Commemoratione Conceptionis. Dicendæ autem ſunt Orationes aſſignatæ in ipſa Feria, nempe *Deus qui de B. M. V. utero*, & tertia *Eccleſiæ*, vel pro Papa cum Præfatione communi. Idem ſervandum eſt in Miſſa & Officio alicujus Sancti, ex ſpeciali Privilegio aliquibus in locis in Quadrageſima Octavam habente, in qua omnes Miſſæ dici debent de Feria cum Commemoratione Octavæ, & tertia Oratione *Concede*, non verò *A cunctis*. Tempore autem Paſſionis, quando contingat fieri Officium de infra Octavam, unica pariter cantari debet Miſſa de Feria cum Commemoratione diei infra Octavam, & Præfatione de Octava, ſi habetur propria, ut dictum eſt de Octava Conceptionis. S. R. C. 23. Jun. 1736.

155. In Miſſa Feriali quæ ſubſtituitur Miſſæ de Octava eſt genuflectendum in Choro. S.R.C. 23. Jun. 1736.

156. Tranſlato Feſto ſemiduplici ad Vigiliam alicujus Apoſtoli, in Miſſa Feſti tertia Oratio debet eſſe *A cunctis*. S. R. C. 15. Sept. 1736.

157. Si ſecunda Oratio eſt de Spiritu Sancto, aut de eo fit mentio, tertia ſive ultima non debet concludi per *Ejuſdem Spiritus Sancti Deus*. S.R. C. 15. Sept. 1736.

158. In

158. In Miſsis Ferialibus a Dominica Paſſionis uſque ad Feriam V. in Cœna Domini, & infrà Octavas Paſchatis & Pentecoſtes, juxtà alias reſolutiones 22. Novem. 1659. in una Rubricarum, 13. Sept. 1692. in Cæſaraugustana, & 4. Maii 1709. in Piſtorienſi, occurrente Feſto ſimplici, non eſt dicenda tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel pro Papa. S. R. C. 15. Sept. 1736.

159. Si transferatur ad Tempus Paſchale Feſtum SS. Martyrum, in quorum Miſſa Introitus ſit *Gaudeamus omnes in Domino*, ſi ultrà Introitum *Gaudeamus* habeat etiam proprium vel Evangelium, vel Epiſtolam, tunc debet recitari idem Introitus, ſecùs ſi nihil aliud proprii haberet, quia in eo caſu Introitus alter incipiens *Protexiſti me Deus* dicitur. S. R. C. 29. Nov. 1738.

160. Si Feſtum alicujus Sancti Martyris habens in Miſſa proprium Evangelium, transferatur ad Tempus Paſchale, dici debet idem proprium Evangelium, non verò unum ex aſſignatis pro Tempore Paſchali. S. R. C. 29. Nov. 1738.

161. Serventur omninò Rubricæ Miſſ. Rom. ſub Tit. XV. quoad horas celebrandi Miſsas ſolemnes ſive pro Vivis, ſive pro Defunctis, non obſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 9. Maii 1739.

162. Tertia Oratio in Miſſa dicenda ad libitum Sacerdotis, poteſt eſſe vel de Sancto, vel de SS. Sacramento, vel de Patrono, de Paſſione, de Cruce &c. S.R.C. 2. Sept. 1741.

163. Cantata Miſſa ſolemni de aliquo Sancto ob concurſum Populi & Indulgentias, licèt Solemnitas & Expoſitio SS. Sacramenti adeſſet, color Paramentorum in Miſſis privatis, nullo habito reſpectu colori adhibito in quavis Miſſa Votiva ſolemni, ſemper is eſſe debet, qui convenit Officio in illa die occurrenti. S.R.C. 1. Dec. 1742.

164 Pax danda eſt Magiſtratibus Sæcularibus ſolemni-

lemniter aſſiſtentibus Miſſæ Cunventuali in Eccleſiis tam Sæcularium quàm Regularium, ſed cum Inſtrumento ab eodem Miniſtro, qui illam per oſculum defert Dignitatibus & Canonicis, ceteriſque Choro intereſſentibus, & non per Diaconum. S. R. C. 23. Mart. 1743.

165. In Oratione *Acunctis*, & in Suffragiis præponendus eſt S. Joſeph Apoſtolis Petro & Paulo, ut præſcribitur in Litaniis majoribus. S.R. C. 11. Maii 1743. quò verò ad nomina Sanctorum Angelorum, & S. Johannis Baptiſtæ, vide ſupra n. 41.

166. Ubi S. Johannis Baptiſtæ Feſtum, & ejuſdem Decollationis memoria gaudent prærogativa Patroni, vel Titularis, in Miſſa eſt utique recitandum Symbolum, ſecùs verò negativè, ni rursùs adeſſet ejuſdem Sancti inſignis Reliquia. S. R. C. 11. Maii 1743.

167. Cùm in Miſſali ultra primam in principio, detur & altera Rubrica in ordine & Canone Miſſæ, & inter has videatur aliqua diſcrepantia, præicpuè in inclinationibus & manuum junctionibus, quæritur quænam ſequendæ? Reſponſum fuit pari forma ſequendas eſſe, tùm Rubricas generales, tùm particulares Miſſalis Romani ad Cæremonias inclinationibus & manuum junctione, ritè peragendas. S. R. C. 21. Mart. 1744.

168. Serventur præſcripta a Cæremoniali Epiſc. cap. 5. lib. 1. circa ferulam geſtandam a Cæremoniariis; & hujuſmodi ferulæ geſtatio convenit ſolummodò Cæremoniariis Eccleſiæ Cathedralis. S. R. C. 21. Mart. 1744.

169. Exequenda ſunt omninò Decreta 2. Decem. 1684., 15. Sept. 1691., & 19. Jun. 1700. quibus vetitum eſt dicere *Credo* in Miſſis Patronorum minùs principalium, etiamſi nunquam fuerint ad praxim deducta; & a Miſſalibus, ubi contrarium notatur, expungatur. S.R.C. 22. Aug. 1744.

170. In Dominica infrà Octavam, Miſſæ privatæ neque-

nequeunt dici de Feſto, ſed dicuntur de Dominica cum Commemoratione Octavæ juxta Rubricas; conſtito tamen de concurſu Populi, permittitur unica tantùm Miſſa ſolemnis de Octava cum *Gloria* & *Credo* abſque ulla Commeratione. S.R.C. 3. Sept. 1746.

171. An Presbyteri ordinandi ſtatim ab initio; vel ſolùm a *Suſcipe Sancte Pater* ... debeant inchoare Miſſam cum celebrante & ordinante Epiſcopo? Reſponſum fuit teneri ſolùm ad *Suſcipe Sancte Pater*. S. R. C. 20. Sept. 1749.

172. An Presbyteri ordinandi debeant legere Miſſam ſtantes vel in terram genuflexi? Reſponſum fuit negativè ad primam, affirmativè ad ſecundam partem. S. R. C. 20. Sept. 1749.

173. An Presbyteri ordinandi omnes illas, quas Epiſcopus ordinans in Miſſa façit actiones, debant facere; adeoque an ii Presbyteri debeant Cruces manu ſuper Oblata peragere, an genuflectere &c., an deniquc omnia illa quæ Epiſcopus ſub Sacrificio agit, agere? Similiter idem quæritur de Epiſcopo conſecrando? Reſponſum fuit ad primum negativè, ad ſecundum ſervandum eſſe Ponficale Romanum. S. R. C. 20. Sept. 1749.

174. An Presbyteri ordinandi, poſtquàm ſunt de Corpore D.N.J.C. communicati, debeant de illo Calice, quem in Ordinatione ſua tetigerunt, ablutionem ſumere? Reſponſum fuit non eſſe neceſſe. S. R. C. 20. Sept. 1749.

CAPUT XXXV.

Decreta ſuper Miſſas Votivas.

1. G*Loria in Excelſis* cum *Credo* omittitur in Votivis pro re gravi, quando dicuntur cum Paramentis violaceis. S. R. C. 19. Maii 1607.

2. Res

2. Res gravis pro licita Votivæ ſolemnis decantatione, ea eſt, pro qua convenit Clerus cum Epiſcopo; vel apud Regulares in eorum Comitiis Generalibus, ſeu Provincialibus, cùm cantatur Miſſa pro re eorumdem judicio gravi. S. R. C. 19. Maii 1607.

3. *Gloria in Excelſis* dicitur in Miſſis Votivis B. M. V. tam in Sabbatis Feriaram, quàm in Sabbatis Adventus, licèt ipſa die Officium non fiat de B. Virgine. S. R. C. 19. Maii 1607., 27. Jul. 1609., & 30. Jul. 1689.

4. Tolerari poſſunt Miſſæ Votivæ cantatæ B.M.V. in Sabbato, in Feſto duplici, quod non eſt de præcepto, ut Teſtatorum voluntates adimpleantur, dummodo non omittatur Miſſa Conventualis. S. R. C. 1. Sept. 1607.

5. Miſſæ Votivæ jam acceptæ, quæ non poſſunt celebrari diebus impeditis, debent recitari de Feſto occurrenti cum applicatione Sacrificii. S.R.C. 19. Maii 1614.

6. Miſſæ Votivæ non poſſunt ſuffragari pro Miſſa Conventuali, quæ non poteſt omitti, etiamſi cantetur Miſſa Votiva. S. R. C. 16. Maii 1626.

7. In diebus, quibus non poteſt fieri de Feſto duplici, prohibentur Miſsæ Votivæ privatæ, & de *Requiem*. S. R. C. 28. Aug. 1627.

8. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis cantandi ſingulis diebus immediatè poſt Primam, Miſſam Votivam de B. M. V. poteſt, exceptis ſolemnioribus Feſtivitatibus D. N. J. C. tolerari, prout tolerat S. R. C.; & Feſta ſolemniora, in quibus non toleratur hæc Miſſa, ſunt Dominica prima Adventus, Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada, Dominica Reſurrectionis & Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, Dies Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, & omnes dies, in quibus celebrari debet peculiare Feſtum in honorem B.M.V. juxtà præſcriptum in Kalendario; ac dum-

modo diebus in quibus celebratur dicta Miſſa Votiva, præter eamdem celebretur etiam Miſsa Conventualis, ſeu Diei Feſti currentis. S. R. C. 19. Nov. 1633.

9. Miſsæ Votivæ quas ex obligatione aliqua Eccleſia tenetur per Hebdomadas celebrare certis diebus præſcriptis, in quibus multoties occurrit Feſtum de præcepto, debent transferri in alteram diem feriatam non impeditam. S. R. C. 9. Dec. 1634.

10. Miſsæ Votivæ non poſsunt dici ullo modo in Dominica Palmarum. S. R. C. 14. April. 1646.

11. Miſsa Votiva de B. M. V. in Vigilia Pentecoſtes non poteſt dici. S. R. C. 19. Aug. 1651.

12. Miſsa Votiva de B.M.V. cum *Gloria* & *Credo*, ſed ſine Officio, poteſt celebrari in aliqua die ob publicam cauſam, & ratione concurſus. S. R. C. 8. Jun. 1658.

13. Miſsæ Votivæ de Titulari & Patrono non poſſunt dici cum *Gloria* & *Credo*; ſed Ordinariis præcipitur, ne quid contra, vel præter Rubricarum præſcriptionem ſub pœnis in Conſtitutionibus Pontificiis contentis, ſervari permittant, ſed tantummodo die Tituli quorumlibet Eccleſiæ & Oratorii de Sancto Titulari, Miſsa cum *Gloria* & *Credo* celebretur. S. R. C. 4. Aug. 1658.

14. In novem diebus ante Nativitatem Domini, ubi adeſt antiquiſſima conſuetudo, vel concurſus, poteſt decantari unica Miſsa Votiva Solemnis B. M. V., quamvis in ipſis occurrat Feſtum D. Thomæ Apoſtoli, & Dominica tertia, vel quarta Adventus, non omiſsa tamen Conventuali, ſtatuta hora decantanda. S. R. C. 28. Sept. 1658.

15. Miſsa Votiva ſolemnis de B. M. V. poteſt cebrari in die Dominico, ratione concurſus Populi. S.R.C. 20. Novem. 1662.

16. Miſsa Votiva cantata de B. M. V. cum *Gloria* & *Credo* poteſt celebrari die Dominico, cauſa Voti, ſeu alia cauſa. S. R. C. 16. Jun. 1663.

17 Miſsa

17. Miſsa Votiva dum cantatur pro re gravi de aliquo Sancto, ſemper dici debet cum *Gloria* & *Credo*, & cum colore, quo utitur in Feſto, cujus Miſsa cantatur. S. R. C. 13. Aug. 1667. (*excipe Sanctos antiqui Teſtamenti quò ad Symbolum extra Eccleſiam propriam*.

18. Miſsa Immaculatæ Conceptionis B. M. V., & continuatio qualibet die Sabbati ex particulari Populi devotione, & ex quo ſit Patrona loci, non conceditur, ſed ejus loco permittitur Miſsa de S. Maria in Sabbato, dummodo non ſit impedita ab aliis Feſtis Duplicibus, ſeu ſemiduplicibus. S. R. C. 20. Jul. 1669.

19. Infrà Octavam Corporis Chriſti prohibentur Miſsæ Votivæ quæcumque, vel pro Defunctis. S. R. C. 21. Jun. 1670., 15. Sept. 1714.

20. Miſsa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die Veneris infrà Octavam Nativitatis Domini, non obſtante quacumque prætenſa conſuetudine illam celebrandi ſingulis diebus Veneris infrà Annum, & ſignanter infrà Octavam ſupradictam. S.R.C. 12. Jan. 1669.

21 Miſsa aſſignata Feſtivitati Conceptionis B.M.V. pro Fratribus Minoribus, non poteſt dici per Annum, uti Votiva, etiam in Sabbatis. S. R. C. 30. Sept. 1679.

22. In Miſſis Votivis privatis non eſt dicendus Hymnus Angelicus, niſi fuerit Miſsa Angelorum, in qua quotidie eſt recitandus, vel Miſsa de B. Maria, in qua quolibet Sabbato dici debet. S. R. C. 14. Maii 1672.

23. Si urgente cauſa celebranda eſt Miſſa Votiva infra Octavam, quæ habeat Præfationem propriam, ac *Communicantes*; in Miſſa Votiva debet dici Præfatio conveniens, *Communicantes* verò de infra Octavam, quia eſt proprium de illo tempore. S. R. C. 16. Jun. 1683.

24. Receptio ad Habitum & ad Profeſſionem Religioſam ſub re gravi numerari non poteſt, ut ex conſuetudine cantari poſſit Miſſa Votiva ſolemnis etiam de

Spiritu Sancto in Dominicis, vel Duplicibus, & hic abuſus eſt omninò abrogandus. S. R. C. 24. Jul. 1683.

25. Miſſæ Votivæ de SS. Sacramento, vel de B. M. V. in cantu fundatæ, dici non poſſunt in Duplicibus, aliiſque diebus Duplicia excludentibus; ſed cantari debent Miſſæ de Feſto currenti cum applicatione Sacrificii, juxta Decretum editum die 19. Maii 1614. ſicque ſatisfieri, & Benefactorum mentem impleri, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, declaravit S.R.C. 24. Jul. 1683.

26. In Miſſis Votivis privatis de SS. Sacramento, & de Officio duplici, quæ celebrantur in Eccleſiis, ubi adeſt Sacramentum expoſitum occaſione 40. Horarum, non dicitur *Credo*, niſi aliter competat Miſſæ Officii duplicis de die. S. R. C. 2. Dec. 1684.

27. Qui in Sabbato infrà aliquam Octavam B.M.V. recitat Officium de aliquo Sancto, eo die occurrente, volens celebrare Miſſam Votivam de B. V. tenetur quidem dicere Miſſam Feſtivam cum *Gloria*, ſed ſine *Credo*. S. R. C. 2. Dec. 1684.

28. Qui in Sabbato recitat Officium de B.M.V. volens celebrare Miſſam Votivam de aliquo Sancto, non debet dicere *Gloria*, neque Præfationem B. M. V. ſed communem. S. R. C. 2. Dec. 1684.

29. In Eccleſiis B. M. V. dicatis, ſeu aliis Sanctis, ubi adeſt immemorabilis conſuetudo cantandi Miſſam Votivam de B. M. V. ſingulis Sabbatis, licite continuari poteſt, etiamſi occurrat Officium duplex, dummodo non omittatur ſuo tempore Miſſa Conventualis. S. R. C. 2. Dec. 1684.

30. In Miſſa Votiva SS. Sacramenti tertia Oratio dicenda eſt ea, quæ ſecundo loco erit dicenda ratione temporis occurrentis, non verò ea, quæ eſt aſſignata ſecundo loco infra Octavam ejuſdem SS. Sacramenti. S.R.C. 4. April. 1705.

31. In-

31. Infra Octavam Nativitatis Domini prohibentur Miſſæ Votivæ privatæ. In Miſſis verò Votivis Solemnibus pro re gravi infra eamdem Octavam celebrandis, dicenda eſt Præfatio juxta Rubricam generalem tit. 12. num.4. videlicet: Dicatur etiam Præfatio propria in Miſſis Votivis, ſi habeant, alioquin de tempore Nativitatis. S. R. C. 25. Sept. 1706., & 15. Sept. 1714. adprobante Clemente XI. 29. ejuſdem.

32. Non poteſt Miſſa Votiva de Spiritu Sancto, vel alia celebrari etiam ab Epiſcopo pro eligenda Abbatiſſa in Feſto Duplici vel Dominica. S.R.C. 28. April.1708.

33. Quando per Annum fit apud Privilegiatos Officium de Immaculata Conceptione, vel ſub alio Titulo, vel de S. Maria in Sabbato, vel de SS. Sacramento, ſi dicatur aliqua Miſſa Votiva non habens Præfationem propriam, Præfatio debet eſſe de Communi, vel de Tempore, ſi tunc ſpecialis dicatur, non verò ea, quæ eſt conformis Officio, & ſervetur Rubr. tit.12. S.R.C. 16. Jun. 1708.

34. Miſſæ Votivæ, vel pro Defunctis non poſſunt celebrari infra Octavam Corporis Criſti. S. R. C. 21. Jun. 1670., & 15. Sept. 1714. adprobante Clemente XI. die 29. ejuſdem.

35. In Vigilia Epiphaniæ Miſſæ Votivæ & Defunctorum celebrari non poſſunt. S. R. C. 10. Dec. 1718. neque privatæ de *Requiem* poſſunt dici, ut eadem 27. Apr. 1697.

36. Dum præter Miſſam Conventualem cantatur Miſſa Votiva ex fundatione, in hac Miſſa non debet fieri Commemoratio Feſti, de quo cantatur Miſſa Conventualis. S. R. C. 23. Jun. 1736.

37. In Miſſa Votiva quæ celebrari aliquando poteſt infra Octavam, in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus, Vigiliis, & ſecunda Rogationum, prima Oratio erit de Miſſa, ſecunda de Octava, tertia de Feria,

Digitized by Google

Feria, & non recitatur Evangelium Feriæ, ſed initium S. Joannis *In principio*. S. R. C. 29. Jun. 1736.

38. Tolerari poteſt Miſſa Votiva cantata B.M.V. toto tempore Adventus, ubi adeſt conſuetùdo, exceptis ſolemnioribus Feſtivitatibus, dummodo cantetur ſine *Symbolo*, etiamſi Miſſa occurrens illud exigat, & ſolùm cum *Gloria in excelſis* in Sabbatis, & infra Octavam ejuſdem B. M. V. non omiſſa tamen Miſſa Conventuali. S. R. C. 22. Aug. 1744.

39. In Eccleſiis minoribus, ubi unica celebratur Miſſa, non poteſt omitti illa occurrentis Feſti de præcepto, ut cantetur Votiva. S. R. C. 22. Aug. 1744.

CAPUT XXXVI.

Decreta ſuper SS. Euchariſtiæ Sacramentum.

1. NON licet Regularibus etiam in eorum propriis Eccleſiis SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicæ Fidelium adorationi exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario: ex cauſa autem privata poſſunt, dummodo SS. Sacramentum è Tabernaculo minimè extrahatur, ac velatum remaneat, ita ut ipſa Hoſtia videri non poſſit. Ita Sac. Congr. Epiſc. & Regular. 16. Dec. 1602. Fuitque pro hujus Decreti executione Epiſcopis ceu Delegatis Apoſtolicis data facultas procedendi contra Regulares 4. Mart. 16. Maii 14. Novem. 1603. 15. Mart. 1606. & 5. Mart. 1619. Noluit autem Sac. Congr. 28. Novem. 1603. ut Epiſcopus per Cenſuras contra inobedientes ageret; ſed ut in caſu contraventionis declararet pœnam privationis Officii incurſam, monuit: quemadmodum hæc eadem Congr. verè dictam privationem incurri decrevit. 10. Febr. 1626. Prohibuit & Regularibus publicam Euchariſtiæ expoſitionem abſque ſpeciali Ordi-

Ordinarii licentia Sac. Congr. Concil. 17. Aug. 1630. Firmiùs autem & univerſaliùs, atque etiam uſque ad cenſuras proceſſit Sac. Rit. Congr. 18. Dec. 1647. Quod Decretum eadem Sac. Congr. iterum atque iterum innovavit, adprobante Clem. XI. die 12. Jan. 1704. in particulari ejus Bullario part. 2.

2. Euchariſtia in Feſto Corporis Chriſti non eſt deferenda per vias Hebræorum. S.C. 22. Febr. 1593.

3. In Tabernaculo, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, non ſunt retinendæ Reliquiæ, nec Vaſa Sacrorum Oleorum, nec aliud. Sac. Congr. 22. Febr. 1593.

4. Tabernaculum SS. Sacramenti non debet eſſe in Altari Majori propter Functiones, quæ fiunt verſis renibus ad Altare. Sac. Congr. 28. Nov. 1594.

5. Genuflectendum eſt ſemper ab omnibus tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Proceſſiones per Eccleſiam, & contraria conſuetudo declaratur abuſus. S.R.C. 14. Dec. 1602.

6. Confraternitati SS. Sacramenti, ſi ſumtus ceræ facit, indulgetur ut in Proceſſione ejuſdem SS. Sacramenti aliqui ex Confratribus ſaccis induti cum Fanalibus accenſis, hinc inde, & apud idem SS. Sacramentum adſint, dummodo major pars Confraternitatis cum ſua Cruce & Inſignibus incedat ante in loco ſuo, juxta Bullam Gregorii XIII. S. R. C. 10. Maii 1608.

7. Euchariſtia non eſt deferenda in Proceſſionibus Sacerdotum humeris, ſed Celebrantis manibus, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declaravit. S. R. C. 2. Jun. 1618.

8. Dum elevatur Euchariſtia Sanctiſſima, Clerus ſive in Choro exiſtat, ſive proceſſionaliter incedat, ſemper debet genuflectere. S. R. C. 2. Maii 1620.

9. Non convenit quod unus Dignior celebret Miſſam ante Proceſſionem SS. Sacramenti, & deinde alter

Digitized by Google

ter minoris dignitatis deferat illud in Proceſſione. S.R.C. 31. Jul. 1632.

10. Sacerdos celebraturus Miſſam privatam, dum tranſit ante Altare, in quo eſt expoſitum SS. Sacramentum, poſt factam adorationem flexis genibus aperto capite, dum ſe erigit, caput cooperiat. S.R.C. 7. Sept. 1638.

11. Benedictio cum SS. Sacramento danda eſt in fine Hymni *Pange lingua*, non vero ad Verſum *ſit & benedictio*. S. R. C. 5. Febr. 1639.

12. Quando SS. Euchariſtiæ Sacramentum publicè diſcoopertum exponitur, omnes ante illud tranſeuntes cujuſcumque conditionis, & ordinis ſint, ſeu ad illud accedentes, ſeu ab eodem recedentes, ſemper utroque genu flectere debent. S. R. C. 19. Aug. 1651.

13. Quando exponitur Sacramentum in Altari pro initio 40. Horarum, vel Spiritualium Exercitationum, ſi accidat in Feſto primæ, vel ſecundæ Claſſis, ſive in Dominica privilegiata primæ, vel ſecundæ Claſſis (aut in die excludente Officium duplex, vel ſemiduplex) tunc Miſſa cantetur de die cum Commemoratione SS. Sacramenti ſub unica concluſione. S. R. C. 13. Febr. 1666.

14. Miſſam in Altari Majori, ubi eſt expoſitum publicè SS. Sacramentum, non licet celebrare, præſertim ſi in Eccleſia adſunt alia Altaria, in quibus celebrari poſſit. S. R. C. 9. Aug. 1670.

15. Non debet cantari, neque celebrari Miſſa in Altari, ubi eſt expoſitum SS. Sacramentum, niſi ſit pro eo exponendo, vel reponendo; at ſi ex neceſſitate fieri opus eſſet, Populus benedicendus eſt more conſueto, & non cum SS. Sacramento. S. R. C. 13. Jun. 1671.

16. In benedicendo Populum cum SS. Sacramento, iſte modus approbatur, nimirum cùm Sacerdos ſtat ante Populum, Oſtenſorium ante pectus tenet, tunc elevat illud decenti mora, non ſuprà caput, ſed tantùm

uſque

Digitized by Google

uſque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus, mox iterùm recta linea illud tollit uſque ad pectus, & exinde ad ſiniſtrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & verſus ante pectus reducit, ibique aliquantulùm ſiſtit, quaſi peracta ad omnes mundi partes Cruce, & Sacramentum etiam venerandum omnibus præbet, tunc gyrum perficiens collocat Oſtenſorium ſuper Altare. Servari poteſt alius modus deſcriptus in Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 33. ubi requiritùr tantummodò, ut cum eodem Sacramento Celebrans producat ſignum Crucis. S. R. C. 21. Marti 1676.

17. In Proceſſionibus SS. Sacramenti, quæ occaſione 40. Horarum fiunt per Eccleſias, debent proceſſionaliter incedentes ante Sacramentum in occurſu & tranſitu a latere ejuſdem facere genuflexionem, dummodo in tranſitu videatur. S. R. C. 1. Mart. 1681.

18. In Miſſa privata de Sancto Duplici, vel ſemiduplici, de quo tali die fit Officium, poteſt quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento expoſito occaſione 40. Horarum, ſed omittenda in Feſtis primæ & ſecundæ Claſſis. S.R.C. 2. Dec. 1684. & 2. Sept. 1741. etiam ſi fuerit expoſitum in Pyxide. Ead. 7. Maii 1746. vide n. 27. 31.

19. In Expoſitione & Deſpoſitione SS. Sacramenti, etiam cauſa devotionis non eſt addendum *Alleluja* ad ℣. *Panem de Cælo* (excepto Tempore Paſchali, & Octava Corporis Chriſti) S. R. C. 5. Jul. 1698.

20. Sacerdos Miſſam celebraturus tranſiens ante Altare, ubi fit Populi Communio, non debet permanere genuflexus, donec & quouſque terminetur Communio. S. R. C. 5. Jul. 1698.

21. In Expoſitione SS. Sacramenti, cantatis ſeu recitatis verſiculis *Panem de Cælo* &c. Sacerdos inſurgens non debet reiterare genuflexionem, antequàm recitet Orationes. S. R. C. 2. Aug. 1698.

22. Pyxis in quà proprio Velo coopertum defertur SS. Viaticum Infirmis, debet etiam cooperiri extremitatibus Veli oblongi humeralis. S. R. C. 21. Mart. 1699.

23. Lampas ardens omninò retinenda eſt ante Altare SS. Sacramenti, non verò ſuprà valvas Eccleſiæ in Choro de Diametro oppoſito ante prædictum Altare. S. R. C. 22. Auguſti 1699.

24. Ante Oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti retineri non poteſt vas florum, vel quid ſimile, quod prædictum occupet Oſtiolum cum Imagine Domini noſtri in eodem inſculpta, ſed poteſt collocari in humiliori & decentiori loco. S.R.C. 22. Jan. 1701.

25. Super Altare, in quo SS. Sacramentum expoſitum eſt, Crux de more collocari debet cum Imagine Crucifixi appoſita. S. R. C. 14. Maii 1707. niſi aliter ſit praxis locorum. Eadem 2. Sept. 1741. vide n. 29. & 30.

26. Quando in Miſſa Sollemni miniſtratur Sacra Euchariſtia Clericis vel Laicis, reliqui de Clero in Choro debent ſtare. S. R. C. 9. Maii 1711.

27. Dum Miſſa cantatur coram SS. Sacramento in Altari expoſito, debet fieri Commemoratio de eodem Sacramento poſt omnes alias Commemorationes de præcepto, & in Miſſis Solemnibus tantùm Feſtorum primæ & ſecundæ Claſſis facienda eſt ſub unica concluſione. S R.C. 23. Jun. 1736. vide n. 18.

28. In Communione Monialium habentium feneſtrellam in parte Evangelii, Sacerdos debet deſcendere & reverti per gradus anteriores & non per laterales Altaris. S. R. C. 15. Sept. 1736.

29. Dum incenſatur Altare, in quo eſt expoſitum publicæ adorationi Venerabile Sacramentum, non debet poſt illud incenſatum Crux quoque incenſari. S. R. C. 29. Nov. 1738. vide n. 25. & 30.

30. Etſi Decretum hujus Sacr. Congr. de Anno 1707.

no 1707. præcipiat quod in Altari, ubi eſt publicè expoſitum SS. Sacramentum, tempore Sacrificii Crux de more collocetur; non eſt tamen in viridi obſervantia, & Patriarchales Eccleſiæ Urbis oppoſitum ſervant. Supervacuam enim adjudicant Imaginis exhibitionem, ubi Prototypus adoratur; & hacce de cauſa Inſtructio pro Oratione 40. Horarum Clem. XI. Bened. XIII., & Clem. XII. Summ. Pontif. juſſu edita ſub ſilentio præterit, an locanda, removendavè ſit hujuſmodi Crux, linquens quemlibet in ſua praxi. S. R. C. 2. Sept. 1741.

31. Commemorationem de SS. Sacramento tempore Solemnis Expoſitionis poſſe fieri in Miſſa de Feſto Duplici, non tamen primæ vel ſecundæ Claſſis declaravit Sac. Rit. Congr. Inſuper Sanctorum Reliquiæ non ſunt collocandæ ſuper Altari, in quo reipſa SS. Sacramentum publicæ venerationi eſt expoſitum. S. R. C. 2. Sept. 1741. vide num. 18. 27.

32. Commemoratio de SS. Sacramento in Miſſis privatis poteſt fieri, quando ejus expoſitio fiat pro publica cauſa, etiamſi Sacramentum expoſitum ſit in Pyxide. S. R. C. 7. Maii 1746. vide n. 18.

33. Genuflexio utroque genu eſt facienda a tranſeuntibus ante SS. Sacramentum, etiamſi fuerit in Pyxide patenter expoſitum. S. R. C. 7. Maii 1746.

34. Quando frequenter fiunt expoſitiones Sanctiſſimi publicè in Majori Altari, & præter Miſſam Solemnem dicantur etiam Miſſæ privatæ ad idem Altare Majus, an etiam in Miſſis privatis ad Altare Majus, & ad alia Altaria minora, durante expoſitione Sanctiſſimi, poterit fieri Commemoratio de Sacramento, durante expoſitione? Reſponſum fuit affirmativè. S.R.C. 7. Maii 1746.

35. Expoſito SS. Sacramento in Altari Majori, dum ſub *Magnificat* in Veſperis idem Altare Majus incenſatur, an debeant etiam incenſari alia Altaria, ex eo

quòd incongruum eſſe videtur relinquere in Altari expoſitum Sacramentum; & utrùm thurificato Altari Majori, ubi eſt expoſitum Sanctiſſimum, debeat etiam fieri thurificatio illius Altaris, in quo eſt reconditum Sanctiſſimum in Ciborio? Reſponſum fuit non eſſe thure adolenda alia Altaria, licet alibi SS. Sacramentum aſſervetur. Sac. R. C. 7. Maii 1746.

36. Inſtructio pro Oratione 40. Horarum Romæ juſſu Clementis XI. primùm edita, extra Urbem non obligat: laudandi tamen, qui ſe illi confirmare ſtudent, niſi aliud ab Ordinariis Locorum ſtatutum ſit. S. R. C. 12. Julii 1749.

CAPUT XXXVII.

De Menſuris propriis Sacræ Supellectilis in ordine ad Miſſam tùm ſolemnem, tùm privatam.

1. IN aſſignandis hic cujuſque Sacræ Supellectilis menſuris ac modulis, novas non conſtituimus formas, ſed jam & a Conciliis, probatiſque Doctoribus, S. Carolo præſertim, & Gavanto traditas proponimus, ut ad ſingulorum manus facilùs habeantur: quod ordine Alphabetico proſequimur.

2. Abacus, ſeu Credentia ſit e tabulis populeis, aut querneis, abiegniſve, longitudinis trium circiter cubitorum, pro Eccleſiæ magnitudine, Chorive, ſeu Presbyterii ratione, latitudinis duorum cubitorum, talique altitudine, ut non ultra binos cubitos, & uncias duodecim elevetur a terra.

3. Acerra, ſive Navicula Incenſi ex argento, vel aurichalco constructa ſit cum cochleari ejuſdem materiæ, ita capax, ut quantitatem Thuris ultrà neceſſarium capiat.

4. Alba e tela linea ſit, longitudinis quatuor cubi-

cubitorum, latitudinis ſexdecim, ac paulò ampliùs circumquaque pateat; Manicas habeat longitudine ſeſqui cubitali, latitudine ab humeris penè cubitali, quæ uſque ad manus ſenſim anguſtiùs ducantur. In ſumma veſte, & in extremis Manicis aliquid dumtaxat ſit acu paululùm, ac tenuiter elaboratum; nimius enim labor in his ornandis vanitatem ſapit, & levitatem.

5. Altare Majus tres habeat gradus, a quorum infimo uſque ad Cancellos ſpatium interſit cubitorum octo, vel ſaltem quatuor in Eccleſiis Minoribus. Sit autem a ſolo Scabelli altitudine cubitorum duorum, & unciarum octo, & ad ſummum decem, longitudine cubitorum quinque, vel plurium pro Eccleſiæ magnitudine, latitudine verò cubitorum ſaltem duorum, & unciarum duodecim. Tres autem inter gradus Pradella lignea numeretur, quæ a fronte Altaris cubitos duos producta, uncias ſexdecim latè pateat; altitudo verò ſingulorum graduum ſit unciis octo.

6. Altare Minus ſit elevatum cubitis duobus, & unciis octo, longum quatuor cum dimidio, nec minùs quatuor, latum duobus. Scabellum habeat e tabulis ligneis, latitudine cubitorum duorum, altitudine unciarum octo, ſed & longiùs pateat quàm Altare, unciis circiter ſexdecim. Nullum foramen, neque feneſtella ibi ſit, ubi quidquam aſſervari, recondivè poſſit.

7. Amictus e tenui tela ſit, logitudine cubitorum duorum cum dimidio, latitudine autem cubitali, in duobus ejus angulis anterioribus aſſuantur funiculi ità longi, ut ante pectus revocari commodè queant, & cum ipſis nodus fieri. In medio Crux acu pingatur unciarum duarum, longè ab extremitate, digitis duobus, in parte ſupperiori, extremitates illius aliquo modeſto opere ornari poſſunt.

8. Ara ex lapide ſit longitudinis unciarum viginti, latitudinis ſexdecim, præter capſæ dimenſionem, cui

cui inſerta eſt, quæ Capſa e nucea omninò tabula ſit, craſſitudine unciarum circiter duarum, aut plurium pro Lapidis craſſitudine; non diſtet a fronte Altaris pluſquàm ſpatio unciarum octo: ità verò inſerta ſit, ut e menſæ Altaris ſuperficie parumper extet elevata, ut Sacerdotis tactu dignoſci poſſit; tela denique cerata tegatur, claviculis prædictæ capſæ confixa.

9. Burſa Corporalium ſit quadrata, & latitudinis dimidii circiter cubiti. A fronte ſit Cruce, vel alia ſacra Imagine in medio intexta, a tergo etiam ex eadem materia & colore. Intrinſecùs autem ſerico, aut tela candida veſtiatur.

10. Calix ità efformetur, ut Cuppa aliquantulùm in fundo ſit anguſta, & ſenſim uſque ad ſummum labrum latior fiat. Labrum nullo modo reflectatur, & nodus ità ornatus ſit, ut Calix commodè accipi valeat, præſertim quando indices ac pollices disjungi nequeunt. Minor ne ſit totus Calix, amplitudine in orbem ducta, unciarum quatuordecim, altitudine duodecim.

11. Candelabra habeant baſim vel rotundam, vel potiùs triangularem, & Crucis baſi conformem. Quæ ab Acolytis deferuntur minora ſint his, quæ in Altari collocantur. Erunt autem in Altari Majori ſex Candelabra, non plura; & in reliquis quatuor, vel duo.

12. Cingulum ex candido lino, vel tenui cannabe conficiatur, longitudine cubitorum circiter ſeptem, capitibuſque ejus flocci ex eadem materia appendantur. Ea autem forma cinguli, quæ cingulo ipſi, ut hinc inde pendeant flocci a lateribus Sacerdotis, duas addit lineas, quibus reipſa cingitur Alba, approbanda non videtur.

13. Conopæum Tabernaculi majoris SS. Euchariſtiæ e materia nobiliori ſit, vel alba ſemper, vel Feſtivitatibus concolori. In ſuperiore parte criſpetur, in fimbriis verò ità dilatetur, ut totum Tabernaculum obtegat.

tegat. In extremis tandem oris habeat de more ornatum laciniarum decorè contextarum.

14. Corporale erit ex tela linea & candida; ab oris autem acus ſimplici opere punctim ſolùm retortum ſit: ad minus longitudine unciarum triginta conſtet, latitudine totidem; ità verò complicatum, ut nulla ejus extremitas appareat. Crux acu pingi poteſt in anteriori parte.

15. Crux in Altari collocanda Imaginem Crucifixi habeat, & prealta emineat Candelabris.

16. Dalmatica longa eſſe poteſt cubitis duobus, & unciis ſexdecim, lata ab humeris cubito uno, & unciis circiter quatuor, ab extremis oris undique patens cubitis circiter quinque.

17. Gradus in Altari principe ne fiant, niſi duobus cubitis tantùm, minuſvè, ſi a pariete poſteriori illud diſtet; tuncque ejuſmodi gradus unus, vel plures decenter adhiberi poterunt, ità tamen ut circuitus Altaris non impediatur, neque Candelabra ſuper iis poſita extrà Aram videantur eſſe; quod eſſet contra Rubricam de Altaris incenſatione. In Ara minori gradus unus ſit ligneus, longitudine Altari æquali, latitudine unciarum octo, & totidem altitudine, in quo Candelabra cum Cruce locanda erunt.

18. Hamulæ, ſive Ampullæ non ſint ex argento, ſtamno, aurichalco, aliovè metalli genere, ſed ex vitro, ſeu cryſtallo pellucido, cum decenti operculo.

19. Manipulus tribus conſtare debet Crucibus, cum cordulis ſolidioribus ad ligandum.

20. Manutergium pro Miſſa ex lino tenui contextum, longitudine cubitali, latitudine ſeſquicubitali conſtet; ornentur capita laciniis, & filamentis ejuſdem materiæ.

21. Mappæ Altaris ſuperiores e lino ſeu cannabe albæ ſint, nulloque alio colore intextæ; tantæ longitudinis, ut ab utroque Altaris latere profundiùs circiter tri-

Digitized by Google

tribus digitis, quàm planum Pradellæ, demiſſæ ſint; tantæ verò latitudinis, ut totam Altaris menſam contegant. Mappæ inferiores totam ſaltem menſam cooperiant.

22. Mappæ pro Communione, ſi ſuprà Cancellos, vel Scamna extendantur, horum longitudinem æquabunt; aliæ verò ſint longitudinis trium cubitorum, latitudinis duorum, capita earum exornari poterunt.

23. Miſſale nihil prophani habeat, ſed Crucis Inſigne, aliave Sancti Titularis Imago in Corio depicta appareat. Signaculum ejuſdem duodenis conſtet funiculis ſericis, longè ita ductis, ut Miſſalis longitudinem vix quinque unciis excedant. Ejuſdem integumentum ità longè deductum ſit, ut ab ima parte octo unciis ſuperet coriaceum Miſſalis operimentum, in ſumma verò nihil omninò extet. Lineæ ſericæ circumdent extremitates, laciniæ imam partem exornent, ſubveſtiatur tela ejuſdem coloris, quo eſt integumentum.

24. Pallium Altaris, ſeu Antipendium paulò longiùs quàm Altare ipſum patere debet; eoque altius, ut ab ima parte parumper ſub coronide Scabelli, ſeu Pradellæ ejuſdem Altaris occultetur. A ſuperiori parte palmum a ſummo diſtante laciniis, quas frangias vocant, ornetur pro qualitate Pallii. In exteriori parte Crux, aut Imago Sancti, cujus nomine dicatum eſt Altare, aut alia Sacra Effigies in medio aſſuatur.

25. Patena inaurata undique eſſe debet, vel ſi argentea ſit, ſaltem in interiori parte; labrum extremum circulare ità tenue ſit, ut eo facilè colligi poſſint fragmenta Sacræ Hoſtiæ. Illam mediam concavitatem habeat, quæ amplitudinem labri Calicis ferè adæquet. Minor Patena pateat amplè in orbem uncias triginta duas.

26. Pelvicula Ampullarum piam ſpeciem exprimat, fundo intrinſecùs conſtet lato & plano, neque ità elaborato, ut minùs firmè Hamulæ impoſitæ hæreant.

27. Pyxis

27. Pyxis pro SS. Sacramento ſit argentea intùs inaurata etiam in operculo. Pes ſit altitudine ſex unciarum cum nodo in medio, fundum in orbem tenuiter emineat, operculum reſpondeat Pyxidis formæ, quod in medio inſtar ferè Pyramidis extet. Ab uno & altero item latere parvulos, tenueſque uncinos habeat, quibus in circulo aptè includatur, & fiat immobile, & in ſummo parva Crux collocetur.

28. Planeta more Romano latè pateat cubitos circiter duos, longè tres. Faſcia quæ vel aſsui ſolet, vel diſtingui in ipſamet Planeta, ut Columnæ ſpeciem a tergo, & Crucis ante pectus effingat, lata erit unciis octo ad minimum. Funiculi, ſive lineæ ſericæ addantur in ea parte, qua pectus tegitur, ità oblongæ, ut reduci poſſint ante pectus ad firmandam Planetam, ne defluat a tergo.

29. Pluviale ad imos uſque talos protendatur, longitudine cubitorum trium, & unciarum circiter ſex conſtans, & pro ſemicirculi ratione latè patens. A parte anteriori a ſummo ad extremum, hinc & inde auriphrygio decoretur; a poſteriori autem parte Caputium ornatu auriphrygiato, qui anteriori reſpondeat, habeat. Laciniæ, ſeu frangiæ, Romano more, latiores eſſe debent circa Caputium, breviores in oris Pluvialis extremis. Fibula anteriori connecti debet Pluviale, additis binis, ſeu ternis uncinis majoribus. Globuli laciniati pendentes a Caputio non ſunt ampliùs in uſu Romani Cleri Sæcularis.

30. Pulvinar pro Miſſali plenum ſit non pluma, neque lana conciſa, ſed ſolida, longè pateat cubito, & paulò ampliùs, latè circiter decem & octo unciis, & ornetur in quatuor angulis laciniatis flocculis, & opere ſimplici conſuatur.

31. Purificatorium e tela neque tenui, neque

craſſa nimis ſit, & ſimplici acus opere conficiatur, latitudine, unciarum circiter octodecim ad minimum, longitudine totidem, non minùs; in medio parva Crux acu pingatur.

32. Stola cum Planeta colore & materia congruat, longè cubitis circiter ſex, ut infra genua producatur, latè autem unciis ſex pateat, laciniæ ſeu frangiæ unciarum trium ſint. Præpterea Cruces tres de more annectantur eidem, in medio, & in extremis partibus, unaquæque Crux ſit formæ quadratæ, quæ ab omni parte unciis circiter tribus conſtet. Stolæ Sacerdotali nihil appendatur; Diaconali verò ab utraque media ejus parte duo funiculi cum flocculis laciniatis ad illius rectè connectendæ uſum.

33. Superpelliceum ſit e tela tenui, longitudinis ad medium uſque dorſi, latitudinis in extrema parte cubitorum decem, ab humeris circiter quinque, manicis ità oblongis, ut criſpatæ ad medium uſque brachii pertingant, quæ eſſe poſſunt cubito uno cum dimidio, latè autem patentibus in orbem cubitis circiter duobus. In ipſo ore forma ſit potiùs rotunda, quàm quadrata, & a pectore ſcindatur. A nulla parte neque nimis affectata artificioſi operis elegantia elaboratum ſit, ab humeris præſertim non ſpecioſo artificii ornatu, ſed criſpis tantùm artefactis, & pinnulis Religioſo ſtatui congruis, exornetur, ſericis coloratis vittis e collo penitùs excluſis.

34. Tabella Pacis aliquo piæ cælaturæ ornatu, putà Imagine Pietatis expreſſa ſit inſignis; latitudineque conſtet unciarum octo, longitudine duodecim circiter, & a tergo Manubrium habeat ejuſdem materiæ.

35. Tabella Secretarum non quernea, non nucea, neque e ligno ſubobſcuro ſit, ſed ex abiete, aliave id generis arbore albicanti, ne pagina agglutinata obſcureſcat. Latè aliquantò ampliùs pateat, quàm longè,

gè, cornicibus decorè ornata. Pro Feſtis ſolemnioribus ſpecioſior eſſe debet, cum cornicibus auratis, & pagina majuſculis impreſſa litteris, auroque ſplendentibus.

36. Tela ſtragula Altaris ad illud operiendum finitis Miſſis, longitudine, ac latitudine ſit, quæ totam illius menſam undique contegat, & paulò ampliùs, laciniis brevioribus ab omni parte decorè cincta, colore ſit viridi.

37. Thuribulum ſit cum quadruplici catenula & operculo: Catenularum autem longitudo ſit cubitorum duorum, & unciarum circiter duodecim.

38. Tintinnabulum pro elevatione Sacramenti, ſi appendatur, parieti laterali affixum hæreat, & appenſo funiculo ita longo, ut Miniſter genuflexus in cornu Epiſtolæ commodè illud pulſare poſſit.

39. Tunicella Subdiaconi ſit ſimilis Dalmaticæ Diaconi, exceptis manicis, quæ erunt anguſtiores & longiores.

40. Vas Hoſtiarum ſit rotundum, latitudine unciarum quatuor, ut Hoſtiæ inde promi commodè poſſint: utile quoque erit laminam plumbeam rotundam ſerico veſtitam Hoſtiis ipſis ſuper imponere, ut earum curvatura tollatur.

41. Vas pro abſtergendis Calicibus, lavandiſque Corporalibus & Purificatoriis æneum paretur, inſtar pelvis, binis manubriis conſtans, atque ab uno labro ad aliud cubito uno & unciis octo, pluribuſve pro ratione Suppellectilis lavandæ, oreque eminenti, per quod, quaſi per canalem aqua lotionis inde paulatim in Sacrarium effundi poſſit: quod vas huic uſui tantùm ſit reſervatum.

42. Velum Calicis ab omni parte cubito, & unciis duodedim latè pateat; ab oris undique opere ſerico, auro, argentoque tenuiter ornatum.

43. Velum Pyxidis ſit pretioſum, & quale ſaltem dedimus Calici.

44. Velum pro deferenda SS. Euchariſtia in Proceſſionibus ejuſdem, ſit longum ſex cubitis, latum ut veli tela, coloris ſemper albi.

45. Velum Subdiaconale longum item cubitis ſex, latum autem ſit, quanta eſt veli propria latitudo.

46. Umbella quæ ſuper Altare ponitur, undique latè pateat, ita ut Altare ipſum, & Sacerdos ibi Celebrans omninò contegantur, qua ille & Altare a pulvere, omnique labente ſorde defendantur, ab Altari tamen decorè elata, ut facilè quoque purgari queat.

47. Umbella alia, quæ defertur ſuper SS. Euchariſtiam in Proceſſionibus, undique habere debet ornatum duplicium faſciarum, quæ duodecim circiter unciis longè pendeant; iiſque faſciis conſutæ ſint ab omni parte fimbriæ cum filamentis ſatis prolixis, haſtile inſeratur inter utramque faſciam, quod rectè extendat latera Umbellæ; haſtilia item picta paribus inter ſe ſpatiis diſpoſita, quibus illa tolli & geſtari poſſit, quatuor, plurave pro ejuſdem Umbellæ magnitudine ſupponantur. Color autem albus convenit huic Umbellæ; & hæc de ſuppellectili Sacra ex actis Mediolanenſis Eccleſiæ, ac Theſauro Sacrorum Rituum ad litteram delibata.

48. Umbella ſerica, vel ex alia pretioſa materia, coloris albi, & figuræ rotundæ cum decenti haſtili in medio; quæ facile claudi & aperiri poſſit, portanda ſuper SS. Euchariſtiam, quando ab uno Altare ad aliud ejuſdem Eccleſiæ transfertur, vel quando deferenda eſt per Conventus ad Fratres infirmos.

Pro debita notitia menſuræ Cubiti ponitur ſequens figura.



Cubiti, qui ex unciis 24. conſtat, Quarta Pars unciatim delineata hæc eſt.

CA-

CAPUT XXXVIII.

De nitore, & munditia prædictæ Sacræ Supellectilis.

1. ALtaria bis ſingulis annis, cùm ſudum eſt, a finitis Miſſis ad Veſperum ſpoliata ſint, & Suppedanea item amota, ut ſicci aeris ſentiant beneficium: quo tempore tum Altaria ipſa undequaque mundentur, tum Suppedaneorum pars, quæ ſubter eſt. Cùm Mappæ mutantur & Pallia, Altaria quoque ipſa mundentur arundinea ſcopula; telâ etiam cerata, quæ ſacro lapidi hæret, leviter purgetur, ſive lapis ſit inſertus, ſive totum Altare capiens. Quòd ſi aliquo caſu accideret, ita tectum non eſſe, ob reverentiam Sacri Chriſmatis ne purgetur, tangaturve.

2. Icones cum ornamentis ſuis, SS. Euchariſtiæ Tabernaculum, & quæcumque hujuſmodi picta, vel inaurata adjuncta ſunt Altaribus; item Umbellæ ſuperimpendentes, ſingulis Menſibus mundentur caudis vulpinis, aut arundinea ſcopa.

3. Suppedaneum Altaris quotidie mundetur ſcopa arundinea, ſi in eo celebranda ſit Miſſa.

4. Arcula ad ſputum excipiendum circumfricetur, & purgetur octavo ſaltem quoque die; item feneſtellæ Urceolorum eodem tempore benè purgentur.

5. Candelabra, Cruces, Thuribula, & reliqua Suppellex argentea, quantùm fieri poteſt, manibus nudis ne contrectetur, ſed adhibito panno, aut velo parte, quæ argentea non ſit, capiatur. Antequam recondatur, excutiatur, ſi quid pulveris, ceræ, aut maculæ acceſſerit, & extergatur leviter, adhibito linteo, & molli panno. Condita autem ſit unaquæque res theca ſua, ne quid ſordium accipiat; cùm tamen aliquid purgatione

ne egere viſum fuerit, palea combuſta, adhibito panno lineo, leniter præſtabitur. Quod ſi quid valde ſit denigratum, putà Thuribulum ignis cauſa, aut etiam multa cera adhæſerit, in lixivia, cui ſal ſit admixtum, ebulliente, detergendum erit, adhibito penicillo ex ſetis ſuillis confecto: caveatur tamen, ne ſi quæ pars inaurata ſit, aurum vi ſalis deteratur, & ideo conſulantur periti.

6. Calices bini, & Patenæ binæ, ſaltem ubi duodecim Sacerdotes Miſſam celebrant, quintodecimo quoque die, levi manu, aqua tepida laventur, ſexto quoque Menſe, ſapone molliori; tuncque poſt quartam horæ partem qua maneant in Sole, calida lixivia benè abluantur, adhibendo penicillum aliquem ad ſaponem amovendum, præſertim ubi fuerit cælatura. Poterit etiam id fieri furfure cocto, & tunc ſtatim aqua munda bis aut ter abluendi eſſent. Præſtetur autem ab eo, qui in Sacris ſit, & in vaſe ei uſui, & lavandis Corporalibus, de quo ſupra, tantùm deſtinato, quod ex ablutione ſuperfuerit, in Sacrarium fundatur. Ubi verò minor ſit numerus Sacerdotum, rariùs id fieri poterit, ex proportione numeri Sacerdotum, & dierum.

7. Supellex inaurata, aut inargentata eadem cautione tractetur, qua argentea. Si ſemper eſt expoſita, octavo quoque die panno lineo tergatur molliter; ſi recondenda ſit, tergatur tunc: poterunt etiam inaurata ſapone aut furfure purgari, ut dictum eſt de Calicibus.

8. Candelabra & cætera ex aurichalco tractentur adhibito panno, vel ferrea ſummitate capiantur. Si perpetuo uſu adhibeantur, terno quoque die a pulvere, & cera, ſi fortè defluxerit, mundentur; ſi reponenda ſint, tunc etiam id fiat. Præterea quarto quoque Menſe, ſi numquam fuerint expoſita, abſtergantur diligenter pulvere pumiceo, aut eo, quem vocant *Tripoli* (quem æſtivæ Muſcæ fugiunt) adhibito corio bubalino: aut ſi utrumque

que deſit, latere in tenuiſſimum pulverem redacto, & loco corii, panno aſperiore, quem dicunt *Saja*; nullo autem modo hac ratione adhibenda erit aqua. Nitidiora fiunt, ſed non diù durat nitor, ſi fricentur malo medico, ſeu maſſilico, (vulgò Arancio, o Limone) & marmore trito, ſeu vice malorum, uvis agreſtibus, vel herba acida, deinde aqua benè abluantur, tum ſiccentur, & ſoli exponantur: aceto numquam abſtergantur. Recondita verò hujuſmodi tubulis craſſioris chartæ, aut ſaccis lineis amicta habeantur, qui pulverem arceant, ut nitida & lucida ſemper ſint.

9. Lampades vitreæ, quæ ſunt quotidiani uſus, quinto decimo quoque die furfure, & aqua calida abſtergantur.

10. Urceoli præter id quod quotidie fit, ſingulis Menſibus diligenter purgentur, adhibito ovorum cortice benè contrito cum ligneolo aliquo inſtrumento ad ſordes eluendas, aut verò alia ratione, ſi quæ aptior inveniatur. Opercula Urceolorum quotidiè quum reponuntur, benè ſiccentur, ſi madeant.

11. Pelviculæ eorumdem quotidie abſtergantur, ſiccenturque; ſi ſtanneæ fuerint, tertio quoque Menſe lixivia ferventi laventur, & avena, vel farre veſtito, ſeu ovorum cortice trito fricentur, poſtea aqua iterum lotæ in Sole ſiccentur, & panno lineo mundo abſtergantur.

12. Ænea vaſa pro ablutione Calicum &c. antequam adhibeantur, & poſt benè abluantur; bis verò ſingulis annis abſtergantur accuratè, ſi opus eſt, latere contrito, vel arena, & aqua; ſi ſtanno ſunt illita adhibeantur furfur & aqua.

13. Inſtrumentum ad Hoſtias conficiendas, quum eo uſus fuerit Sacriſta, ſeu alius, oleo perfundat, & utramque partem, charta interpoſita, ſimul jungat, quæ in exteriori parte fuligo hæſerit, abradat, poſtea eamdem partem craſſiore panno tergat, & in loco decenti reponat.

14. Li-

14. Linea omnia, Albæ, Amictus, Superpellicea, Mappæ, Panni, & ſi quid aliud eſt Divini cultus gratia paratum, ſeparatim ab indumentis domeſticis cujuſcumque laventur; quæ tamen habentur ad manus, faciemque lavandam, & ad nares purgandas hoc numero ne cenſeantur.

15. Ternæ Altarium Mappæ, ſuperior quidem ſingulis ſaltem Menſibus, inferiores verò quater in anno mundæ apponantur.

16. Bina Corporalia, tertia quaque hebdomada; binæ Albæ decimo quinto quoque die: Cinguli alternis Menſibus: Manutergia Altarium, bini Amictus octo dierum ſpatio mutentur, & hæc ſaltem, ubi duodecim Sacerdotes Miſſam celebrant. Ubi autem pauciores ſint Sacerdotes, ex defectione numeri Sacerdotum poterit augeri pro rata parte numerus dierum; & è contra, ubi plurimi Sacerdotes, minuendus quoque erit numerus dierum.

17. Purificatoria ſingulorum Sacerdotum (convenit enim cuique ſuum) ſpatio octo dierum, vel ad ſummum quindecim mutentur. Superpellicea, quæ uſui vario Sacerdotalium, aut Clericalium miniſteriorum deſtinata ſunt, ad eamdem ferè rationem. In Suppedaneo armarii, ſeu menſæ, ubi Sacerdos conſiſtit, Sacra indumenta ſumens, perpetuo ſtratus ſit craſſior pannus, ne qua parte Alba fœdetur.

18. Lintea Sacriſtiæ ad manus extergendas ſingula Hebdomada ſemel vel bis munda ponantur, tum valdè humido cœlo quotidie ſiccentur admota igni.

19. Mappæ ad SS. Communionis uſum contractiores quidem alternis Hebdomadis, majores verò alternis Menſibus mutentur. Quòd autem hæc mutationum intervalla præfiniantur, non ideò tamen extraordinariè quoque fieri non poterunt, ſi oporteat, puta ſi ex labe, quæ fortè aſperſa ſit, aut alia de cauſa. Præcipuis

cipuis autem Solemnitatibus munda omnia adhibeantur pulchriora.

20. Mappæ Altarium, finitis Miſſis, contegantur ſtragulis ſuis, priùs verò leviter ſcopula ejus generis, quod veſtimentis domeſticis adhibetur, propriè tamen ad eum uſum deſtinata purgentur. Ipſa ſtragula ſingula Hebdomada, diligenti agitatione a pulvere mundentur, præter id quod etiam quotidiè mane eadem leviùs excuti debent, tum aeri tertio quoque Menſe exponantur.

21. Corporalia & Purificatoria, quum removentur, ut alia adhibeantur, ponantur in arcula, ſeu caniſtro ad eum tantùm uſum deſtinato, & antequam tradantur ad lavandum, ab eo, qui ſit in Sacris, laventur in proprio vaſe, de quo ſupra, lixivia, & ſapone adhibito, & mox bis aqua ſola abluantur. Quod ex lavatione ſupereſt in Sacrarium fundatur.

22. Albæ & Superpellicea lavata, criſpanda dentur, quoties reponuntur, aptè ſaltem contorqueantur, ſi non criſpentur.

23. Corporalia item dentur perſonis peritis, ut amylo inducto ea dureſcere faciant, & complicent præſcripta ratione; tempus huic operi aptum erit a Menſe Majo ad Octobrem. Recondantur autem hæc linea omnia benè ſicca, & complicata ſeparatim locis ſuis, ut ſint in promptu; apponanturque roſæ ſiccæ, & lavandula, aut ſimilia, tum ad majorem munditiam, & elegantiam, tùm ut a tineis libera ſint.

24. Nullus Sacerdos ad Miſſam celebrandam accedat fœdis calceis, aut crepidis, ideò ſemper habendæ eſſent crepidæ in Sacriſtia ad hunc uſum. Habeatur item in Sacriſtia ſcopula, qua Sacerdotes utantur ad veſtimenta communia mundanda, antequam Sacra induant. Omnia inſuper indumenta diſtinctis propriis ſcriniis habeantur, & ſecundùm coloris pretiique varietatem; li-

nea quoque pro genere, & pretio ſint diſtincta, appoſitis ſchedulis.

25. Caſulæ recondantur ductilibus capſis, quæ in armaria inſeruntur, atque poſita craſſiori charta, quæ fundum capſæ contegat, appoſitiſque ſiccis roſarum foliis, & lavandula, aut ſimilibus, ponatur Caſula cum Stola, & Manipulo ſuo; mox aliæ ejuſdem generis pro magnitudine capſæ; addantur Burſæ Corporalium, & integumenta, ſi adſint, Miſſalium: recondantur verò Caſulæ bene extentæ ſine ruga aut plicatura. Eodem modo Dalmaticæ, & Tunicellæ, ſuper omnia autem alia ſit charta, ut res mundiores ſerventur. Quæ ſunt ex aureo vel argenteo panno, aut ornamenta habent auro vel argento aſperiora, habeant pannum inter utramque ſuperficem, ne confricata corrodantur.

26. Pluvialia, maximè ſi aurea, vel argentea ſint, vel recondantur in amplo armario extenſa, vel plicata recondantur; ità tamen, ut nullo modo inflectatur pars penſilis, quæ a tergo eſt (vulgò Caputium) & interponatur pannus, ut dictum eſt. Quandocumque extrahuntur hæc indumenta, ſubſternatur eis mappa munda, imò & ſtragulum ſuperſternatur, ſi aliquo ſpatio relinquenda ſint. Quæ raró adhibentur quandoque in ſereno Cœlo explicata exponantur, ne fortè muceſcant, vel malè oleant, ſed non in Sole: poterit autem id fieri Menſe Majo, & Septembri, & ſemel in Hyeme pro opportunitate temporis.

27. Pallia Altarium ſemper habeantur, ſi fieri poſſit, ſuis telaribus extentè affixa, ut ſuprà diximus; poteruntque uni aſſerculorum ſtructuræ duo affigi diverſi coloris, ut pro diei conditione neceſſe non ſit, niſi vertere telaris faciem; ita in amplo armario erecta habeantur, dempta linea filamentorum, quam vocant frangiam, quæ aſſuta non ſit. Interponatur autem pannus, ſive inter duas facies Palliorum in armario, ſive inter Pallii & Altaris

taris faciem, ad vitandam confricationem. Commodum verò erit pannum adeò eſſe latum, ut utramque telaris faciem, & ſic Pallia ab utraque parte affixa contegat; & ita in media ſui parte affixus telari, nunc quidem hinc extendatur, & ab omni latere ligaculis connectatur, nunc verò ad unam partem tantùm, prout duas facies telaris aut unam contegere oportuerit. Quod ſi plicanda fuerint, ita fiat, ut ſi quæ Crucis ſpecies, aut Imago affixa, eſt non inflectatur, cautioque adhibeatur, ſi oportet, interpoſiti panni.

28. Tapetia, craſſioreſque panni ad ſoli inſternendi uſum, quum recondenda ſunt, priùs purgentur cera, & ſi quid aliud ſordidum inhæſerit, aeri poſt exponantur, & diligenter exagitentur, ad excutiendum pulverem, ſcopula bene mundentur, & ità complicata ſuis locis recondantur.

29. Sacriſtiæ feneſtræ ſæpè pateant ſereno, ſiccoque Cœlo, tùm capſulæ ductiles paululùm educantur, ut etiam quæ intùs ſunt, ſentiant aeris beneficium. Hactenus ad literam Gavantus.

Finis Secundæ Partis.

Digitized by Google

CÆREMONIALIS

PARS TERTIA

De Ritibus ſervandis in quibuſdam præcipuis Diebus, & Feſtis infrà Annum occurrentibus.

CAPUT I.

De Tempore Adventus.

1 DUPLICEM Chriſti Adventum cum hiſce diebus celebret Sancta Mater Eccleſia, lætitiæ unum jam expletum, alterum Majeſtate, ac terrore plenum futurum; mœroris ideo ſigna, atque voluptatis præſefert. Hinc in Officiis, & Miſſis de Tempore color violaceus adhibetur, etiam in illis Dominicis, quæ infrà Octavam alicujus Sancti occurrunt. Eccleſia, & Altaria ſimpliciori ornantur apparatu, abſque floribus, Imaginibus, Reliquiis, ac ſimilibus ornamentis ſolemnibus. Nec Organo, aut alio inſtrumento Muſicali uti convenit, quemadmodùm nec Muſica figurata, ſed cantu firmo, diebus præſertim ferialibus. *Gloria in Excelſis*, & *Ite Miſſa eſt* omittuntur. In Feriis reſumitur Miſſa Dominicæ præcedentis, niſi propria aſſigentur & in illis non dicitur *Alleluja* poſt Epiſtolam, nec Verſus ſequens, ſed tantùm Graduale. Chorus genuflectit ad Orationes, & a *Sanctus* uſque ad *Pax Domini*... ardentque Funalia pro elevatione allata, donec peracta fuerit utriuſque ſpeciei Communio.

2. Diaconus & Subdiaconus, loco Dalmaticæ & Tunicellæ, Planetis ſeu Caſulis ante pectus plicatis in inſignio-

ſignioribus dumtaxat Eccleſiis utuntur. Planetæ autem illæ ejuſdem formæ, & coloris eſſe debent, ac illa Celebrantis, ſic tamen plicatæ, ut pars anterior replicetur interius uſque ad medium; vel revolutæ etiam ante pectus, aciculiſque, aut vittis, ſive vinculis aut globulis firmatæ, ne pars eorum anterior decidat. Dictam Planetam Subdiaconus, paulò ante quàm Epiſtolam cantaturus accipiat Librum, deponit in loco congruo, adjuvante Acolytho, vel Cæremoniario, in parte Epiſtolæ; cantata autem Epiſtola, ſola indutus Alba cum Manipulo, oſculataque manu Celebrantis, & ab eodem benedictione accepta, ac reddito Libro Miniſtro, reaſſumit ſuam Caſulam, priùs quam Miſſale ad Cornu Evangelii deferat. Diaconus ſimiliter, antequam librum Evangeliorum accipiat, Planetam ſuam in eodem loco, quo Subdiaconus, dimittit, & aſſumit aliud genus Stolæ latioris, itidem violaceæ, quam ſuper Stolam communem, adjutus ab aliquo Miniſtro decenter aptat; ſicque Celebranti inſervit uſque ad Communionem. Quâ expletâ, poſtquàm detulit Miſſale ad Cornu Epiſtolæ, ad Credentiam pergit, ubi depoſita latiori Stola, reaſſumit Planetam plicatam, quam nonniſi in Sacriſtia dimittit, Celebrante exuto. In minoribus autem Eccleſiis, prædictis diebus Alba tantùm amicti miniſtrant; Subdiaconus quidem cum Manipulo, & Diaconus etiam cum Stola.

3. Dominica prima Adventus tali gaudet Privilegio, ut quodcumque Feſtum etiam Dedicationis Eccleſiæ, Tituli, vel Patroni in illa incidens transferri debeat in aliam diem non impeditam; neç de Feſto transferendo, aut de *Requiem*, etiam præſente Cadavere, Miſſa poteſt cantari. De Dominicis autem ſecunda, tertia, & quarta, ſi in iis occurrat Feſtum primæ Claſſis, ſit Commemoratio, & legitur Evangelium Dominicæ in fine. In Dominica tertia, dicta *Gaudete*, & infrà illius Hebdoma-

madam videlicet Feria ſecunda tertia, & quinta, quando repetitur Miſſa præfatæ Dominicæ, Diaconus & Subdiaconus utuntur Dalmatica & Tunicella: Paramenta Altaris, Miniſtrorum, & Celebrantis aliquantò ſunt ſumtuoſiora, ſed coloris violacei: inter Candelabra apponuntur vaſcula cum floribus, necnon Imagines Sanctorum, vel Reliquiæ: Organa pulſantur, ſed in Miſſa tantùm; & idem ſervatur in Dominica quarta, quando in ea incidit Vigilia Nativitatis Domini, ſicuti & in Vigiliis Sanctorum.

4. Quando Vigilia in Adventu incidit, nihil fit de Vigilia in Officio, ne Commemoratio quidem; Miſſa tamen etiam principalis dicitur de ipſa Vigilia cum ſecunda Oratione Feriæ, & tertia B. M. V., vel ſecunda pro Defunctis *Fidelium*, ſi in Feria ſecunda occurat, & tertia de Adventu. Quod ſi in Vigilia venerit Feſtum novem Lectionum, non autem de die infra Octavam, in Miſſa de Feſto ſecunda Oratio erit de Adventu, tertia de Vigilia cum ejuſdem Evangelio in fine. Si verò Feſtum illud ſit primæ claſſis, tunc quamvis fieri debeat commemoratio Feriæ Adventus, de Vigilia tamen nec fit Commemoratio, nec canitur Miſſa.

5. Feria ſecunda cujuſque Hebdomadæ Adventus, in qua Officium fit de Feria, excepta Vigilia Nativitatis Domini, dicitur Officium Defunctorum in Choro, & cantatur Miſſa Conventualis de *Requiem* poſt Defunctorum Laudes, cum tribus Orationibus. Si autem reſumenda ſit Miſſa Dominicæ præcedentis, quæ fuit impedita, ab officio ritus primæ Claſſis, & infra Hebdomadam non occurrat alius dies, in qùo reſumi poſſit, tunc eadem feria ſecunda, in Miſſa de Dominica fiat Commemoratio pro Defunctis penultimo loco.

6. In Sabbatis Adventus non impeditis Officio novem Lectionum, vel Vigilia, aut Feria Quatuor temporum

porum licet Officium non fiat de S. Maria in Sabbato, dicitur tamen Miſſa principalis de ea, quæ incipit *Rorate* ... in Paramentis albis cum *Gloria* ... ſine *Credo*. Oratio ſecunda erit de Adventu, & tertia de Spiritu Sancto, aut de Feſto ſimplici, ſi occurrat; Præfatio de S. Maria *Et te in veneratione* ..., & in fine *Ite Miſſa eſt*, cum Evangelio S. Johannis. Quamvis autem in prædictis Sabbatis, in quibus Officium & Miſſa diſcordant, color tamen Paramentorum Sacerdotalium conformis eſſe debeat Miſſæ Votivæ de S. Maria, atque adeò albus: color tamen Altaris ſequitur Officium, atque adeò eſt violaceus, excepta Miſsa ſolemni, in qua eſt albus; quod in ſimilibus ſemper obſervatur.

7. Tertia Hebdomada occurrunt Quatuor Tempora, in quibus ſi incidat Feſtum duplex, vel ſemiduplex, aut dies Octava alicujus Feſti, puta Immac. Conceptionis B.M.V., tunc Miſsa dicitur de Feſto, aut de die Octava cum Commemoratione Feriæ, uti & Vigiliæ, ac Feſti ſimplicis, ſi occurrant, & in fine legitur Evangelium de eadem Feria Quatuor Temporum, niſi idem legatur Evangelium Feſti occurrentis, prout contingit in Feſto Expectationis B.M.V. incidente in Feriam IV. Quatuor Temporum. In inſignioribus autem Eccleſiis duæ cantantur Miſſæ, una de Feſto, aut de die Octava poſt Tertiam abſque commemoratione Feriæ; altera verò de Feria Quatuor temporum poſt Nonam ſine commemoratione Feſti, & in fine utriuſque legitur Evangelium S. Johannis. In priore fit commemoratio Feſti ſimplicis, ſi quod occurrat, non autem Vigiliæ; in poſteriore autem fit commemoratio de Vigilia, non verò de Feſto ſimplici, ſi quod incidat. Si quæ autem tertio loco in utraque Miſsa Conventuali dicenda Oratio eſſet, tunc ſit ea, quæ item ſecundo & tertio loco ponitur, ſi nec Vigilia, nec Feſtum ſimplex ſimùl occurrat.

8. Si verò non ipſa dies Octava, ſed dies infra Octa-

Digitized by Google

Octavam incidat in Feriam Quatuor Temporum, vel in Vigiliam, & ſi Officium dicatur de die infra Octavam, Miſſa tamen, nedum Conventualis, verum & plana (non excluſis Miſsis Votivis, & Defunctorum) dicitur de Feria Quatuor Temporum, vel Vigiliæ, ſine *Gloria* & *Credo* cum commemoratione Octavæ, & tertia Oratione de Spiritu Sancto, ac Præfatione B.M.V., ſi Officium fuerit de eadem: Rurſus in dicta occurrentia non debent cantari duæ Miſſæ in præcipuis Eccleſiis, ſed unica tantùm, & quidem de dicta Feria cum commemoratione Octavæ; ſpeciale enim illud eſt privilegium per Octavam Corporis Chriſti, quòd una cantetur Miſſa de die infra Octavam poſt Tertiam, & alia, ideſt de Vigilia poſt Nonam; Miſſæ autem privatæ dicantur de Octava cum commemoratione Vigiliæ, & ejus Evangelio in fine.

9. Omittuntur ab Adventu ad Octavam uſque Epiphaniæ Sanctorum Suffragia, necnon Commemoratio de Cruce. Ceſſant item Officia Votiva per Annum conceſſa, & a die 17. Decembris incluſivè ceſſant, ac ſuſpenduntur omnes Octavæ particulares uſque ad diem Epiphaniæ. Quare ſi occurrat dies Octava alicujus Feſti in ipſo die 17. Decembris, ne quidem in pridianis Veſperis fieri debet Commemoratio de die illa Octava, cum ſequenti die Officium non habeat.

10. A Dominica prima dicitur Antiphona *Alma Redemptoris*... in fine Officii, cum ℣. *Angelus Domini*... & Oratione *Gratiam tuam*.. Ad Primam in Reſp. brevi dicitur *Qui venturus es in mundum*, etiam in Feſtis Sanctorum, niſi proprium habuerint Verſum. De Feria Adventus fit ſemper commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus, & Miſſa, quocumque recurrente Feſto.

11. Antiphonæ Feriales ad Laudes ante Nativitatem omitti poſſunt in Feſto ſolemniter celebrato, ut contingit in Feſto S. Thomæ; ſed Antiphonæ Majores ante

ante Nativitatem, etiam in Feſtis ſolemnioribus dicendæ ſunt ad *Magnificat*. S. R. C. 17. Nov. 1607.

12. A die 17. Decembris incluſivè uſque ad Vigiliam Nativitatis Domini excluſivè fieri poteſt quodcumque Officium Duplex, vel Semiduplex, occurrens, vel translatum, ſed in utriſque Veſperis pro commemoratione Feriæ dicuntur Antiphonæ Majores tunc occurrentes. S. R. C. 17. Maii 1692.

13. Concurrente Dominica ſecunda Adventus die 7. Decem. cum Feſto Conceptionis B. M. V., & die Octava Sancti proprii, debet fieri priùs Commemoratio de Octava Sancti proprii, deinde de Dominica. S. R. C. 10. Jan. 1693.

14. In Dominicis Adventus & Quadrageſimæ, in quibus fit de Duplici primæ Claſſis, non ſunt cantandæ duæ Miſſæ. S. R. C. 5. Jul. 1698.

15. Quadrageſimæ, Adventus, & Vigiliarum temporibus, nec non in diebus Rogationum, occurrente aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, non licet poſt Primam celebrare Miſſam prædictarum Feriarum, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. S. R. C. 22. Jan. 1701.

16. In Feſto Expectationis partus B. M. V. Hymni ſunt celebrandi cum Verſibus *Virtus*, *honor*, *laus*, *gloria*.., & Reſp. breve ad Primam debet eſſe *Qui venturus es in mundum*. S. R. C. 26. Novemb. 1735., & 29. Novemb. 1738.

CAPUT II.

De Vigilia Nativitatis Domini.

1. DE Ritu celebrandi Officium hujus Vigiliæ, ſive in Sabbato occurrat, ſive in Dominica quarta Adventus, aut alio quocumque die, fusè agitur in Breviario;

viario; unde hic ea prætermittuntur. Ad Primam verò quod attinet, cùm in ea Martyrologium ſolemniter decantari ſoleat, hujuſmodi Ritum tradere juvat.

2. Igitur dum Prima, orto jam Sole, in Choro dicitur, (conſentaneum autem eſſet ad Directorii Romani præſcriptum, ubi ſit conſuetudo recitandi in Aurora per annum, ut hodie cantaretur ante Tertiam) Vicarius, vel alius Pluviali violaceo ſuper Stolam, Cottam, & Amictum, vel etiam, ubi fuerit conſuetudo, ſuper Amictum, Albam, & Stolam in modum Crucis, induitur; & cùm dicitur Capitulum, præeuntibus Thuriferario cum Thuribulo & Navicula, Ceroferariis cum Candelabris & Cereis accenſis, nec non Cæremoniario, ſi adſit, è Sacrario tecto capite, manibuſque junctis procedit ad Legile panno violaceo contectum, in medio Chori, vel ante Altare præparatum, ubi, facta ab eo, & a Miniſtris debita reverentia, imponit, ac benedicit thus de more, eoque ter incenſat Martyrologium. Cæremoniarius, vel eo abſente, Thuriferarius Naviculam, & Thuribulum cum oſculo more ſolito miniſtrans, dicit *Benedicite*, *Pater reverende*, & fimbriam Pluvialis a dextris elevat, recedens inde poſt Sacerdotem: Ceroferarii autem ſtant hinc inde a lateribus Lectoris, facie ad invicem converſa.

3. Dicto in Choro *Deo gratias* poſt Orationem *Domine Deus omnipotens*..., & omnibus nudo capite adſtantibus, Sacerdos, quin ſeipſum, vel Librum ſignet, abſolutè cantat Martyrologium manibns junctis eo tono, & flexione vocis, quæ ibidem notatur, incipiens *Octavo Kalendas Januarii Luna N.* Ad verba autem *In Bethleem Judæ*... elevat vocem, ſtatimque omnes, præter ipſum Cantorem, & Ceroferarios, genua flectunt: poſtea altiori, ac ſolemniori tono, qui dicitur Paſſionis, ſubdit *Nativitas D. N. J. C. ſecundum carnem*. Quo pro-

prolato, ipſe etiam Lector procumbit, & fit pauſa per ſpatium unius *Pater noſter*.

4. His peractis, debitam Altari, & Choro reverentiam exhibent, eodemque, quo venerant, ordine, in Sacrarium ſe conferunt Paramenta dimiſſuri: in Choro autem adſtantes omnes, ad reliquam lectionem, quam Lector more ſolito cantat, aut legit, tecto capite conſident. In illis Eccleſis, in quibus Lectio Martyrologii tanta non canitur ſolemnitate, obſerventur ad minus ea, quæ in eodem Directorio Romano præſcribuntur, videlicet: ſtent omnes nudo capite, & ad verba *In Bethleem Judæ*... uſque ad *ſecundum carnem* incluſivè, genua flectant.

5. Miſſa hujus Vigiliæ ſolemniter cantatur poſt Nonam in Paramentis violaceis, cum Dalmatica & Tunicella. Flores, & Organa poſſunt adhiberi: ad Orationes Chorus non genuflectit, nec intortitia ultra elevationem ardent. *Gloria in Excelſis*, & *Credo*, nec non *Alleluja*, cum ſequenti Verſu poſt Graduale omittuntur. Unica item Oratio, Præfatio communis, & in fine *Benedicamus* cum Evangelio S. Joannis dicuntur. Occurrente verò dicta Vigilia in Dominica quarta Adventus, Miſſa quidem dicitur de Vigilia, ſed poſt Tertiam, & aſperſionem luſtralis Aquæ, cum Commemoratione ejuſdem Dominicæ abſque tertia oratione. Poſt Graduale dicitur *Alleluja*, *Alleluja* cum Verſu ſequenti: *Credo* item, ſed ſine *Gloria*, Præfatio communis, & in fine *Benedicamus* cum Evangelio S. Joannis, non verò Dominicæ. Miniſtri utuntur Dalmatica & Tunicella violaceis, cùm Miſſa non de Dominica, ſed de Vigilia Nativitatis ſit, in qua Planetæ plicatæ non adhibentur.

6. Duplex quodcumque etiam Patroni, & Titularis Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem in hac Vigilia occurrens, transfertur. Prohibentur quoque hodie,

& deinceps, ad Octavam uſque Epiphaniæ Miſſæ votivæ, & de *Requiem*. Cantata Miſſa, terminatur tempus Adventus, & in Officio ceſſat ℣. *Angelus Domini* cum Oratione *Gratiam tuam*, cui ad Veſperas ſubſtituitur ℣. *Poſt Partum* cum Oratione *Deus qui ſalutis* uſque ad ſecundas Veſperas Purificationis B. M. V. incluſivè, ideſt diei ſecundæ Februarii, & non ultra, etiamſi celebraretur cum Octava.

CAPUT III.

De Natali Domini.

1. VEſpertinas, Matutinaſque Preces ſolemni ritu aliàs enunciando celebrat Superior. Hoc tamen ſingulare obſervandum erit. Primò Clebrans Hymnum *Jeſu Redemtor omnium* intonaturus elevat, & jungit manus, caput versùs Altare inclinans, ob reverentiam Incarnationis Dominicæ atque ad totam Stropham, *& nos Beata quos Sacri* . . cum omnibus genua flectit. Matutini tempus ita dimetetur, ut nonniſi dato jam mediæ noctis ſigno terminetur; ut Sacrum celebrari poſſit. Ultra conſueta Altaris, & Abaci luminaria, Presbyterium, & Chorus, Eccleſia, ejuſque præcipuè latibula ſufficienter illuminentur; Nec Sacriſtam, alioſque Eccleſiarum Cuſtodes pigeat Vigilias identidem obire, ne quid inhoneſti in Aula Sancta Dei perpetretur.

2. Hymno *Te Deum* expleto, Celebrans medius inter Aſſiſtentes, & Ceroferarios cantat *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Concede*. Deinde dicto a Cantoribus ℣. *Benedicamus* ſub tono B. M. V. & reſponſo *Deo gratias*, mox factis debitis reverentiis, quin ℣. *Fidelium Animæ* ſubdat, in Sacriſtiam, ut priùs, redit, ubi Paramenta Miſſalia ſumit, Chorus interim ſedet, & Organa feſtivè tin-

tinniunt. Qui extra Chorum Matutinum poſt *Te Deum* abſolvit, dicat Orationem de die cum ℣℣. *Benedicamus Domino*, & *Fidelium Animæ*, ac in fine *Pater noſter*... quod in ſimilibus ſemper ſervatur.

3. Cantato ſolemniter Matutino, datoque mediæ noctis ſigno, prima ex tribus Miſſis celebratur, cum feſtivo ſonitu Campanarum cùm majorum, tùm minorum ad intonationem Hymni Angelorum. In hac, & aliis duabus Miſſis, prout etiam in die Annunciationis etiamſi transferatur, genua flectunt univerſi, caputque inclinant, dum a Choro cantatur *Et incarnatus eſt*... etiamſi Celebrans in ſuo ſedeat ſcamno.

4. In prima & ſecunda Miſſa Sacerdos, hauſto diligentius Sanguine, Patena Calicem, & Palla Patenam tegit, ac dicit *Quod ore ſumſimus*. Deinde miniſtrante Subdiacono, abluit aqua, vel vino, aut ſimul digitos, quibus Sacramentum tetigit, non in Calice, ſed in alio vaſe mundo vitreo vel argenteo, dicens interim *Corpus tuum Domine*. Tum abſterſis Purificatorio digitis, prædictum vas Palla coopertum prope Corporale una cum Purificatorio collocatur.

5. Subdiaconus Calicem minimè extergit, ſed Diaconus illum ſine Purificatorio ſed cum velo, vel intra Tabernaculum recondit, aut alius in eodem Diaconatus Ordine initiatus in Sacriſtiam defert; ubi ſuppoſito Corporali, in loco decenti & clauſo aſſervatur uſque ad ſecundam Miſſam.

6. Miſſa de nocte expleta, Celebrans medius Sacros inter Miniſtros debitam Altari in medio reverentiam exhibet, & retrahit ſe ad Cornu Epiſtolæ, ubi depoſitis Planeta & Manipulo, Pluviale album ab iiſdem adjutus Miniſtris accipit, pergitque ad locum conſuetum, ubi ſex ei Aſſiſtentibus Cœnobitis Pluvialibus opportunè paratis, Laudes ſolemniter intonat, quin Oratio-

tionem Dominicam præmittat. Diaconus autem, & Subdiaconus in Sacriſtiam Paramenta dimiſſuri remeant, moxque in Chorum Divinas expleturi Laudes redeunt.

7. Poſt Primam ſummo mane decantatam, celebratur ſecunda Miſſa in Aurora, & in ea fit commemoratio S. Anaſtaſiæ. Calicem Diaconus nec extra Corporale reponit, nec Purificatorio extergit, ſed eum vel intrà Corporale relinquit, vel Pallam eidem ſupponit; ac deinde vinum cautè imponit, ne guttæ aliquæ ad labia ipſius Calicis reſiliant, quem poſteà nullatenus ab intus abſterſum offerendum tradit Sacerdoti.

8. Tertia Miſſa omnium ſolemniſſimè in ipſa die Nativitatis Domini poſt Tertiam in Choro decantatam omninò celebratur ab ipſo Superiore. In qua reſpectivè ſervantur, quæ de aliis dicta ſunt Miſſis, hoc habito diſcrimine, quòd peracta Communione, ſumit Sacerdos purificationem ordinariam, deinde, ſi velit ipſe, ablutionem digitorum in præcedentibus Miſſis factam immittit in Calicem; ac in eodem digitos de more abluit, & ablutionem haurit, æxterſo inde diligenter Calice, & etiam vaſe ablutionum a Subdiacono. Verum dictæ ablutiones in vaſe peractæ porrigi etiam valent alicui jam Communicato, loco purificationis, vel dari alteri jejuno, aut ſi aliter fieri non poſſit, in Sacrarium effundi. Dicto *Ite Miſſa eſt*, Subdiaconus defert Miſſale ad Cornu Evangelii, ubi Celebrans legit Evangelium Epiphaniæ *Cum natus eſſet Jeſus*.

9. Quoad Miſſas privatas, ipſe Celebrans ablutis poſt Communionem digitis in vaſe mundo, quin purificationem ſumat, vel Calicem extergat, ſuper eum Patenam abſque Purificatorio ponit, inde Hoſtiam, ac tandem Pallam, & Velum ut initio Miſſæ explicatum, relictis in eorum loco Burſa & Corporali. Expleto ultimo primæ aut ſecundæ Miſſæ Evangelio, ad medium Altaris

ris ſtatim ſe recipit, & facta Cruci reverentia, Miſſale aperturus pergit, rediens inde ad medium Altaris; ubi repetita Cruci inclinatione, in planum deſcendit, atque ſecundam, vel tertiam incipit Miſſam.

10. Tres Miſſas ſucceſſivè, vel interpolatè hodie celebrare cùm privilegii ſit, non præcepti, poteſt Sacerdos juſta de cauſa, atque ſecluſo ſcandalo, unicum facere Sacrum, & quidem tertium congruentiùs leget, cujus Oratio cum Officio concordat, non omiſſo in fine Evangelio Epiphaniæ.

11. In Nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam, nullo modo poſſunt aliæ duæ immediatè celebrari, nec Fideles communicari. S. R. C. 20. Aprilis, & 7. Dec. 1641. & 15. Sept. 1668.

12. In Nocte Nativitatis Domini non poſſunt dici tres Miſſæ privatæ immediatè poſt decantatam Miſſam Solemnem, ſed omninò prohibendum. S. R. C. 22. Novembris 1681.

13. Præceptum quod in Nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam non poſſint ſucceſſivè aliæ duæ Miſſæ celebrari, nec Communio exhiberi Euchariſtica Fidelibus depoſcentibus, ligat etiam omnes Regulares. S. R. C: 23. Mart. 1685.

14. In Natali Domini in tribus Miſſis poſt Sumtionem Sanguinis, eundo & redeundo in medium Altaris, non eſt facienda genuflexio: vertendo ſe Celebrans ad *Dominus vobiſcum*, & ad dandam Benedictionem debet renes vertere ad Altare, licet ſpecies vini non ſint exſiccatæ in Calice, & ſerventur Rubricæ Miſſalis Romani de Ritibus ſervandis in Celebratione Miſſarum XI. & XII. num. 2. S. R. C. 20. Jul. 1686.

15. In tranſeundo de una ad alteram partem Altaris in prima, ſecunda, & tertia Miſſa Nativitatis Domini, ſerventur Rubricæ Miſſalis, quæ nullam præſcribunt

bunt genuflexionem ante Calicem eſſe faciendam. S. R. C. 2. Aug. 1698.

16. In prima & ſecunda Miſſa quæ celebrantur in die Feſto Nativitatis D. N. J. C. non debet fieri purificatio Calicis. S. R. C. 16. Sept. 1702.

17. Durante tempore nocturno, non poſſunt excipi in Eccleſia Confeſſiones maximè Mulierum, ſed expectandum eſt, ut illuceſcat Aurora tam pro Confeſſionibus Mulierum excipiendis, quam pro Euchariſtia miniſtranda Fidelibus utriuſque ſexus. S.R.C. 23. Mart. 1685.

CAPUT IV.

De Feſtis intra Octavam Nativitatis Domini.

1. PRæter ea quæ in Rubricis leguntur, hæc inſuper notanda ſunt. Primò ſi Feſtum S. Stephani, vel S. Johannis, aut SS. Innocentium celebretur quia Patronus loci, ſive Titulus Eccleſiæ, in ſecundis Veſperis Nativitatis, etiam in Eccleſia S. Stephano dicata, idem ſervatur Ritus qui in Eccleſia univerſali. Inter eadem verò Feſta ſervantur Rubricæ generales, nimirùm Veſperæ geminæ de digniori, ideſt Patrono, ſeu Titulari celebrantur cum Commemoratione minùs digni, & Octavæ Nativitatis, cujus etiam Antiphonæ ad Veſperas ſemper recitantur: ad Laudes verò, & Miſſam non fit Commemoratio, niſi de Octava Nativitatis.

2. Quod ſi illius Eccleſiæ (non autem præcisè alicujus Altaris etiam Majoris) Patroni fuerint, vel Titulares SS. Innocentes, tunc admittuntur ſigna ſolemnitatis & lætitiæ, perinde ac fit in Eccleſia univerſali, quando hoc Feſtum venit in Dominica, vel celebratur dies ejuſdem Octava. Unde color rubeus adhibetur, in Officio

Officio dicitur *Te Deum*, & in Miſſa *Gloria in Excelſis*, Graduale cum *Alleluja*, & Verſu ſequente, *Credo*, *Ite Miſſa eſt*. Quæ pariter concedenda videntur Eccleſiæ illi, in qua eorumdem inſignis Reliquia aſſervatur.

3. Quæ de prædictis dicta ſunt Feſtis, intelliguntur pariter de Sanctis Thoma Cantuarienſi, & Silveſtro, caſu quo Patroni titulo donentur. Verùm præterquàm quòd Octavam non admittunt, in ſecundis Veſperis S. Silveſtri non ampliùs habent locum Antiphonæ *Tecum principium*... ut potè jam terminatæ in primis Veſperis ejuſdem. Unde in iis erunt ſumendæ Antiphonæ de Communi Confeſſoris Pontificis, ac Veſperæ ſecundæ integrè dicendæ de S. Silveſtro cum Commemoratione ſolius Feſti Circumciſionis, non autem Octavarum, nec etiam Dominicæ in tali die, vel ſequenti occurrentis. In primis autem Veſperis dicuntur more ſolito Antiphonæ, & Pſalmi de Nativitate, & a Capitulo ſit de S. Silveſtro cum ſola Commemoratione de Octava Nativitatis, & priùs Dominicæ, ſi occurrat. Lectiones primi Nocturni erunt de Communi Confeſſoris Pontificis *Fidelis Sermo*.

4. Occurrente in quatuor poſt Nativitatem Feſtis Dedicatione, Patrono, vel Titulo alicujus Eccleſiæ, de eodem agitur ſine Octava, cum Antiphonis, Pſalmis, & Commemorationibus juxtà Rubricas Generales. Feſtum verò S.Stephani, S. Johannis, & Innocentium transfertur regulariter, ni priùs detur locus, in diem Octavam eorumdem, nullam de his commemorationem peragendo infra Octavam Nativitatis. Quo caſu celebratur Officium SS. Innocentium in Paramentis rubeis, cum *Te Deum... Gloria in Excelſis... Alleluja* poſt Graduale, & *Ita Miſſa eſt*. Sancti autem Thomas, & Silveſter, cùm ad annum ſequentem non ſint transferendi, ſi de illis celebrari

eo anno nequeat, de iiſdem fit Commemoratio diebus propriis in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa, cum nona Lectione compoſita ex omnibus Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ad modum unius. Notandum eſt Feſtum S. Thomæ in Dominica infrà Octavam occurrens transferendum eſſe in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, ſi non ſit impedita Feſto novem Lectionum occurrente, tranſlato ad aliam diem quocumque Feſto, etiam primæ claſſis. De Dominica tandem, ſi tota Octava Nativitatis alicubi impedita ſit Feſtis duplicibus, fit Commemoratio in utriſque Veſperis, & Laudibus cum nona Lectione, eo die quo Eccleſia univerſalis de ea Officium, vel Commemorationem celebrat.

5. Miſſa S. Crucis non debet ullo modo celebrari die Veneris infrà Octavam Nativitatis D. N. J. C. non obſtante quacumque prætenſa conſuetudine illam celebrandi ſingulis diebus Veneris infrà Annum, & ſignanter infra Octavam ſupradictam. S. R. C. 12. Jan. 1669.

6. Ubi Feſtum S. Thomæ Cantuar. celebratur ſub Duplici, ſi occurrerit in Dominica, recitandum erit Officium de Sancto cum Commem. Dominicæ; & die 30. Decembris agendum erit de die infra Octavam Nativitatis. S. R. C. 1. Mart. 1681.

CAPUT V.

De Epiphania Domini, aliiſque Feſtis uſque ad Purificationem B. M. V.

1. Occurente in Vigilia Epiphaniæ Feſto ſemiduplici, transfertur poſt Octavam. Quòd ſi tale Feſtum fuerit duplex etiam majus aut ſecundæ, vel primæ claſſis, de Vigilia tunc fit tantum Commemorario in primis Veſperis &

ris & Laudibus, cum nona Lectione de Homilia, item in Miſſa cum ultimo ejuſdem Vigiliæ Evangelio.

2. Superiorem in die Solemni Epiphaniæ Sacris operari decet, ſumtis ſibi ſex Aſſiſtentibus Pluviali indutis, & comitatu duorum Cantorum cum Superpelliceis. Matutinum abſolutè incipit cum ſigno Crucis ab Antiphona *Afferte Domino*, ſecretò priùs abſolutis *Pater*, *Ave*, & *Credo*. Præfati Cantores in medio Chori conſiſtentes decantant Pſalmum tertii Nocturni *Venite exultemus*, Choro ſemper Antiphonam repetente. Ad ea verba ſeptimi, & octavi Reſponſorii *Et procidentes adoraverunt eum*, non genuflectitur, ſed caput dumtaxat diſcoopertum inclinatur. In Evangelio autem Miſſæ genuflectunt omnes, exceptis Ceroferariis.

3. De Dominica prima poſt Epiphaniam, quæ eſt infrà Octavam, occurente Epiphania in Dominica, agitur in Sabbato diem octavam præcedente. Nec anticipatur hujuſmodi Dominicæ Officium Feria ſexta, ſi Patronus loci, Titulus Eccleſiæ, vel ejuſdem Dedicatio in dictum inciderit Sabbatum; ſed in ipſo fit Commemoratio de Dominica infra Octavam in utriſque Veſperis, Laudibus & Miſſa cum nona Lectione Homiliæ, & in ſecundis Veſperis priùs fit Commemoratio de Die Octava, deinde de Dominica cum Antiphona *Fili quid feciſti*... & ℣. *Omnes de Saba*... Initium verò Epiſtolæ primæ ad Corinthios ponitur in ipſa Dominica quæ eſt dies octavæ Epiphaniæ, non in Officio Dominicæ, quod in Sabbato anticipatur.

4. In Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ deponit quidem Eccleſia veſtimenta jucunditatis, & Cantica lætitiæ: nondum tamen utitur Planetis plicatis, nec ab Aris flores amovet, nec Organorum prohibet ſonum. Qui Ritus a Feria quarta Cinerum dumtaxat, & deinceps per totam Quadrageſimam

Digitized by Google

initium ducit, exceptis Sanctorum Feſtis, ac Dominica quartà, quæ dicitur *Lætare*. Qui plura deſiderat, Rubricas conſulat.

5. Miſſæ omnes de Sanctis ſub Ritu duplici excluduntur ab Oct. Epiph. præter eas, quæ ſunt primæ Claſſis, nempè Titularis, & Patroni principalis, ac Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 20. Nov. 1660.

CAPUT VI.

De Feſto Purificationis, Sacraque Actione in eo peragenda.

1. OPportunè primùm in plano propè cornu Epiſtolæ diſponitur Menſa linteo mundo tecta, ac ſuper eam Candelæ ceræ albæ numero & pondere decenti; ita tamen, ut illa Celebrantis, & Superioris, Generalis miniſtri præſertim, ac Provincialis, nedum cæteris major ſit, verùm & affabrè ornata, depictaque, ſi fieri poſſit: reliquæ autem majores & minores collocentur pro qualitate perſonarum. Prædictæ Candelæ velo violaceo operiantur ad initium uſque Benedictionis. Ibidem, vel in Abaco conſueto, collocantur, ultra neceſſaria pro Miſſa Solemni, Vas Aquæ luſtralis cum Aſperſorio, Thuribulum cum Navicula Incenſi, aliud Vas cum mica panis, ac tamdem Bacile cum Pelvi, & Manutergio ad lavandas, extergendaſque manus Celebrantis poſt diſtributionem Candelarum.

2. Parantur item in angulo Altaris prunæ ardentes cum forcipibus, & in altero congruo loco Crux proceſſionalis cum Flamine violaceo eidem appenſo. Circa finem Tertiæ ſex accenduntur Cerei ſuper Altare, cujus frons Pallio, & Pradella cum gradibus tegmine obducitur violaceo, In eodem Altari a parte Epiſtolæ apponitur Miſ-

ſale apertum violaceo tectum cum Pulvino concolori. In Sacrario denique ſuis aptantur locis Cottæ, & Candelabra cum Cereis pro Acolythis: pro Celebrante verò, & Sacris Miniſtris Amictus, Albæ, Cingula, Stolæ ſine Manipulis, Pluviale, & in inſignioribus Eccleſiis Planetæ ante pectus complicatæ coloris violacei. Sed pro celebratione Miſſæ congrua Feſto præparantur Indumenta, Dalmatica ſemper, & Tunicella, etiamſi de Dominica Septuageſimæ Sacrum peragatur.

3. Dum in Choro canitur Tertia, eorum duo; qui Diaconi & Subdiaconi munere ſunt perfuncturi, ſumtis anteà prædictis Paramentis uſque ad Planetas excluſivè, Superiorem, vel alium ex Dignioribus Rem Divinam acturum debitis induunt veſtibus, ac deinde Planetas ſuas ſine Manipulis accipiunt. In minoribus autem Eccleſiis Sacri Miniſtri Officium ſuum in Albis dumtaxat obeunt, quo indumento uti etiam valet Celebrans, ſi Pluviale deſit, retenta tamen ab ipſo & Diacono Stola.

4. Completa Tertia, ad Altare, prævia Cruci Sacriſtiæ, ac ſibi invicem reverentia, nudo capite, hoc ordine procedunt. Præcedet Thuriferarius ſine Thuribulo, ſed manibus junctis; ſuccedunt Ceroferarii duo Candelabra cum Cereis ardentibus præ manibus gerentes; inde Cæremoniarius, omnes cum Cottis & detecto capite. Sequitur Celebrans manibus junctis medius inter Diaconum a dextris, & Subdiaconum a ſiniſtris, cooperto capite, Pluvialis illius fimbrias anteriores manu proximiori elevantes, altera infrà pectus admota. Si verò Celebrans Pluviale non deferat, Sacri Miniſtri tunc ſine Planetis, unus poſt alium incedunt, cooperto ſimiliter capite, manibuſque junctis, & tranſeundo, ſalutant primò hinc inde Chorum.

5. Ubi ad Altare pervenerint inferiores Miniſtri, poſt genuflexionem recta pergunt ad Abacum, ibique

que Candelabris dimiſſis, hinc inde conſiſtunt. Celebrans autem, & Sacri Miniſtri retroactis Caputiis, ſeu Amictis aptatiſque ſuper humeros a Cæremoniario, Altare cum genuflexione ſalutant, Celebrans verò profunda Capitis inclinatione. Tùm Altare conſcendunt (ni dies Dominica occurrat, in qua priùs de more peragenda eſt aſperſio Aquæ luſtralis) quod dum in medio ſolus oſculatur Celebrans, Miniſtri genuflectunt; ac deinde ad cornu Epiſtolæ ſe recipiunt, ubi Sacerdos medius inter ipſos, ſtantes quaſi illi pares in recta linea, atque parumper ad Candelas a Cæremoniario jam detectas converſus incipit in Tono feriali *Dominus vobiſcum*, quin ad Populum vertat ſe, vel manus extendat, & ſic proſequitur Orationes prout in Miſſali, caput inclinando versùs Crucem ad *Oremus*, & Nomen *Jeſu*. Dum autem dextera benedicit Candelas, ſiniſtram ſuper Altare ponit, & interim Diaconus oram Pluvialis a parte ſua elevat. In Choro, dum fit Cereorum Benedictio, ſtant omnes versùs Altare, nudo capite, inclinantes ſe, & reſpondentes Celebranti, cùm opus eſt.

6. Finitis Orationibus, Celebrans in eodem cornu Epiſtolæ Thus imponit in Thuribulum, ac de more benedicit, miniſtrante Diacono Naviculam cum ſolitis oſculis, & Thuriferario Thuribulum, Subdiacono verò fimbriam Pluvialis ejus dexteram elevante. Mox ſumit ab eodem Diacono Aſperſorium cum debitis oſculis, & Candelas ter aſpergit, in medio ſcilicet, a dextris, & a ſiniſtris earum, dicens interim Antiphonam *Aſperges me...* ſine cantu, & ſine Pſalmo, & inde pari modo thurificat.

7. Quo facto, Acolythi Vas Aquæ benedictæ cum Thuribulo in locis ſuis reponunt, & Celebrans cum ſuis Miniſtris ad medium Altaris ſe recipit; ubi exhibita Cruci inclinatione, renes eidem vertit, ſtatque medius inter

ter

ter Diaconum, qui a ſiniſtris, Candelas ab Acolytho acceptas, ſingulas cum oſculo tradit Celebranti diſtribuendas, & Subdiaconum, qui a dextris ejus Pluviale ſuſtinet.

8. Interim Cæremoniarius debitis cum inclinationibus Digniorem de Choro invitat, qui ipſo Cæremoniario a ſiniſtris comite, ad Altare, facta priùs inclinatione Choro, accedit. Tum poſt debitam Altari, & Celebranti reverentiam, gradum ſuppedaneo viciniorem aſcendit; ibique ſumto ſine oſculis de manu Diaconi Cereo pulchriori, extincto, eumdem cum oſculo ipſius tantùm, & non manus tradit Celebranti ſtanti ut prius in eodem loco, qui pariter ipſo Cereo deoſculato alicui Acolytho tenendum committit.

9. Celebrans inde acceptam a Diacono Candelam eidem Digniori genuflexo porrigit, quam ipſe una cum manu celebrantis reverenter oſculatur; ac poſteà ad Sedem ſuam comitatus redit, peractis anteà Altari, Celebranti, & Choro reverentiis. Quod ſi dignior ille Prælatus fuerit, & in loco ſuæ juriſdictionis, ſola inclinatione Altare ſalutat ac ſtans Cereum accipit cum oſculo ipſius tantùm, & non manus.

10. Tunc Cantores incipiunt Antiphonam *Lumen ad revelationem*, quam Chorus proſequitur, atque poſt ſingulos verſus Cantici *Nunc dimittis...* integrè repetit; quos Verſus Cantores ipſi decantant ſoli, & poſſunt repeti cum prædicta Antiphona ad finem uſque diſtributionis. ℣. tamen *Gloria Patri* ſemel tantùm dicitur in fine Cantici, & completa diſtributione Candelarum.

11. Tradita Dignori de Choro Candela, mox ſuas Sacri Miniſtri etiam cum oſculo manus accipiunt genuflexi; ita tamen, ut Subdiaconus tunc ſit a ſiniſtris Diaconi. Surgunt inde, & cum debitis reverentiis ad priſtina revertuntur loca, ubi Candelis in manu alicujus Acolythi depoſitis, Celebranti miniſtrant. Accedunt deni-

que

que alii, bini & bini, ſeniores primùm, deinde juniores, & facta genuflexione Altari, Celebranti verò inclinatione, genuflexi in Suppedaneo Candelas accipiunt cum oſculo earum, & manus; ac deinde Stallum Chorale cum debitis reverentiis petunt.

12. Facta diſtributione Religioſis, Celebrans cum ſuis Miniſtris, ſi pro Eccleſiæ more Laicis etiam diſtribuendæ ſint Candelæ, deſcendit ad Cancellos Presbyterii; ibique munus ſuum pari diſciplina exequitur, quin tamen Fœminis oſculum manus permittat. Si autem tanta ſit confluentis Populi multitudo, ut diſtributio tota fieri nequeat a Celebrante, deputetur aliquis Sacerdos, qui Superpelliceo, & Stola violacea indutus Candelas minores Populo utriuſque ſexus alibi diſtribuat, Acolytho cum oſculo ad ſingulas Candelas Sacerdoti offerente, ut dictum eſt de Diacono miniſtrante Celebranti.

13. Completa diſtributione, Cantores intonant Antiphonam *Exurge Domine*, quam Chorus lentè proſequitur, & repetit, & interim Celebrans ſtans ſuper Suppedaneum in cornu Epiſtolæ lavat manus, ac etiam cum medulla panis tergit, Acolytho fundente aquam, & Sacris Miniſtris hinc inde miniſtrantibus manutergium. Si Celebrans Candelas ad Cancellos diſtribuerit, recto tramite ad Credentiam pergit, ubi manus, ut ſupra, lavat: quibus lotis, aſcendit ad Çornu Epiſtolæ, cum debitis reverentiis; ibique dicto *Exurge Domine* ſubmiſſa voce, ac repetito eodem a Cantoribus, immediatè ſubdit cum capitis inclinatione, & manibus junctis *Oremus*. *Exaudi quæſumus* . . . aſſiſtentibus ei hinc inde Sacris Miniſtris, ut in principio. Si autem fuerit poſt Septuageſimam, & extra Dominicam, Diaconus a tergo Celebrantis ſtans ante Orationem genuflexus cantat *Flectamus genua*, & omnes genuflectunt, excepto Celebrante; Subdiaconus verò erectus dicit *Levate*, & omnes ſurgunt,

tum

tum Celebrans cantat Orationem, ſtantibus Miniſtris, ut ſupra.

14. Poſt Orationem, Celebrans redit ad medium Altaris, ubi, ut ſupra, imponit, & benedicit incenſum, & interim omnes accenduntur Candelæ, niſi a principio fuiſſent accenſæ, atque per Cæremoniarium ſic ordinatur Proceſſio. Idem Subdiaconus, & non alter, eadem Planeta plicata ut priùs ſine Manipulo, genuflexione Altari facta, atque Proceſſionali Cruce ſumta, medius inter Ceroferarios Candelabra cum Candelis accenſis deferentes, accedit ad Cancellos, ſeu aditum Presbyterii, præeunte Thuriferario cum Thuribulo fumigante, ibique ſiſtit ſe contra Altare, Thuriferarius verò poſt eum, donec Religioſi è Choro exeuntes hinc inde fuerint ordinati.

15. Quo facto, Diaconus Cereum Celebrantis de manu Acolythi accipit, quem eidem cum ſolitis oſculis præbet. Tum ſua recepta Candela, genuflectit, ſurgit, ſtanſque verſus Populum a tergo Celebrantis, alta & ſonora voce cantat *Procedamus in pace*, cui Chorus circumſtans reſpondet *In Nomine Chriſti*, *Amen*. Et continuò Celebrans, exhibita Cruci inclinatione capitis, in planum per latus Evangelii cum Diacono deſcendit, ubi repetita Altari debita reverentia, caput operit, & ad Proceſſionem ſic incedentem ſe convertit.

16. Omnium primus graviter, & devotè graditur Thuriferarius Thuribulum fumigans dextera gerens, ſiniſtra verò Naviculam. Sequitur poſtea Subdiaconus medius inter Ceroferarios, cum Cruce, & Crucifixi effigies Populum reſpiciat. Subinde Religioſi bini & bini in gradu ſuo cum Candelis accenſis in manu extima. Ultimus omnium incedit Celebrans cum Diacono a ſiniſtris, qui tamen Pluvialis ejus fimbriam non elevat, & procedunt capite tecto deferentes ambo Candelam ſuam.

17. Supplicatio intra vel extra Eccleſiam dirigi-

 tur,

tur, pro locorum conſuetudine, a cujus initio ad finem cantantur Antiphonæ in Miſſali præſcriptæ, quæ, ſi Proceſſio longior ſit, repetuntur. Dum autem Cantores in reditu Proceſſionis Eccleſiam ingrediuntur (vel in Presbyterio, ſi extra deduci non potuit) ſtatim intonant Reſponſorium *Obtulerunt*... quod Chorus proſequitur. Deinde iidem Cantores ſoli concinunt Verſus ſequentes, & Chorus repetitionem Reſponſorii. Et interea, dum fit Proceſſio, removetur Pallium violaceum Altaris, & apponitur feſtivum, niſi Miſſa de Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ ſit celebranda.

18. Supplicatione expleta, Chorum univerſi Altare ſalutando adeunt, & Candelas extinguunt. Parati verò vel in Sacrarium, vel ad Abacum ſe conferunt, ubi, dimiſſis Cruce, Cereis, & Paramentis violaceis, alba pro celebratione Miſſæ induunt, quam ille idem, & non alius, qui benedixit Candelas, decantat more ſolito; hoc habito diſcrimine, quòd Celebrans, dum cantatur Evangelium, & cæteri omnes, exceptis Miniſtris Altaris, etiam ad elevationem SS. Sacramenti uſque ad completam Communionem cum Sacerdotis, tum aliorum, accenſas tenent ſuas Candelas in manibus. Verùm, facta elevatione, aſſurgunt, & Acolythi Intortitia ſua de more extingunt, niſi qui ſint communicandi.

19. Si Purificatio venerit in Dominica Septuageſimæ, Sexageſimæ, vel Quinquageſimæ: aut in ea occurrerit Feſtum aliquod primæ claſſis; fit tantùm Benedictio, Diſtributio, & Proceſſio Candelarum, ut ſupra. Miſſa verò dicitur vel de Dominica in Paramentis violaceis cum Dalmatica & Tunicella, vel de Feſto prædicto cum Indumentis convenientibus, & in utroque caſu Candelæ accenduntur tam ad Evangelium, quam ad elevationem uſque ad Communionem. Officium autem cum Miſſa Purificationis B. M. V., niſi ſit Patrona, ſub hoc Titu-

Titulo tantùm, celebratur feria ſecunda immediatè ſequenti, tamquam die proprio, translato quocumque Feſto, etiam æqualis, non tamen altioris Ritus in eam incidente.

CAPUT VII.

De eodem Feſto Purificationis in Eccleſiis Minoribus.

1. CUM in Eccleſiis Minoribus præ inopia Sacerdotum plenæ executioni mandari non valeant ea, quæ ſuperiori capite præſcripta ſunt. Id ſaltem, quod ſequitur, ab hujuſmodi Religioſis diligentius ſervetur.

2. Super aliquam Menſam linteo mundo coopertam prope cornu Epiſtolæ parantur Cerei benedicendi, Thuribulum cum Navicula, Vas Aquæ luſtralis, aliud Vas cum aqua & pelvicula, & Manutergium pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis. Apponitur item, dicta Tertia, Pallium violaceum Altari, ac deſuper Miſſale apertum, cum ſex Candelis accenſis.

3. Celebrans Alba, & Stola tantùm, vel etiam Pluviali violaceo indutus, tecto capite, junctiſque manibus ad Altare procedit, præeunte Thuriferario; ubi aperto capite, debitaque exhibita reverentia, Altare conſcendit, eoque oſculato in medio, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, benedicit Candelas paulò ante detectas tono Feriali, vel plano, juxta Cœnobitarum numerum. Acolythus ſtans in cornu Epiſtolæ elevat anteriorem partem Pluvialis Celebrantis, dum ſuper Cereos ſignum Crucis efformat.

4. Completa Benedictione, Celebrans in eodem cornu imponit, & benedicit Thus, inde aſpergit, & thurificat Candelas, ut ſupra. Tum in medio Altaris ſtans nudo capite versùs Populum eas diſtribuit primò ei, a quo ſuam accepit, deinde Clero ad Altare, & Laicis

 ad

Digitized by Google

ad Cancellos, miniſtrante Acolytho a ſiniſtris Candelas cum oſculis earum tantum. Dum fit diſtributio, cantatur Antiphona *Lumen ad revelationem*, & Canticum *Nunc dimittis*, ut ſupra, ſi adſint Cantores, aliàs Celebrans eadem legit in cornu Epiſtolæ ante diſtributionem. Qua facta, lavat manus, & dicit poſtea Orationem, præmiſſo a ſe *Flectamus genua*, ad quod genuflectit, & *Levate* ab Acolytho, ſi poſt Septuageſimam, & extra Dominicam peragatur talis functio.

5. Poſt Orationem, imponit, & benedicit Incenſum in medio Altaris, & converſus ad Populum Cereum accenſum dextera tenens dicit: *Procedamus in pace*, & Chorus reſpondet *In Nomine Chriſti. Amen*. Tum fit Proceſſio, in qua, alio Acholytho deferente Crucem, decantantur Antiphonæ in Rituali notatæ, & in ingreſſu Eccleſiæ ℟. *Obtulerunt*... vel, deficientibus Cantoribus, prædicta leguntur alta voce ab ipſomet Celebrante.

6. Finita Proceſsione, Celebrans Miſſam Conventualem de more perſolvit, ad cujus Evangelium, & ab elevatione uſque ad peractam Communionem incluſivè accenduntur Candelæ.

7. Benedictio, diſtributio Candelarum, ac Palmarum regulariter poteſt fieri in omnibus Eccleſiis tam Collegiatis, quàm Parochialibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus. S. R. C. 28. April. 1607., & 10. Dec. 1703. adprobante Clemente XI. 12. Jan. 1704.

8. Benedictio Candelarum, Cinerum & Palmarum, & aliæ ſimiles Actiones, quas faceret Superior præſens, eo abſente, vel impedito, ad Digniorem, non verò ad Hebdomadarium pertinent. Ex Decr. S. R. C. 21. Mart. 1609. 25. Jun. 1611. 5. Julii 1621. 7. Octob. 1645.

9. Celebrans qui diſtribuit Candelas, Cineres & Ramos, detecto capite ſtet. S. R. C. 18. Jul. 1626., & 31. Martii 1629.

10. Ille

10. Ille idem qui benedicit Candelas in Feſto Purificationis, vel Cineres prima die Quadrageſimæ, aut Ramos in Dominica Palmarum, debet etiam cantare Miſſam ſequentem. S.R.C. 12. Apr. 1640. 26. Febr. 1628.

11. In fine Completorii Purificationis B. M. V. dicitur Antiphona *Ave Regina Cælorum*... S. R. C. 27. Jul. 1624.

12. Occurrente Feſto Purificationis B. M. V. in Dominicis Septuageſimæ, vel ſimilibus aliis privilegiatis, itaut illius Officium ex hoc contingat transferri, non eſt ob id protrahenda etiam recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris*, ſed die 2. Febr. poſt Completorium, illa dimiſſa, juxta diſpoſitionem Rubricæ, & ejuſdem laudabilem obſervantiam in Baſilica Vaticana, ſumenda eſt Antiphona *Ave Regina Cælorum*, ſublato quolibet alio aſſerto, difformi quarumcunque Eccleſiarum uſu, ſive conſuetudine; ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, pariformiter ſervari mandavit. S.R.C. 11. Jan. 1681.

13. In Proceſſionibus Candelarum, Palmarum, & ſimilium, quæ fiunt per Eccleſias ſine SS. Sacramento non eſt pulſanda Campanula ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa privata. Quòd ſi pulſetur, & advertatur elevatio, tunc genufleſtendum eſt utroque genu a tranſeuntibus ante Altare, ubi Miſſa celebratur, & depoſito SS. Sacramento progrediendum eſt. Similiter, ſi alii tranſeant in elevatione Calicis. S.R.C. 1. Mart. 1681. 2. Maii 1620.

14. Feſtum Purificationis B. M. V. quando ocurrit in Dominicis privilegiatis, niſi ſit Titulus Eccleſiæ, quoad Officium & Miſſam in ſequentem diem transferendum eſt. S. R. C. 9. Aug. 1681.

15. Dies tertia Februarii non poteſt aſſignari alicui Sancto Duplici, vel Semiduplici ſemper translato, pro ejus certa & perpetua Sede. S. R. C. 9. Aug. 1681.

16. Utrum Antiphona B. M. V. *Ave Regina Cælorum*

rum ſemper dici debeat die 2. Febr. etiamſi Feſtum Purificationis transferatur, vel habeat Octavam? & ad utrumque reſponſum fuit affirmativè juxtà Decr. S. R. C. 11. Januarii 1681. S. R. C. 10. Jan. 1693.

17. Quando in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ occurrit Feſtum Purificationis B. M. V. in Eccleſiis eidem ſub alio Titulo dicatis, ſcilicet Annunciationis &c. Miſſa Solemnis poſt Benedictionem Candelarum, & Proceſſionem, debet cantari de Dominica. S. R. C. 23. Aug. & 13. Sept. 1704. & 15. Sept. 1736.

18. An, cùm ex Decr. S. R. C. 11. Jan. 1681. dicenda ſit Antiphona B. M. V. *Ave Regina Cœlorum* cum ℣. *Dignare me*.. in fine Completorii ſecundæ diei Februarii, licet transferatur Officium Purificationis, dici debeat in Suffragiis (quando ſit de officio Semiduplici vel Simplici) Verſus *Ora pro nobis* cùm Oratione *Concede nos*, & in Miſſa ſecunda Oratio *A cunctis*, tertia ad ligitum? Et Sac. Rit. Congr. affirmativè reſpondit 14. Februarii 1705.

19. Dignior e Clero, a quo Celebrans in diebus Purificationis, Cinerum & Palmarum recipit Candelam, Cineres & Palmam, debet accedere ad Altare ſine Stola, & genuflexus, ſicut alii, recipere Candelam, Cineres, vel Palmam a Celebrante, & oſculari manum Celebrantis porrigentis Palmam, & Candelam. S. R. C. 14. Febr. 1705.

20. Quæſitum fuit an ſi Feſtum Purificationis B. M. V. eſt transferendum, vel ratione Octavæ diutius perſeveret, eo uſque peſeverare debeat Antiphona *Alma Redemptoris Mater*; an verò in hoc caſu die 2. Februarii ad Completorium dicenda ſit Antiphona *Ave Regina Cœlorum*? Et reſponſum fuit quòd ſervetur Decretum S. R. C. emanatum ſub die 11. Jan. 1681. Ita S. R. C. 4. April. 1705.

21. Quan-

21. Quando Feſtum Purificationis occurrit in aliqua Dominica ſecundæ Claſſis, ejus Officium transferendum eſt in Feriam ſecundam immediatè ſequentem tamquam diem propriam, quamvis impeditam, translato ab ea quocumque alio Feſto, ne continuatio Myſterii Dominicæ Incarnationis diù protrahatur. S. R. C. 7. Maii 1746. dummodo non ſit altioris Ritus. Hoc etiam pro Feſto Annunciationis. Eadem S. R. C. 20. Julii 1748.

CAPUT VIII.

De Feria quarta Cinerum.

1 OMiſſis brevitatis cauſa, quæ Candelarum, & huic Cinerum Benedictioni, ac Diſtributioni ſunt communia, de quibus in ſuperioribus Capitibus prolixior ſermo eſt habitus. Paratur Altare ſimpliciter cum ſex Candelabris, abſque floribus, aliiſvè ornamentis Feſtivis, cujus frons Pallio tegitur violaceo. Vas item argenteum, vel ex alia decenti materia apponitur inter Miſſale, & Cornu Epiſtolæ, cum Cineribus mundis, & aridis, confectis ex ramis Palmarum, ſeu Olivarum, aut aliarum arborum præcedenti anno in Dominica Palmarum benedictis: quod vel operculo ſimili, vel Velo violaceo operitur uſque ad Benedictionem Cinerum. Abaco tandem ſuperponitur Vas Aquæ benedictæ, Turibulum cum Navicula, Pelvicula cum medulla panis, Bucali, & Manutergio pro lotione, & exterſione manuum Celebrantis.

2. Dicta in Choro Nona, Superior, vel eo impedito, aut abſente, Dignior ex Cœnobitis Pluviali violaceo ſuper Stolam, & Albam indutus, tecto capite ad Altare procedit, medius inter Diaconum & Subdiaconum, Planetis plicatis concoloribus ſine Manipulis paratos,

ratos, præcedentibus Thuriferario ſine Thuribulo, duobus Acolythis cum Candelabris accenſis, & Cæremoniario, nudo capite.

3. Celebrans, oſculato Altari in medio, accedit ad Miſſale in Cornu Epiſtolæ ubi ſtans inter utrumque Miniſtrum ſubmiſſa voce, & manibus junctis legit Antiphonam *Exaudi*, *Domine*, quæ interim in Choro cantatur ad modum Introitus Miſſæ. Qua expleta, ſacros Cineres benedicit, aſpergit, & thurificat, prout de Candelis dictum eſt. Deinde recipit ſe ad medium Altaris, ibique ſtans, nudo capite, converſus ad Populum, & medius inter Diaconum a dexteris ſuſtinentem Vas Cinerum, & Subdiaconum a ſiniſtris, capite inclinato, manibuſque junctis Sacros Cineres accipit a Dignori de Cleto dicente *Memento Homo quia pulvis es* .... quem Cæremoniarius a ſiniſtris ducit ad Altare, & reducit.

4. Mox Celebrans ſtans, ut prius, benedictos Cineres pollice & indice è Vaſe ſumit, deinde ſupra caput illius dignioris Sacerdotis genuflexi, vel ſtantis, ſi fuerit Prælatus, capite tamen inclinato, & manibus junctis, imponit, formando ſignum Crucis, & dicens: *Memento Homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Et interim cantatur in Choro Antiphona *Immutemur habitu* cum ſequentibus. Succedunt inde cum debitis reverentiis, & maxima humilitate Miniſtri Altaris, ac Religioſi per ordinem, & genibus flexis ſuper Suppedaneum, manibus junctis, atque capite inclinato Cineres a Celebrante abſque oſculo manus accipiunt.

5. Datis Cineribus Clero ad Altare, deſcendit Celebrans cum ſuis Miniſtris ad Cancellos, ubi Laicis utriuſque ſexus genuflexis Sacros Cineres imponit ſuper caput, ſingulis repetens *Memento Homo* ... in maſculino genere, licèt Fœminis diſtribuat, & his non ſupra Velum, ſed ſupra capillos, prout etiam Viris, qui cæſarie ficta utuntur,

Digitized by Google

tur, non ſuper ipſam imponit, ſed ſuper proprios crines. Poteſt etiam deputari Sacerdos, ſi magnus ſit Populi concurſus, qui Cotta, & Stola violacea indutus Cineres alibi diſtribuat, accenſis ſemper duabus Candelis ſuper Altare, & aſſiſtente ſibi a dextris Acolytho, qui Vas ſuſtineat.

6. Completa Cinerum impoſitione, Celebrans lavat manus privatè ad latus Epiſtolæ, vel prope Credentiam in plano. Quibus lotis, & exterſis, aſcendit per laterales gradus ad Cornu Epiſtolæ ſuper Suppedaneum; ibique ſtans verſus Altare manibus junctis, medius inter Sacros Miniſtros cantat in Tono Feriali *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Concede nobis*... ut in Miſſali. Deinde deſcendit in planum ad partem Epiſtolæ ante Altare, ubi depoſito Pluviali, Manipulum, & Planetam ſumit, ſicut & Miniſtri ſuos Manipulos. Tùm accedit ad medium ante infimum Altaris gradum, ibique facta debita reverentia Altari, incipit Miſſam more ſolito, in cujus tamen decurſu hæc peculiaria ſervantur.

7. Incenſatur Altare, & Chorus more ſolito. Patena tenetur per Subdiaconum, & Pax datur. Genuflectunt omnes, exceptis dumtaxat Celebrante, Diacono, & Subdiacono, & qui actu cantant, ad Confeſſionem cum ſuo Pſalmo, ad Orationes, & dicto per Celebrantem *Sanctus* uſque ad *Pax Domini* excluſivè, & ad Orationes poſt Communionem, & ſuper Populum. Acolythi pari Ritu genuflectunt ad Altare, & Intortitia tenent accenſa uſque ad Communionem utriuſque ſpeciei. Diaconus, & Subdiaconus Evangelium, & Epiſtolam reſpectivè cantaturi, deponunt, ac reſumunt Planetam, prout in cap. 1. hujus Partis dictum eſt. Dum Celebrans privatè legit ℣. *Adjuva nos*, unicum tantùm genu flectit; ſed dum cantatur iſte ℣. a Choro, genua flectunt omnes uſque ab finem, exceptis duobus Cantoribus, &

N n prius

prius quam inchoetur, Celebrans, & Miniſtri Sacri deſcendunt ad ſecundum Altaris gradum, & ibi in medio Suppedanei procumbunt. Quo Verſu dicto, & non prius, aſſurgunt, & Altare conſcendunt: Diaconus verò depoſita Planeta ad Cornu Epiſtolæ, & ſumta latiori Stola, Thus miniſtrat, dicit *Munda cor meum*, aliaque de more peragit. Dicta a Celebrante ultima Oratione poſt Communionem, ac ſubinde *Oremus*, idem Diaconus adhuc ſtans in Cornu Epiſtolæ poſt Celebrantem, vertit ſe ad Populum per latus ſuum dexterum, quin genuflexionem præmitta , & ita converſus cantat manibus junctis: *Humiliate ca* *a veſtra Deo*. Quo dicto, omnibus genuflexis manentibus, & capita inclinantibus, præter Celebrantem, & Subdiaconum, per eamdem viam vertit ſe ad Altare, & ibi ſtat a tergo Celebrantis, qui immediatè Orationem ſubjungit extenſis manibus. Dicitur Præfatio *Qui corporali jejunio* uſque ad Dominicam Paſſionis excluſivè, etiam in Feſtis, & Miſſis Votivis, propriam non habentibus; & in fine dicitur *Benedicamus Domino*, ſine *Gloria*, & *Credo*. A Choro cantantur cantu Gregoriano abſque Organo *Introitus*, *Kyrie eleiſon*, *Graduale* cum *Tractu*, *Offertorium*, *Sanctus*, *Agnus Dei*, *Poſtcommunio*.

8. Prædicta reſpectivè ſervantur etiam in aliis Miſſis de tempore Quadrageſimæ, quæ quotidie poſt Nonam in Eccleſiis noſtris, ubi fuerit ſufficiens Fratrum numerus, cantandæ ſunt; haud tamen prætermiſſa poſt Tertiam Miſſa de Feſto occurrente, in qua nihil ſit de Feria, ſed ſecunda dicitur Oratio *A cunctis*, ſi fuerit Semiduplex, & tertia *Omnipotens ſempiterne Deus*, *qui vivorum* .... niſi Simplex occurrat: quod ſervatur uſque ad Dominicam Paſſionis excluſivè.

9. In Eccleſiis minoribus Sacri Miniſtri nec Planetis plicatis, nec Dalmatica neque Tunicella utuntur, ſed Alba. Si verò pauci adſint Religioſi, tunc Celebrans

brans ſolus cum Acolytho miniſtrante Thuribulum, Naviculam, & Aquam luſtralem benedicit Cineres, ut dictum eſt de Candelis; & dum illos diſtribuit, Acolythus a dextris ſtans elevat partem anteriorem Pluvialis manu ſiniſtra, & dextera Vas Cinerum ſuſtinet. Si præ inopia Cantorum, Benedictio ſine cantu peragatur, Celebrans, priuſquàm Cineres diſtribuat, in Cornu Epiſtolæ legit Antiphonam *Immutemur habitu* cum ſequentibus. Et ſi alius non adſit Sacerdos, ipſemet Celebrans versùs Altare genuflexus, ſibi ipſi imponit Cineres, nihil dicens.

10. Cùm Fideles univerſi ut plurimùm intereſſe non valeant Solemni Benedictioni, & diſtributioni Cinerum, quæ fit poſt Nonam; idcircò poſſunt ſummo mané ab aliquo Sacerdote Cotta, & Stola violacea induto aliqui Cineres privatè benedici, qui deinde in ſuis Vaſibus juxta numerum Altarium diſtribuuntur, ut pro temporis opportunitate Populo ſatisfieri poſſit. Hæc autem privata Benedictio fit eo modo quo ſupra dictum eſt, demtis iis, quæ ad majorem Solemnitatem ſpectant, & in fine cujuſcumque diſtributionis Sacerdos lavat manus non in pelvicula conſueta, ſed in aliquo Vaſe ad id præparato, & manuum lotiones, & Cineres, qui ampliùs uſui non ſunt, in Sacrarium immittuntur.

11. In hac Feria quarta Cinerum non poſſunt dicì Miſſæ votivæ, neque Defunctorum. Quinimò hæc dies tali gaudet privilegio, ut quodlibet Feſtum etiam ex Majoribus occurrens transferri debeat in primam ſequentem diem non impeditam, itaut hac die omninò de ipſa Feria celebretur. Rurſus ab hac die ceſſant omnes Octavæ, & Officia per Annum.

12. Cineres diſtribuendi in Feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ debent eſſe aridi. S. R. C. 23. Maii 1603.

 in

13. Qui habent Privilegium celebrandi Octavas in Quadrageſima, occurrente die infra Octavam in Feria quarta Cinerum, nullam debent facere Commemorationem de Octava, neque in Laudibus, neque in Miſſa. S. R. C. 24. Jan. 1682.

14. In Officio Feriæ quartæ Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ, debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c. & ſervare omninò Rubricas dictæ Feriæ quartæ Cinerum. S. R. C. 24. Januarii 1682.

15. Benedictio publica Sacrorum Cinerum facienda in Feria quarta poſt Dominicam Quinquageſimæ, non poteſt fieri poſt Tertiam, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ, quæ præſcribunt poſt Nonam. S. R. C. 22. Jun. 1701.

CAPUT IX.

De Tempore Quadrageſimali ad Dominicam uſque Palmarum.

1. IN Officio de Tempore, excepta Dominica quarta, dicta *Lætare*, Sacri Miniſtri non utuntur Dalmatica, ac Tunicella. Flores, & Imagines, ſeu Reliquiæ inter Candelabra non apponuntur. Nec Organa, nec aliud quodvis inſtrumentum muſicale, extra Miſſam tantùm ejuſdem Dominicæ *Lætare*, pulſantur. Quo etiam Tempore Cantus firmus, non verò figuratus, in Ferialibus diebus convenit adhiberi.

2. Si in Feriam V. poſt Cineres incidat Feſtum SS. Quadraginta Martyrum, in Miſſa mutatur Secreta Feriæ V. & ejus loco dicitur Secreta Feriæ VI. ſubſequentis, quæ iterum ſuo die dicitur. Feria item V. Dominicæ tertiæ, etſi in Collecta nominentur SS. Coſmas, & Damianus; nec tamen in Officio, neque in Oratione

A cun-

A cunctis in Miſſa, omitti debet in propria Eccleſia conſueta Commemoratio eorumdem tamquam Martyrum inter Suffragia communia, & tamquam Titularium Eccleſiæ propriæ.

3. Sabbato ante Dominicam primam Quadrageſimæ, & deinceps uſque ad Paſcha dicuntur in Choro Veſperæ ante Cœnam, quæ fit poſt Meridiem, etiam in diebus Feſtis, non verò in Dominicis. Quoad verò privatam recitationem nullum extat præceptum, quamvis conveniat huic ſe conformare Ritui. Preces dicuntur flexis genibus, Hebdomadario tamen ad Orationem ſurgente, & in Commemoratione de Cruce non adhibetur ſignum Crucis. Quolibet die non impedito Feſto novem Lectionum, præterquàm in Hebdomada Majori, dicitur in Choro Officium parvum B. M. V., Feria ſecunda Officium Defunctorum; quarta Pſalmi Graduales; & ſexta Pœnitentiales flexis genibus.

4. Ante primas Veſperas Dominicæ Paſſionis, etiamſi celebrentur de Sancto, obducuntur omnes Cruces, & Imagines Salvatoris, & Sanctorum per Eccleſiam, ac Icones Altarium Velis violaceis, in quibus nulla appareat figura, ne Inſignia quidem Paſſionis. Prædictæ autem Cruces ſic tectæ remanent uſque ad Feriam VI. in Paraſceve, poſt Sacratiſſimæ Crucis denudationem; & Imagines Sanctorum ad finem uſque Litaniarum Sabbati Sancti, quocumque recurrente Feſto, etiam Patroni. Item a Veſperis hujus Sabbati uſque ad Feriam ſecundam poſt Octavam Pentecoſtes non fiunt Commemorationes conſuetæ de Cruce, de S. Maria &c. Nec in Officio de Tempore dicitur Verſus *Gloria Patri* in Invitatorio, & Reſponſoriis Nocturnorum, ac Horarum.

5. In Miſſa hujus Dominicæ, & deinceps uſque ad Sabbatum Sanctum excluſivè, poſt *Introibo ad Altare Dei* non dicitur Pſalmus *Judica me Deus*, nec *Gloria*

Patri

Patri ad Introitum, nec ad finem Pſalmi *Lavabo*. Idipſum etiam hac, & ſequenti Dominica omittitur ad *Aſperges me* poſt Pſalmum *Miſerere*. In Miſſis autem Sanctorum, aut Votivis, etiam de Paſſione, vel de Cruce, ſicut dicitur Pſalmus *Judica me*, ita *Gloria Patri* ad Introitum, & ad Pſalmum *Lavabo*. Item ab hac Dominica Paſſionis incluſivè in Miſſis Ferialibus uſque ad Feriam V. in Cœna Domini excluſivè, duæ tantùm dicuntur Orationes, nimirùm Oratio propria diei, & altera *Eccleſiæ*, vel pro *Papa*; ita ut tertia Oratio non dicatur, etiamſi Simplex occurrat, quo caſu ſecunda erit de Simplici, omiſſa illa pro *Eccleſia*, vel pro *Papa*. At verò in Miſſa privata de Feſto ſemiduplici tres dicuntur Orationes, ſecunda de Feria, tertia *Eccleſiæ*... vel pro *Papa*, vel de Simplici, ſi quod occurrat. Et ubi cantantur duæ Miſſæ, una de Feſto, altera de Feria; in Miſſa de Feſto ſemiduplici, ſecunda Oratio erit *Eccleſiæ*, vel pro *Papa*, vel de Simplici fortè occurrente. In Miſſa autem de Feria, ſecunda tantùm dicitur Oratio, ut ſuprà. Advertere tamen eſt, quòd hoc tempore Paſſionis Oratio a Majoribus imperata dicitur poſt utramque a Miſſali præſcriptam; & quòd Feria ſecunda poſt hanc Dominicam, etiamſi fiat de ea, & dicatur Officium Defunctorum, non ideò debet dici Miſſa principalis de *Requiem*, neque Oratio *Fidelium* in Miſſa occurrente. Præfatio Miſſæ dicitur de Cruce uſque ad Feriam V. in Cœna Domini incluſivè, etiam in Feſtis, ac Miſſis Votivis, niſi propriam habeant.

6. Feria quarta Cinerum, Dominica prima Quadrageſimæ, Paſſionis, & Palmarum cum tota Hebdomada Majori reputantur tamquam primæ claſſis, & excludunt quodcumque Feſtum, etiam Patroni, vel Titularis, ſeu Dedicationis propriæ Eccleſiæ. In his diebus nequeunt celebrari Miſſæ votivæ, & Defunctorum; quinimò

mò in Eccleſiis, ubi Titulus eſt, vel concurſus Populi ad celebrandum Feſtum, quod transferri debet, nec una Miſſa de prædicto Feſto transferendo, excepta Dominica Paſſionis, cantari poteſt. Dominicæ verò ſecunda, tertia, & quarta reputantur tamquam ſecundæ claſſis, & admittunt Officia primæ claſſis tantùm, necnon Miſſas cantatas Defunctorum, præſente Cadavere.

7. Cantores a Dominica quinta Quadrageſimæ uſque ad Paſcha, excepta Feria V. in Cœna Domini, & Feſtis Sanctorum, non utantur cantu figurato, ſed Gregoriano.

8. Si occurrat Feſtum Annuntiationis B. M. V. in Dominica ſecunda, tertia, vel quarta Quadrageſimæ, non fit Officium de Annuntiatione, niſi in Eccleſiis ſub invocatione Annuntiationis dicatis. S. R. C. 1. Sept. 1612.

9. Sabbato Paſſionis debent velari Imagines, & Cruces, etiamſi occurrat eo die Feſtum Titularis, vel Patroni Eccleſiæ. S. R. C. 16. Nov. 1649.

10. Imagines & Cruces detegi non debent, etiamſi in Hebdomada Paſſionis occurrat Feſtum Sancti Titularis, aut Dedicationis Eccleſiæ. S. R. C. 16. Nov. 1649.

11. Quo Velo cooperienda ſit Crux in Altari ad Functionem lotionis pedum in Feria V. Majoris Hebdomadæ, & Crux Proceſſionis, cùm Sacerdos indutus ſit violaceo, & Diaconus colore albo, & actus ipſe lotioneis, ſive Mandatum præcipiatur a Rubricis fieri cum floribus & ſignis lætitiæ, & videatur participare de Feſtivitate Miſſæ celebratæ in manè cum Cruce velata albo colore, & ex alia parte ſit actus humilitatis? S. R. C. 16. Nov. 1649. reſpondit colorem non eſſe mutandum.

12. In Miſſis Ferialibus, quæ contingunt a Dominica Paſſionis ad Feriam V. Cœnæ Domini, & infra Octavas Paſchatis, & Pentecoſtes ſi facienda obveniat Commemoratio de ſimplici, omittenda eſt tertia Oratio,

quæ

quæ pro ſecunda aſſignatur in Miſſali, nempe pro *Eccleſia*, vel pro *Papa*. S.R.C. 22. Nov. 1659. 13. Sept. 1692. 10. Jan. 1693., 4. Maii 1709., 15. Spt. 1736. vide n. 17.

13. In primis Veſperis Dominicæ Paſſionis, non ſolùm Cruces & Imagines Salvatoris, ſed etiam Icones Altarium, & omnes Imagines Sanctorum tegi debent. S. R. C. 4. Aug. 1663.

14. In diebus infra aliquam Octavam occurrentibus in Quadrageſima, debent Privilegiati dicere Miſſam Conventualem de Feria currente cum Commemoratione Octavæ, quamvis recitaverint Officium de die infra Octavam. S. R. C. 24. Jan. 1682.

15. Quæſitum fuit a S. R. C. an Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, Tempore Paſſionis in Quadrag. debeat cantari ſicut alia Invitatoria extra tempus Paſſionis, ſcilicet ſexies integrè, & ter imperfectè, hoc modo poſt Verſum: *Quadraginta annis proximus fui &c. Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, omiſſo *Gloria Patri &c.* & *Nolite obdurare corda veſtra*, & iterum repetatur integrè *Hodie ſi vocem Domini audieritis; nolite obdurare?* S. R. C. reſpondit omiſſis *Gloria Patri ...*, & *Nolite obdurare corda veſtra*, repeti debere integrè Invitatorium *Hodie ſi vocem Domini audieritis*. S. R. C. 24 Jul. 1683.

16. Occurrente Commemoratione Sancti ſimplicis in Feria ſecunda Quadrageſimæ, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, non debet in Miſſa quarto loco dici Oratio *Omnipotens ſempiterne Deus qui vivorum &c.* pro Commemoratione Defunctorum, ſed ſufficit tertia Oratio *A cunctis*. Quod ſi dicatur quarta *Omnipotens*, quinta erit ad libitum. S.R.C. 4. Maii 1709.

17. Occurrente Commemoratione Sancti ſimplicis in Feria ſecunda poſt Dominicam Paſſionis, quando dictum eſt Nocturnum Defunctorum, in Miſſa dicenda eſt

Digitized by Google

eſt ſecunda Oratio de Simplici tantùm. S. R. C. 4. Maii 1709. vide n. 12.

CAPUT X.

De Dominica Palmarum.

1. UT in Fidelium mentibus Dominicæ Paſſionis memoria vividius excitetur, Divina Hebdomadæ Majoris Officia quàm maxima fieri poterit dignitate, ac Rituum excellentia in Eccleſiis noſtris celebrentur. Pro Feſto itaque Palmarum, quod eſt in capite Paſſionis, paretur Altare Pallio violaceo cum ſex Candelabris, inter quæ, loco Florum, vel Imaginum, poni quibunt Rami Palmarum, ſive Olivarum, aut aliarum arborum, auro, vel argento decenter ornati.

2. Prope cornu Epiſtolæ in plano erigatur Menſa linteo mundo undequaque contecta, ſuper quam collocentur Palmæ, & Rami Olivarum, ſeu illis deficientibus aliarum arborum, in quibus Ramis inſerantur, ſi fieri poteſt, Cruces ex Palmarum foliis compoſitæ. Pro Celebrante autem, Superiore, Sacris Miniſtris, Nobilioribuſque, ſi aderunt, parentur Palmæ, ſive Olivarum Rami cæteris ſpecioſiores; qui deinde omnes tegantur Mappa munda, vel alio Velo decenti uſque ad Benedictionem.

3. Abacus quoque a latere Epiſtolæ accommodetur, præter requiſita ad Miſſam continens Stolam latiorem pro Diacono, Thuribulum cum Navicula, Bacile cum Manutergio, & Urceus aquæ cum medulla panis. Præparentur item Miſſalia, & Ritualia, Crux Proceſſionalis, cujus Effigies Velo, & Haſta pendenti Flamine violaceis obducantur, & a parte Evangelii tria Legilia Velo violaceo cooperta.

4. Cantata in Choro Tertia, Superior vel Dignior ex Cœnobitis Pluviali violaceo ſuper Albam, & Stolam ſine Manipulo indutus per Sacros Miniſtros, qui deinde Planetas plicatas ſine Manipulis accipiunt, Aſperſionem luſtralis Aquæ primùm de more acturus pergit, Acolytho præeunte cum Vaſe. Qua peracta, idem Acolythus reponit Vas Aquæ benedictæ ſuper Credentiam, & poſt Orationem conſuetam *Exaudi nos*.... ipſe, vel Cæremoniarius Miſſale apertum, Velo violaceo tectum cum Cuſſino concolori ſuper Altare in cornû Epiſtolæ collocat, atque Ramos diſcooperit. Diaconus & Subdiaconus accipiunt Manipulos.

5. Celebrans interim abſque ulla genuflexione, vel inclinatione prævia, Altare conſcendit, illudque in medio oſculatur, Sacris Miniſtris genuflectentibus. Tum accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans inter Diaconum, & Subdiaconum, ab Altari parumper diſtantes, legit ſubmiſſa voce, non ſe ſignans, Antiphonam *Hoſanna*, quam interim Cantores inchoant, & Chorus proſequitur. Qua expleta, Celebrans ſtans ut priùs Sacros inter Miniſtros, non vertens ſe ad Populum, manibus junctis cantat *Dominus vobiſcum*, deinde *Oremus* cum inclinatione capitis, & Orationem *Deus, quem diligere*... in tono feriali.

6. Interrea Subdiaconus, genuflexione exhibita Altari, ad Credentiam ſe confert, ubi depoſita Planeta plicata, & ſumto Libro Epiſtolarum, ad Altare genuflexurus pergit, comitatus a Cæremoniario; ac deinde Lectionem *de Libro Exodi* in loco ſolito cantat in tono Epiſtolæ, quam Celebrans demiſſa voce legit unà cum Graduali, reſpondente Diacono in fine Lectionis *Deo gratias*. Epiſtola decantata, Subdiaconus poſt exhibitam denuo Altari reverentiam ad Celebrantem accedit, manum ejus genuflexus oſculaturus. Deinde reddito Libro, Planetam plicatam reſumit, & ad ſiniſtram Celebrantis, ut prius, aſſiſtit,

aſſiſtit, quin Miſſale ad cornu Evangelii deferat. Sed Celebrans, data benedictione Subdiacono, ibidem, & non in medio Altaris, profundè inclinatus de more versùs Crucem, ſecretò dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine benedicere*; ac deinde in eodem cornu Epiſtolæ legit Evangelium more ſolito, aſſiſtente, & reſpondente Subdiacono.

7. Dum loco Gradualis canitur ℟. *Collegerunt*, vel *In monte Oliveti*, Diaconus, dimiſſa prius Planeta plicata, & ſumta latiori Stola, defert de more Librum Evangeliorum ante pectus ſuper medium Altaris. Deinde ad cornu Epiſtolæ reverſus Thuribulum cum ſolitis oſculis miniſtrat, in quo Celebrans, Pluvialis fimbriam elevante Subdiacono, Thus de more imponit cum Benedictione. Sub finem Reſponſorii Diaconus in medio Altaris ſuper ſuppedaneum genuflexus, & profundè inclinatus dicit *Munda cor meum*... accipit Librum de Altari, petit Benedictionem a Sacerdote ſtante ſemper ad cornu Epiſtolæ versùs eum. Poſteà cum Miniſtris, & reverentiis ſolitis cantaturus pergit Evangelium, prout in Miſſa Solemni. Quo expleto, Subdiaconus defert Librum oſculandum Celebranti, quem Diaconus inde thurificat, & depoſita Stola latiori, Planetam plicatam reaſſumit, & ad Altare, ut prius, accedit.

8. His peractis, Celebrans ſtans inter Sacros Miniſtros in eodem cornu Epiſtolæ aliquantulùm ad Ramos converſus, manibus junctis, ut ſupra, dicit in Tono Feriali *Dominus vobiſcum*, & Orationem *Auge fidem*... præmiſſo *Oremus*, cum inclinatione capitis. Tum proſequitur Præfationem, ut in Miſſali, manibus ſemper junctis, & aſſiſtentibus hinc inde Diacono, & Subdiacono, qui in fine inclinati dicunt cum Celebrante *Sanctus*, quod etiam cantatur a Choro in Tono Feriali, & ad *Benedictus, qui venit*... erecti de more ſe ſignant. Mox Celebrans priori Tono Feriali decantat ſequentes Oratio-

nes abſque ulla mutatione, etſi benedicantur Rami arborum, non Palmarum aut Olivarum. Cùm autem benedicturus eſt Ramos, ad hoc ſignum ✠ ſiniſtram ſuper Altare ponit, & dextera ſignum Crucis producit, anteriorem Pluvialis fimbriam elevante Diacono.

9. Completis Orationibus, Celebrans aſpergit, thurificat, & diſtribuit Ramos; ac ſubinde fit Proceſſio, prout in die Purificationis, mutatis tamen mutandis. Diaconus, & Subdiaconus Manipulos ſuos prius deponunt. In ſummitate Crucis Proceſſionalis ligatur vitta violacea Ramuſculus ex Palmis, ſeu Olivis benedictis. Cùm ad fores Eccleſiæ devenerit Supplicatio, Subdiaconus Crucem deferens ſiſtit ſe cum Ceroferariis prope januam in medio, verſa facie ad illam. Chorus verò vel hinc inde, vel in gyrum nudo capite ſtat, medium habens Celebrantem cum Diacono a ſiniſtris ejus; itaut Celebrans Imaginem Crucifixi ad ipſum tunc converſam directè reſpiciat. Tum illi duo, vel quatuor Cantores Eccleſiam opportunè ingreſſi, & clauſo oſtio, ſtantes verſa facie ad Proceſſionem, incipiunt ℣. *Gloria*, *Laus*... quem integrè unà cum ſequenti proſequuntur: Celebrans verò, tecto capite, cum aliis extra Eccleſiam repetit eoſdem Verſus. Deinde qui ſunt intus cantant alios ℣. ſequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur: & qui ſunt extrà, ad quoslibet binos Verſus reſpondent *Gloria*, *Laus*... ſicut a principio. Poſteà Subdiaconus ima parte haſtilis Crucis, ſemel tantùm, ac leviter percutit portam, quæ ſtatim ab iis, qui ſunt intrà, aperitur, & Proceſſio intrat Eccleſiam, cantando ℟. *Ingrediente Domino*... ſine ℣. *Gloria Patri*.

10. Si Supplicatio extra Eccleſiam dirigi nequiverit, intra eamdem deducatur, & quod præ foribus præſtandum erat, fiat in Veſtibulo ante ingreſſum Aræ Principis. Subdiaconus, ubi ad Altare pervenerit, Crucem prope

prope Credentiam deponit, ac ſuper eam Candelabra, Acolythi. Cœnobitæ verò ad Subſellia Chori, præmiſſa Altari reverentia, recto tramite pergunt. Et tandem Celebrans cum iiſdem Sacris Miniſtris retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi dimiſſo Pluviali, Manipulum, & Planetam violaceam induit, prout etiam Sacri Miniſtri ſuos Manipulos ſumunt. Tum ad medium Altaris, ante infimum ipſius gradum Sacrum inchoaturus accedit, in quo ſequentia ſunt notanda.

11. Omiſſo *Gloria in Excelſis*, mox dicitur unica Oratio, abſque ulla Commemoratione, etiam in Miſſis privatis, de Feſto ſimplici forſitan occurrente, licèt facta fuerit in Officio. Cùm Subdiaconus in Epiſtola pronuntiat verba *Ut in Nomine Jeſu*... ipſe, & omnes alii (excepto Celebrante cum Diacono, qui genuflectit ea legendo, & in lectura Gradualis ſolito longioris occupato) genuflectunt uſque ad *Et Infernorum*, incluſivè. Cantata verò Epiſtola, idem Subdiaconus manum Celebrantis oſculatur, Librum Acolytho tradit, reſumtaque Planeta plicata, Celebranti una cum Diacono aſſiſtit, ut ad Introitum Miſſæ.

12. Tres Diaconi, a Diacono & Subdiacono diſtincti, qui Paſſionem ſunt cantaturi, dum Epiſtola, & Tractus dicuntur, parantur in Sacrario, Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola communi, ac deſuper latiori ab humero ſiniſtro pendente, coloris violacei, & circa finem Tractus procedunt è Sacriſtia ad Altare hoc ordine.

13. Præcedit Cæremoniarius, & eo deficiente, Thuriferarius ſine Thuribulo; tum ille, qui Evangeliſtæ Perſonam gerit ſolus: deinde qui Turbarum: ultimò qui Chriſti, omnes tecto capite, deferentes ſibi Librum, ſeu Codicem Paſſionis ante pectus, ambabus manibus. Subſequuntur tres Clerici ſimul cum Cottis ſine Candelabris.

Qui,

Qui, cùm ad Altare pervenerint, factis ipſi, & Celebranti debitis reverentiis, accedunt ad Legilia violaceo contecta in cornu Evangelii opportunè præparata, vel ad Ambonem pro Eccleſiarum more, quin *Munda cor meum* præmittant, vel Benedictionem petant. Et ibi ſtant in recta linea facie verſa ad eam partem, quæ pro Aquilone figuratur; ita tamen, ut qui Evangeliſtam agit, medium locum teneat; qui Chriſtum dexteram; & qui Turbas ſiniſtram Evangeliſtæ. Tres autem Acolythi ſtant facie ad Diaconos Cantores converſa, manibus ad Legilia appoſitis, quaſi Librum tenentes. Canentibus verò Paſſionem Diaconis in Pulpito, ſeu Ambone, prædicti Acolythi tunc ſtant poſt Cantores eorumdem Palmas in manibus tenentes.

14. Diſpoſitis omnibus, ut ſupra, & expleto Tractu, Evangeliſta, manibus hinc inde ſuper Librum poſitis, incipit abſolutè in Tono competenti *Paſſio Domini...* ſine Luminaribus, & Incenſo, omiſſis etiam *Dominus vobiſcum*, & *Gloria tibi Domine*, nec non ſigno Crucis ſuper Librum, & ſeipſum. Tunc aſſurgunt omnes detecto capite, Palmaſque in manibus tenent ad finem uſque Paſſionis, & Evangelii, exceptis Cantoribus. Celebrans quoque Palmam tenet ſiniſtra manu, & ſubmiſſa voce Paſſionem legit, ſtans in cornu Epiſtolæ, Miniſtris Sacris ſtantibus apud eum, ut in Introitu Miſſæ, cum Palmis etiam in manu ſiniſtra.

15. Cùm Celebrans privatè legens pervenerit ad illa verba *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, non genuflectit cum Miniſtris, ne adſtantes a Paſſionis auſcultatione diſtrahantur, neque confuſio hinc inde oriatur; cùm Celebrans genua flectere debeat, quando Evangeliſta ea cantat, & genuflectitur ab omnibus in Choro, & ab adſtantibus in Eccleſia. Lecta demum Paſſione uſque ad eam partem, quæ cantanda eſt a Diacono

cono Miſſæ in Tono Evangelii excluſivè, Celebrans cum Miniſtris vertit ſe ad Cantores, ut aſſolet, dum in Miſſa cantatur Evangelium, & Diaconus ſtat ad ejus ſiniſtram, & Subdiaconus ad ſiniſtram Diaconi ſuper gradus, omnes in recta linea cum Palmis in manu tunc dextera, ſiniſtra pectori admota.

16. Dum cantatur *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*, genua flectunt omnes in ſuis locis, & caput inclinant per ſpatium unius *Pater noſter*, & prolatis verbis etiam ipſi Cantores, & Clerici Librum tenentes. Celebrans verò, & Miniſtri paulò ante accedunt ad medium Altaris, & ibi ſuper Suppedaneum genuflectunt, nec prius Evangeliſtâ ſurgunt, quo ſurgente inſervit pro ſigno, quin a Celebrante, vel alio detur ſtrepitu manuum. Celebrans igitur, & Miniſtri priſtinum repetunt locum, & Cantores proſequuntur Paſſionem, uſque ad illam partem, quæ habetur loco Evangelii. Qua finita, debitas Altari, Celebranti, & Choro exhibent reverentias, eoque ordine, quo venerunt, in Sacrarium remeant Paramenta dimiſſuri. Prædicta verò Legilia ſtatim amoventur.

17. Cantata Paſsione, Celebrans, depoſita Palma, accedit ad medium Altaris, ibique de more dicit *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, & Subdiaconus interim transfert Miſſale ad cornu Evangelii, ubi Celebrans non ſignans Librum, nec ſeipſum, nec dicens *Dominus vobiſcum*, legit reliquam partem Paſsionis, quæ locum tenet Evangelii, *Altera * autem die . .*, aſsiſtente ſibi Subdiacono, qui etiam reſpondet *Laus tibi Chriſte*, ut in aliis Miſsis, ſed in fine non oſculatur Librum, ut in privato oſculatur, quia debet eum oſculari poſt cantatam illam partem a Diacono, offerente ipſi Celebranti Subdiacono Librum. Interim Diaconus Miſſæ, depoſita Palma, & Planeta plicata, Stolam latiorem accipit, & Li-

& Librum Evangeliorum ad Altare portat. Tum finito a Celebrante Evangelio, Naviculam cum oſculis more ſolito miniſtrat, genuflexus dicit *Munda cor meum*, & Benedictionem petit. Qua accepta, ad locum conſuetum, præcedentibus Thuriferario cum Thuribulo, & duobus Acolythis ſine Candelabris, qui tenent in manibus Palmas, ſe confert, ubi thurificato priùs Libro, abſolutè cantat in Tono Evangelii *Altera * autem die*, prætermiſſis *Dominus vobiſcum*, & ſigno Crucis ſuper Librum, & ſeipſum, Celebrans autem, data Benedictione Diacono, retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ibique ſtat converſus ad Diaconum cum Palma in manibus, tradita ipſi cum ſolitis oſculis a Cæremoniario. Et in fine, depoſito Ramo, oſculatur Librum in principio illius poſtremæ partis, quæ pro Evangelio habetur, & incenſatur a Diacono. Miſſam deinde proſequitur, ut moris eſt, quin Chorus ad elevationem Palmas reſumat, aut cum iiſdem Celebrans, & Miniſtri in Sacrarium, finita Miſſa, redeant. Quæ omnia & in aliis Paſſionibus ſervantur, præterquam in Paraſceve, de qua ſuo loco.

18. Miſſa Solemnis de Annunciatione B. M. V. non poteſt celebrari, quando ejus Feſtum incidit in Dominica Palmarum. S. R. C. 10. Mart. 1657.

19. Miſſa Solemnis de S. Joſepho, quando ejus Feſtum incidit in Feriam ſecundam, tertiam, aut quartam Majoris Hebdomadæ, non poteſt cantari, etiam ob concurſum Populi, ſed debet omitti; nec poteſt in illis diebus fieri Proceſſio in ejus honorem. S. R. C. 4. Auguſt. 1663.

20. Paſſio in Miſſis privatis legi debet a Celebrante in cornu Evangelii, licèt in Miſſa Solemni legatur in cornu Epiſtolæ. S. R. C. 4. Aug. 1663.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

De eadem Dominica in Eccleſiis Minoribus.

1. **P**Aratis jam Altari, Ramis, & Abaco, ut ſupra, Celebrans Pluviali violaceo, vel ſola Alba cum Stola ſine Manipulo indutus, quamvis dicturus ſit Epiſtolam & Evangelium, ad Altare tecto capite, manibuſque junctis procedit: vel medius inter Sacros Miniſtros, ſi adſint, Albis ſine Manipulis, & ſine Planetis plicatis, Dalmaticiſve amictos, qui eos accipiunt in benedictione, dimittunt ante Proceſſionem, & aſſumunt in Miſſa, vel ipſe Celebrans procedit ſolus cum aliquo Clerico deferente Vas Aquæ luſtralis.

2. Ubi ad Altare pervenerit, Aſperſionem de more peragit, deinde oſculato Altari in medio, vadit in cornu Epiſtolæ dicens Antiphonam *Hoſanna*, quam Chorus, ſi poteſt, cantat. Proſequitur Orationem manibus junctis, & Acolythus, ſi fieri poteſt, cantat Lectionem, ſin minus ipſe Celebrans; qua dicta, Chorus, vel idem Sacerdos dicit ℟. *Collegerunt*..; Quo finito, Celebrans ſine Incenſo in eodem cornu Epiſtolæ cantat Evangelium, præmiſſo tamen ibidem *Munda cor meum*, & *Jube Domine*, ſignans Miſſale, & ſeipſum more ſolito, & in fine oſculatur illud dicens *Per Evangelica dicta*...

3. Poſt Evangelium Ramos benedicit, retentis ſemper manibus junctis ad Præfationem, & Orationes. Tum eoſdem aſpergit, & thurificat, miniſtrante Acolytho cum ſolitis oſculis. Subinde ſtans in medio Altaris facie ad Populum converſa Palmam recipit a Digniori de Choro ſine Stola, pariter ſtante; quam uterque priùs oſculatur. Deficiente verò Sacerdote ipſemet Celebrans genuflexus in medio Altaris accipit ex Altari Palmam

Pp pro

pro ſeipſo, quam oſculatur, & tradit ſervandam Acolytho. Poſt hæc accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi Antiphonam *Pueri Hebræorum* recitat, niſi cantetur a Choro; quo caſu mox incipit diſtribuere Ramos primàm Digniori, a quo ipſe accepit, deinde Religioſis, & Nobilioribus, ſi adſint, qui omnes genuflexi oſculantur prius Ramum, deinde manum Celebrantis, exceptis Prælatis. Poſtremo deſcendit ab Altari, & accedit ad Cancellos, ubi Populo utriuſque ſexus Ramos diſtribuit, quin Fœminis oſculandam manum præbeat.

4. Completa diſtributione Celebrans lavat manus, ut ſupra, dicit Orationem in Cornu Epiſtolæ, ac impoſito Incenſo in medio Altaris, converſus ad Populum dicit *Procedamus in pace*, Palmam præ manibus habens. Tum incipit Proceſſio, in qua præcedit Thuriferarius cum Thuribulo, & Acolythus cum Cruce, & Cæroferarii, Antiphonæ in Miſſali, vel Rituali deſcriptæ a Choro cantantur, vel ſaltem alta voce a Celebrante leguntur. Aliqui Eccleſiam ingreſſi canunt, vel recitant *Gloria, laus* cum ſequentibus, quibus Celebrans, & alii extra Eccleſiam reſpectivè reſpondent. Quibus expletis, Crucifer leviter percutit portam ima parte haſtæ Crucis, qua ſtatim aperta dicitur ℟. *Ingrediente Domino*, & celebratur Miſſa ab eodem Sacerdote, vel cum Nota, vel ſine, in cujus Paſſione tenentur Rami in manibus, & in fine dicitur Evangelium S. Johannis *In principio*, etiamſi non cantetur, ſed legatur, cum ſit Miſſa Conventualis.

5. Paſſio, quoad fieri poteſt, a tribus Diaconibus in plano; ubi cantatur Evangelium, cantetur; non autem a Diacono vel Subdiacono Miſſæ; multoque minus ab ipſo Celebrante. Satius tamen eſt in defectu Diaconorum, Celebrantem in Altari ad Cornu Epiſtolæ Perſonam Chriſti agere, Diaconum Evangeliſtæ, & Subdiaconum, in Ordine Diaconatus conſtitutum, Turbas repræſentare, quàm,

Digitized by Google

quàm,eumdem Diaconum totamPaſſionem cantare.Quo caſu Subdiaconus Stolàm more Diaconali accipiat, & cum Diacono in eodem Evangelii plano Paſſionem cantent.

6. Si vero Sacrum abſque Miniſtris celebretur, tres Diaconi, vel ſaltem duo in loco ubi cantatur Evanlium, & Celebrans in Altari ad Cornu Epiſtolæ Paſſionem cantent, qua expleta recedunt. Celebrans autem in medio Altaris de more dicit *Munda cor meum*, & in Cornu Evangelii ultimam partem Paſſionis abſque Incenſo (quod in Miſſa etiam Conventuali cantata abſque Diacono & Subdiacono nunquam adhibetur) ibique cantat *Altera autem die*, non ſignans Miſſale, neque ſeipſum, ſed in fine oſculatur illud de more.

7. In Miſſis privatis Sacerdos Paſſionem legit in Cornu Evangelii, omiſſis prius *Munda cor meum*, *Dominus vobiſcum*, & ſigno Crucis. Ad verba *Jeſus autem exclamans voce magna emiſit ſpiritum*. genua flectit versùs Miſſale, & aliquantulum pauſat, capite inclinato. Poſtmodùm ſurgit, & in medio dicit *Munda cor meum*... de more. In fine Miſſæ legit Evangelium *Cùm appropinquaſſet*, ut in benedictione Palmarum, nec extinguntur Cerei Altaris cùm in privata, tum in Solemni Miſſa, dum dicitur Paſſio.

CAPUT XII.

De Feria V. in Cœna Domini.

1. ALtare Majus cum Vaſis florum, & Oſtenſoriis Sacrarum Reliquarum tantùm, excluſis Sanctorum Imaginibus ſummo mane nobilioribus induatur Paramentis albis, ſed Pallio albo ſuperponatur aliud violaceum, poſt Nonam amovendum. Suppedaneum, & gradus Altaris rubro, vel verſicolori obducantur tapete;

Scamnum verò pro Celebrante, & Sacris Miniſtris panno viridi. Crux in eodem Altari Velo obtecta albo, licèt Altaria minora una cum eorum Crucibus remaneant cum ſuis Paramentis violaceis.

2. Super Abacum, præter conſueta pro Miſſa Solemni, duæ collocentur Hoſtiæ grandioris formæ tempore ſuo conſecrandæ. Calix item amplior, cæteriſque pulchrior cum Palla, & Patena, Velo parvo ex pretioſioribus albi coloris, & vitta ſerica pariter alba pro firmando dicto Velo Calicis, in quo Sacratiſſima reponenda eſt Hoſtia. Alterum paretur Velum album ſericum oblongum & pulcherrimum, præter illud Subdiaconi, pro delatione SS. Sacramenti. Pyxis inſuper cum plurimis intùs particulis conſecrandis pro Communione generali. Ac tamdem alius Calix cum vino pro purificatione eorum, qui ſunt in Sacris conſtituti, & Vas unum, ſeu plura pro cæteris, unà cum Mappulis ad os extergendum, necnon Linteum magnum lineum mundiſſimum, ante Communicandos extendendum.

3. A latere Epiſtolæ extra Presbyterium præparetur Baldachinum perpulchrum cum Umbella ſerica albi coloris, & prope Credentiam Crux Proceſſionalis tecta Velo violaceo, & non albo. In Sacriſtia verò pretioſiora aptentur Indumenta Miſſalia albi coloris, Planeta nimirùm, & Pluviale, Dalmatica, & Tunicella pro Sacris Miniſtris, & altera Tunicella cum Alba ſine Manipulo pro alio Subdiacono Crucem in Proceſſione delaturo. Plures item ſint Cottæ pro Sacerdotibus Haſtas Baldachini elevaturis, & aliis Miniſtris. Duo inſuper Candelabra cum Cereis, & Thuribula cum Naviculis. Denique parentur in Choro nonnullæ Stolæ Presbyterales, & Diaconales albi coloris pro Sacerdotibus, & Diaconis communicaturis; & Candelæ albæ in ſufficienti numero cum octo ad minus Intortitiis pro Proceſſione.

4. Præ-

Digitized by Google

4. Præparetur etiam intrà Eccleſiam aliquod Sacellum, non Theatrum ad inſtar ſcenæ, ab eo Altari, in quo Sacrificium fuit peractum, omninò diſtinctum, illudque, quàm maxima fieri poterit magnificentia ornetur pretioſis Velis, non nigris neque violaceis aut altero obſcuro colore, multis luminibus, floribus, aliiſque Solemnitatem, & ſplendorem indicantibus. In eo erigatur Altare cum ſex Candelabris, ac totidem Cereis albis, ſed abſque Reliquiis, aut Imaginibus Sanctorum: Collocari tamen ibidem poſſunt Angelorum ſimulachra candelas præ manibus habentia. Verùm Perſonæ, Larvæ, aut quæcumque figuræ, Myſteria etiam Paſſionis exhibentes penitùs eliminentur.

5. Sit prætereà ſuper illud Altare Capſula ad inſtar Arcæ, vel Sepulchri affabrè elaborata, auroque, vel argento intus, & extra illita, quin Oſtiolum ejus ſit vitreum, ſed ejuſdem materiæ; itaut SS. Sacramentum in Calice repoſitum nullo pacto videri poſſit. Illa verò collocetur in eminenti loco, habeatque deſuper Baldachinum album, niſi ratione apparatus variis undique picturis ornati ſuperfluum videatur.

6. Prædictis omnibus diſpoſitis, hora competenti dicuntur Horæ Minores gravi, & humili voce ſine cantu, duabus ſuper Altare ardentibus Candelis; & interim, dum legitur Nona, Localis Superior, & Miniſtri Indumenta Miſſalia in Sacrario de more ſumunt. Tum expleta Nona, omnes Cerei Altaris & Ceroferariorum accenduntur, & amovetur Pallium violaceum, & album apparet: (Hodie egredientibus è Sacrario pro Miſſa non miniſtratur Aqua luſtralis) Inde proceditur ad Miſſam, in qua omittitur Pſalmus *Judica me Deus* cum ℣. *Gloria Patri*, tam ad Introitum, quàm ad finem Pſalmi *Lavabo*.

7. Intonato ſolemniter a Celebrante *Gloria in Excelſis Deo*, pulſantur Organa, & Campanæ cùm minores

nores intra Eccleſiam, tum majores in Turri Campanaria, quæ deinde ſilent uſque ad Sabbatum Sanctum ad ejuſdem Hymni Angelici intonationem. Nec earum loco, niſi pro Salutatione Angelica, Diviniſque indicandis Officiis, adhibetur inſtrumentum ligneum, Crotalum dictum. Poſt Hymnum unica dicitur Oratio, etiamſi Simplex occurrat, & Graduale ita lentè cantatur, ut Celebrans eo tempore commodè Evangelium legere poſſit, benedicere Incenſum, & Diaconum, quin ſilentium interponatur.

8. Quo tempore Subdiaconus Calicem cum Palla, Patena, ac duabus deſuper Hoſtiis magnis, ſine Velo parvo, ex Abaco ad Altare defert, coopertum Velo à collo ſibi pendente; eodem tempore Cæremoniarius poſt eum geſtat Pyxidem cum pluribus intus Particulis conſecrandis, pariter tectam, quam Diaconus ſuper Corporale reponit, & cum Celebrans dicit *Suſcipe Sancte Pater*.. diſcooperit illam, & aliquantum elevat, ac ſtatim ſuper Altare intra Corporale collocat, & operit; & iterum ad conſecrationem eam detegit, & poſtea claudit.

9. Dicto *Sanctus*, quatuor ad ſummum, vel duo ad minus Miniſtri Cottis induti ad Altare cum Funalibus Ceræ albæ ardentibus accedunt; ibique factis debitis reverentiis, genuflexi permanent hinc inde a lateribus Subdiaconi extra Tapetum, uſque dum fiat Proceſſio. Et cùm Sacram Communionem ſunt accepturi, alios ſibi ſubſtituunt, qui dicta Intortitia ſuſtineant, ac deinde Sacro refecti pabulo eadem reſumunt.

10. Sacri Miniſtri, dicto ter *Agnus Dei* de more, quia *Pax* non datur, etſi tres ſequentes Orationes dicantur, ſtatim loca immutant. Diaconus ad Miſſale cum debitis genuflexionibus accedit; Subdiaconus verò ad dexteram Celebrantis, ubi Calicem, quando opus eſt, diſcooperit, & operit. Hauſto diligentiùs Sanguine, Subdiaconus Palla tegit Calicem, eumque collocat verſùs

ſùs cornu Evangelii ſuper Corporale. Tum ad ſiniſtram Celebrantis cum genuflexione in acceſſu, & receſſu, & non in medio, ſe confert; Diaconus autem ad dexteram. Et interim Cæremoniarius abſque Velo humerali è Credentia ad Altare defert Calicem magnum, & pretioſum cum Palla, Patena, & Velo parvo, quem Diaconus accipiens ſuper Altare reponit, & diſcooperit. Quo facto, Celebrans cum Miniſtris genuflectit, ſurgit, ac reverenter alteram Hoſtiam conſecratam in dicto Calice reponit, quem Diaconus elevatum ſuſtinet, & poſtea ſuper Altare in medio Corporalis collocat.

11. Poſt hæc Celebrans cum Miniſtris Sacris flexo iterum poplite Sacramentum adorat, ac ſtatim retrahit ſe a parte Evangelii, ubi ſuper Suppedaneum genuflexus remanet. Mox Diaconus accedens ad medium genuflectit, & prius Palla, deinde Patena inverſa prædictum Calicem cooperit, ac deſuper Velum enunciatum expandit, vitta ligat, ac in medio Altaris prope Secretarum Tabellam collocat; itaut detur locus Pyxidi, quam Diaconus ſtatim, non omiſſa prius & poſtea genuflexione, ante prædictum Calicem ponit, & diſcooperit.

12. Celebrans, aperta Pyxide, ut ſupra, & genuflexione facta in medio cum Subdiacono, retrahit ſe ad cornu Evangelii verſa facie ad partem Epiſtolæ, & Subdiaconus ſtat poſt ipſum. Diaconus verò poſtquàm Pyxidem aperuit, genuflectit, & deſcendit in planum per gradus laterales ad cornu Epiſtolæ; ibique ſtans inclinatus versùs Celebrantem, manibus junctis cantat Confeſſionem in Tono, & Notis conſuetis, genuflexis omnibus, quia ſunt Communionem accepturi. Finita Confeſſione, Celebrans adhuc ſtans in cornu Evangelii voce intelligibili dicit *Miſereatur veſtri*... & *Indulgentiam*... producto de more ſigno Crucis; cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen*.

13. Sa-

13. Sacri Miniſtri, Abſolutione impertita, mox in locis ſuis genuflectunt, & ad medium Altaris accedunt, ubi genuflexi ſuper Suppedaneum Sacram Communionem præſtolantur. Et interim duo Acolythi Cottis induti Mantile album genuflexi ſuſtinent ante Communicandos, hinc inde ambabus manibus, facie ſibi invicem verſa, quouſque completa fuerit Communio. Celebrans verò poſt datam Abſolutionem convertit ſe ad medium Altaris versùs Sacramentum, ibique unicum genu flectit; deinde ſiniſtra manu accepta Pyxide, & dextera una ex Particulis conſecratis, quam tenet aliquantulùm elevatam ſuper dictam Pyxidem, dicit de more ad Communicandos converſus *Ecce Agnus Dei ... Domine non ſum dignus ...* quod cæteri percutiendo ſibi pectus ſecretò proferunt.

14. Deinde Communionem primùm Diacono, & Subdiacono præbet, qua ſumta, & genuflexione peracta, ad cornu Epiſtolæ ſe conferunt, ubi Sacriſta, vel alius Miniſter in Sacris ad minus conſtitutus Calicem cum vino, & Mappula ad os tergendum miniſtrat Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis; cæteris autem Purificationem in Vaſe non ſacro porrigit Acolythus. Tum ad latera Celebrantis redeunt Sacri Miniſtri; Diaconus quidem ad dexteram, ut Patenam in Communione ſupponat iis, qui ſunt in Sacris: Subdiaconus verò ad ſiniſtram.

15. Accedunt inde Fratres bini & bini per latus Evangelii, manibus junctis; Digniores primùm Sacerdotes, inde Diaconi, & Subdiaconi, poſtea Cæremoniarum Magiſter, & Acolythi; ac tandem cæteri Religioſi. Presbyteri cum Stola alba a collo pendente, Diaconi verò ab humero ſiniſtro, procedunt. Cùm autem ad Altare pervenerint, præmiſſa genuflexione in plano cum profunda capitis & humerorum inclinatione, ſuperiorem Altaris gradum conſcendunt, ibique ſuper Suppedaneum genuflexi Sacram Communionem devotè accipiunt. Qua refe-

refecti, ne terga Sacramento vertant, per latera deſcendunt, ita ut in medio excipiantur ab iis, qui communicaturi ſunt; ac deinde repetita genuflexione in plano, quin ad invicem ſeſe conſalutent, ad cornu Epiſtolæ purificationem ſumturi ſe recipiunt, & inde in Chorum; qui Hymnum *Pange lingua*, vel quid ſimile minimè cantant.

16. Expleta Communione Cleri, Celebrans medius inter Sacros Miniſtros, anteriores fimbrias Veſtium elevantes, ad Cancellos Populum utriuſque ſexus communicaturus pergit. Poſtea a Choro cantatur Communio *Dominus Jeſus*... Tum Celebrans ſupra Corporale Pyxidem reponit, & advertit ne quid fragmenti digitis inhæreat, & genuflexione facta ab Altari deſcendit, genuflexuſque cum Subdiacono ſuper Suppedaneum remanet, donec Sacra Pyxis a Diacono in Tabernaculo cum debitis reverentiis recondatur, & claudatur Oſtiolum. Tunc aſſurgit, & repetita genuflexione, purificationem, & ablutionem ſumit in medio, ac Miſſam abſolvit, ſervatis Ritibus, & genuflexionibus coram SS. Sacramento. Dirigitur tandem Supplicatio intrà Eccleſiam Ritu & Ordine in cap. XII. part. I. enunciato.

CAPUT XIII.

De Altarium Denudatione.

1. COmpleta Proceſſione, Celebrans cum Miniſtris deponit paramenta Miſſalia, ipſe verò ſuper Albam Stolam violaceam in modum Crucis ante pectus induit, Veſperis aſſiſtit, & Orationem *Reſpice* in ultimo dicit. Quæ Veſperæ dicuntur in Choro gravi, & humili voce, ſine cantu, cum iiſdem ſex Candelis accenſis; Quibus expletis, & extinctis ſuper Altare Candelis, unà cum

Diacono Stolam ſuper ſiniſtrum humerum, & Subdiacono ſolam Albam, omnes ſine Manipulis induti, coperto capite ad Aram Principem, manibus junctis omnes unus poſt alium procedunt, præeuntibus tribus Acolythis, inde Cæremoniario; hi quatuor detecto capite, manibuſque junctis.

2. Ubi ad Altare pervenerint, Crucem cum genuflexione, Celebrans verò profunda capitis inclinatione ſalutant. Deinde medius inter Sacros Miniſtros Altare aſcendit, ubi incipiens denudationem, ſimùl incipit mediocri voce ſine cantu Antiphonam *Diviſerunt ſibi* quam duo Cantores in Choro eadem voce proſequuntur. Tum iidem ſine cantu intonant Pſalmum 21. *Deus, Deus meus, reſpice in me*, quem Chorus nudo capite ſtans, ad finem lentè, celeriùſve perducit pro numero Altarium, repetita in ultimo Antiphona. Si verò priùs denudatione finiatur Pſalmus, non ideò repetitur, quamvis curandum ſit, ut unà cum denudatione terminetur.

3. Celebrans autem, inchoata Antiphona, illam eodem tempore quo Chorus, cum Sacris Miniſtris demiſſa voce proſequitur, ac etiam cum ipſis alternatim recitat integrum Pſalmum, in cujus fine ſimùl repetunt Antiphonam. Interim denudans Altare, amovet primò Tobaleas, mox Pallium, inde alia ornamenta, relicta dumtaxat Cruce Velo violaceo obducta cum Candelabris. Poſteà denudaturus pergit Sacella minora, exhibita ſemper debita reverentia Altari, ante & poſt actionem, in qua adjuvatur cùm a Sacris, tum ab inferioribus Miniſtris.

4. Completa Altarium denudatione totoque Pſalmo, & Antiphona ante Altare majus repetita, ſignum datur Salutationis Angelicæ cum Crotalo, & interim omnes genuflexi orant. Surgunt poſtea omnes, & adorant unico genu Crucem, quæ ex nunc uſque ad Nonam Sabbati Sancti incluſivè cum genuflexione adoratur ab omni-

bus

bus etiam Celebrante parato; quæ genuflexio etiam in Cappella Papali, & a S. R. E. Cardinalibus, & ab eodem Summo Pontifice in hoc triduo ſervatur, & diſcedunt. Sacriſta autem cum aliis Miniſtris perfectiùs, & commodiùs denudat Altaria, Eccleſiam, Chorum, Suggeſtum, Credentiam, Scamna &c. & omnia in loca ſua reponit. Ciborium vel omninò nudum relinquitur, vel Conopæo violaceo cooperitur; ejuſque Oſtiolum apertum ſemper remanet. Lampades, & Cerei, ſi qui ſunt per Eccleſiam accenſi, extiguntur, illis dumtaxat relictis, qui coram SS. Sacramento ardent. Aqua tamen luſtralis e fontibus Eccleſiæ minimè removetur, cùm ſuper hoc nulla habeatur Rubrica, nullum Decretum; imò ex iiſdem oppoſitum eruatur. Unde *Aqua benedicta*, ut inquit Alexander I. Can. *Aquam*, de Conſecr. diſt. 3. *Sale admixto perpetuò in Eccleſia aſſervetur, ut Fideles Eccleſiam ingredientes ſtatim aſpergi poſſint, & a levioribus noxis mundari*. Nihilominus in Urbis Baſilicis diverſa Praxis ſervatur.

CAPUT XIV.

De Mandato, ſeu lotione pedum.

1. SAcra lotionis pedum actio, a Chriſto Domino humilitatis Magiſtro verbo & exemplo tradita, in inſignioribus ſaltem Eccleſiis, & ubi fuerit ſufficiens Fratrum numerus, quàm devotiſſimè, & mundiſſimè fiat. Paretur itaque in aliquo Eccleſiæ Sacello, ſeu in Aula Capitulari, vel alio loco conſueto, & idoneo Altare cum floribus, & Cruce velo albo contecta, & ſex Candelabris cum totidem Cereis albis hinc inde diſpoſitis. Pallio albo, & pretioſo obducatur frons dicti Altaris; Suppedaneum verò, & gradus tapete rubro, vel alio concolore.

2. Abacus item in parte Epiſtolæ apponatur, Map-

Digitized by Google

pâ mundâ undequaque coopertus, cum Miſſali deſuper, & libro Evangeliorum tegmine albo exornatis. Eidem ſuperponantur Linteum amplum, & pulchrum, quo præcingatur Celebrans; plures Pelves cum Urceis aqua aliquanulum calida odorifera, & frigida implendis; aliud Vas magnum, in quod poſt cujuſvis pedis lotionem aqua Pelvium effundatur. Adſit tamdem alia Lanx cum tredecim Mappulis ad extergendos pedes, & alia cum tribus Manutergiis pro exterſione manuum Celebrantis, & Miniſtrorum, expleta lotione pedum. Prædicta autem Vaſa argentea ſint, ſi fieri poteſt, vel ſaltem nitidiſſima, & totus ille locus floribus, herbiſque odoriferis aſpergatur.

3. Præparetur etiam a parte Evangelii Legile, Pallio ſerico albo, ſeu auriphrygiato veſtitum, & aliud magnum nudum in medio contra Altare cum Libro deſuper pro Cantoribus. In eodem Evangelii latere extendatur ſuper Scamnum oblongum præaltum cum Dorſuali pannus viridis, ita ut in terram defluat; vel ſternatur tapes magnus, ne Celebrans & Miniſtri genuflexi ſacras Veſtes in ablutione pedum maculent.

4. In Sacrario denique tres parentur Amictus, Albæ, & Cingula; Stola item, & Pluviale coloris violacei pro Celebrante, Dalmatica cum Stola, & Manipulo albi coloris pro Diacono, necnon Tunicella cum Manipulo ejuſdem coloris pro Subdiacono. Deinde Crux Proceſſionalis, velo tecta violaceo; Thuribulum cum Navicula, Vas cum prunis ardentibus, Candelabra duo cum totidem Cereis albis, & ſuperpellicea pro Miniſtris inferioribus.

5. Quibus diſpoſitis, hora competenti, hoc eſt vel poſt denudationem Altarium, vel poſt conſuetam refectionem ante Matutinum conveniunt univerſi in Sacriſtiam ad ſignum Crotali; ubi Diaconus, & Subdiaconus qui Miſſæ miniſtrarunt jam parati uſque ad Manipulos exclu-

excluſivè, Superiorem Sacris induunt Veſtibus, deinde Manipulos accipiunt: & interim accenduntur Candelæ Altaris, & Ceroferariorum, & admonentur illi, quorum lavandi ſunt pedes, ut pergant ad ſuum Scamnum. Porrò ii tredecim vel Religioſorum ſint ultimi conſueto Ordinis habitu amicti, vel tredecim Pauperes novis Veſtibus albi coloris induti, quibus præter eleemoſynam cibus, & potus hora debita tribuatur: habeant omnes jam antea abſterſum dexterum pedem pro lotione denudatum.

6. Celebrans paratus imponit, & benedicit Thus de more, miniſtrante Diacono Naviculam cum oſculis, & Thuriferario Thuribulum. Tum facta Cruci, vel Imagini Sacriſtiæ inclinatione capite aperto, ad locum Mandati hoc procedunt ordine. Viam ſternit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, & Navicula a ſiniſtris; inde Crux, velo obducta violaceo, inter Ceroferarios a Subdiacono delata; nunc Cæremoniarius, & Clerus, omnes nudo capite; & tamdem Celebrans cum Diacono a ſiniſtris ipſius, junctis manibus, & tecto capite medius inter eumdem Diaconum, & Subdiaconum Pluvialis fimbrias elevantes, ſi fortè Crux non deferatur.

7. Statim ac ad locum præparatum devenerint, Subdiaconus, ſi Crucem gerat, illam prope Altare deponit in cornu Evangelii. Ceroferarii verò hinc inde a lateribus Altaris in plano expectant Celebrantem. Et Clerus, exhibita Altari cum genuflexione reverentia, in duas dividitur partes, & accedit vel totus, vel pars ad Legile magnum, extra Scamnum eorum quibus lavandi erunt Pedes in medio contra Altare collocatum, ubi Antiphonas, Pſalmos, & Verſus tempore lotionis decantat.

8. Celebrans, detecto capite cum Miniſtris, Crucem in Altari cum genuflexione ſalutat ſtatimque ad ſcamnum panno violaceo coopertum ad latus Epiſtolæ accedit,

dit, ubi ſtat, Diaconus verò miniſtrat Incenſum cum ſolitis oſculis, quod Celebrans de more immittit in Thuribulum cum benedictione. Tum accipit librum Evangeliorum, & genuflexus coram Celebrante, petit ab eo Benedictionem, & cum Subdiacono, aliiſque Miniſtris accedit ad Legile paratum, ubi de more ſignat, thurificat, & cantat Evangelium *Ante diem Feſtum Paſchæ...* ſtantibus hinc inde a lateribus Legilis duobus Ceroferariis cum Candelabris ardentibus, & faciebus ad Diaconum verſis. Subdiaconus verò a tergo Legilis ambabus manibus retinet Librum, quem poſteà oſculandum defert Celebranti ſcamno ad idem latùs Epiſtolæ adſtanti, nullam ei reverentiam exhibens, niſi poſt Evangelii oſculum. Subinde Diaconus, recedentibus Acolythis ad Abacum, ubi Candelabra deponunt, triplici ductu thurificat Celebrantem.

9. Poſtmodùm exhibitis Cruci debitis reverentiis, retrahunt ſe cuncti extra cornu Epiſtolæ, ubi Diaconus, & Subdiaconus, dimiſſis prius Manipulis, Celebrantem Pluviali exuunt, & linteo magno præcingunt. Quo præcinctus accedit medius inter Sacros Miniſtros ad primum in ordine, proximiorem Altari, ſedentem tecto capite. Cui Celebrans dexterum pedem genuflexus, & nudo capite lavat, tergit, & oſculatur abſque ullo ſigno Crucis, tradens ei ſubinde congruentem eleemoſynam, ſi fuerit Pauper. Diaconus autem tunc a dexteris Celebrantis genuflexus Linteum præbet ad abſtergendum; Subdiaconus verò a ſiniſtris pariter genuflexus dum Celebrans lavat, & tergit, ſingulorum pedem dexterum paululùm tenet elevatum. Acolythi Pelvim, & aquam miniſtrant, & Thuriferarius mutat aquam, & alia pro actione præſtat. Et interim cantantur Antiphonæ cum Pſalmis, prout in Miſſali.

10. Completa lotione pedum, Celebrans lavat manus quas medulla panis, & linteo abſtergit extra latus

tus Epiſtolæ propè Credentiam, miniſtrantibus Manutergium Diacono, & Subdiacono, qui ſubinde manus etiam lavant, & uno Acolytho Lancem cum Urceo aqua odorifera pleno, altero autem pelviculam cum mica panis. Mox per Sacros Miniſtros Celebrans exuitur Linteo, quo erat præcinctus; rediensque cum ipſis, & Ceroferariis ad latus Epiſtolæ in plano, ibidem Pluviale reſumit miniſterio Diaconi, & Subdiaconi. Celebrans inde ante medium Altaris in plano accedit, ubi ſtans nudo capite, manibuſque junctis inter Sacros Miniſtros, Librum hinc inde apertum ſuſtinentes, & inter Ceroferarios Candelabra cum candelis accenſis deferentes, in cantu dicit *Pater noſter*, quod ſecretè complet, uſque ad ℣. *Et ne nos inducas* ... quem altè pronuntiat, deinde ℣℣. & Orationem, prout in Miſſali. Quibus finitis, eodem ordine, quo ad Altare venerunt, in Sacrarium remeant, præcedente tamen Acolytho ſine Thuribulo, & mox denudatur Altare ad inſtar aliorum.

11. Omnes de Clero Euchariſtiam ſumant de manu Celebrantis in Feria V. in Cœna Donini. S. R. C. 27. Sept. 1608.

12. Clavis Hoſtiæ repoſitæ in Feria V. in Cœna Domini, non debet dari Laico, quantumvis Nobili. Sac. R. C. 30. Jan. 1610.

13. Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere extra Eccleſiam in Feria V. in Cœna Domini. S. R. C. 11. Decem. 1613.

14. Miſſa in Feria V. Majoris Hebdomadæ non poteſt celebrari in Oratoriis privatis, & Confraternitatum. S. R. C. 8. Febr. 1653. vide n. ſequenti.

15. Non licet in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur SS. Sacramentum, celebratio Miſſæ in Feria V. in Cœna Domini, nec ejuſdem Auguſtiſſimi Sacramenti aſſervatio in Sepulchro. S.R.C. 14. Jun. 1659. vide n. antecedenti.

16. Sa-

16. Sacerdotes in die Cœnæ Domini SS. Corpus Chriſti ſumturi, poſſunt deferre Stolam ante pectus in formam Crucis accommodatam, vel a collo pendentem. S. R. C. 30. Sept. 1679.

17. Si Feſtum S. Joſeph occurrat in Feria V. Majoris Hebdomadæ, ejus Officium transferendum erit ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & Decreta Sac. Congr. Cæterùm præceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus non erit transferendum, ſed ſervandum in prædicta Feria V. adeoque per Ordinarios Locorum accuratè providendum, ut eo die aliquæ quidem Miſſæ privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſæ Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint: ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni illius diei, quo Eccleſia SS. Euchariſtiæ Sacramenti inſtitutionem & memoriam recolit, ſumma religione hactenùs retentus, nullatenùs omittatur. S. R. C. 13. Sept. 1692., & confirmatum ab Innocentio XII. Conſtit. quæ incipit *Cum Anno*. Idem dicendum de Annuntiatione B. M. V. 10. Jan. 1693., 12. Sept. 1716., & de quocumque alio Feſto de præcepto in aliqua Diœceſi.

18. Non eſt toleranda conſuetudo quorumdam, qui contra id quod præſcribitur in Miſſali, exponunt Hoſtiam Conſecratam reſervandam Feria V. in Cœna Domini uſque ad ipſius conſumtionem in Feria VI. in Paraſceve. S. R. C. 14. Febr. 1705.

19. In ſecundo Triduo Majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari Exequiæ Defunctorum; & Officium, & preces recitentur privatim. S. R. C. 11. Aug. 1736. & in exequiis Parvulorum poteſt omitti *Gloria Patri* in Pſalmis qui dicuntur pro conformitate temporis. Eadem Sac. R. C. 16. Jan. 1677.

20. Quando Feſtum Annuntiationis B.M.V. transfertur

fertur ſimùl cum præcepto audiendi Sacrum ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, præfertur cuicumque Duplici etiam primæ claſſis eo die occurrenti. Si verò transfertur abſque præcepto audiendi Sacrum, præfertur quidem cuicumque Feſto translato licèt primæ claſſis, non autem Feſtis majoris Ritus & Dignitatis eo die occurrentibus. S. R. C. 2. Sept. 1741. ſive cum præcepto audiendi Miſſam, & abſtinendi ab operibus ſervilibus, ſive abſque eodem præcepto, Officium tamen transfertur in Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, quocumque feſto etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente. Eadem S. R. C. 20. Julii 1748.

21. Permiti poteſt, ut Statua B. M. V. Velo nigro circumdata in nocte Feriæ V. in Cœna Domini cum Jeſu Domino Filio mortuo in gremium depoſito in Eccleſia exponatur, & ſequenti Feria VI. in mane proceſſionaliter cum Pluvialibus nigris deferatur. S. R. C. 21. Marti 1744.

CAPUT XV.

De eadem Feria V. in minoribus Eccleſiis.

1. PRæter ea, quæ ſuperioribus Capitibus enunciata ſunt, quæque aptari queunt, Clericus opportunè accendit ſex Candelas in Ara Majori, aptat Calicem in medio ejus, & poſt illum Pyxidem cum Particulis conſecrandis; in cornu verò Epiſtolæ ſuper Pulvino albo Miſſale apertum collocat, atque removet Pallium violaceum. Deinde finita Nona, Superior Paramentis Miſſalibus albi coloris indutus ad Altare tecto capite, manibuſque junctis cum uno, tribuſve Acolythis procedit, ubi Miſſam cum cantu, ſi fieri poteſt, celebrat, ſin minus cum pauſa legat. Epiſtolam cantat in loco conſueto Acolythus,

thus, prætermiſſo in fine oſculo manus Celebrantis. Evangelium autem cantat ipſe Celebrans ad cornu Evangelii, unà cum *Ite Miſſa eſt*.

2. Priuſquàm unam & alteram Hoſtiam majorem conſecrandam offerat, Pyxidem detegit, atque ad Particulas in ea contentas intentionem etiam dirigit. Inde cooperit, & iterùm verba conſecrationis prolaturus, ante Calicem collocat, & aperit, poſtea occludit, & poſt Calicem ubi prius, reponit. Ab elevatione Sacramenti ad initium uſque Proceſſionis duo adſint Acolythi, ſi fieri poteſt, cum Intortitiis ardentibus. Celebrans, ſumto Sanguine, & cooperto Calice, alterum Calicem amplum ex Abaco ad Altare per Clericum delatum, in medio Corporalis collocat; deinde genuflectit, & alteram Hoſtiam conſecratam reverenter in eo reponit, iterum genuflectit, atque Palla & Patena inverſa operit, Velumque deſuper expandit.

3. Sacram inde Pyxidem præfato Calici opponit, diſcooperit, & adorat; & interim a Choro genuflexo alta voce dicitur *Confiteor*... Cui Sacerdos prævia genuflexione, ad Populum converſus ſubdit *Miſereatur*.... *Indulgentiam*... & de more Communionem primò Cœnobitis ad Altare diſtribuit, deinde Populo ad Cancellos. Qua expleta Pyxidem cooperit, atque in Tabernaculo cum debitis genuflexionibus recondit; poſtea purificationem, & digitorum ablutionem ſumit, & ligato velo Calicis cum Vitta ſerica albi coloris ſupra nodum, Miſſam perficit cum iiſdem Ritibus, & Cæremoniis, ac ſi eſſet expoſitum SS. Sacramentum. Interim Calix Miſſæ ad Credentiam per Clericum defertur, paratur Thuribulum, diſponitur Baldachinum, ſeu Umbella, diſtribuuntur Cerei, & accenduntur Candelæ in Sacello ad hoc præparato.

4. Completa Miſſa, Celebrans poſt debitas reve-

verentias retrahit ſe ad cornu Epiſtolæ, ubi dimiſſis Planeta, & Manipulo, Pluviale albi coloris induit, vel in defectu illius Caſulam retinet, quin ad cornu Epiſtolæ accedat. Deinde per anteriorem viam redit ad medium Altaris, ubi SS. Sacramentum flexo utroque poplite in plano adorat, & ſuper infimum gradum genuflexus triplici ductu thurificat. Tum Velum humerale accipit, Altare conſcendit, genua flectit, & Calicem accipit cum Velo manus cooperiens. Inde ad Populum converſus, inchoatur Hymnus *Pange lingua*, quem cæteri proſequuntur alta voce; Celebrans verò ſub Baldachino a Nobilioribus delato, vel ſaltem ſub Umbella ſerica albi coloris incedens ſubmiſſa voce preces recitat. Crux Proceſſionalis a Religioſo Cotta Amicto defertur, & SS. Sacramentum ab uno ſaltem Acolytho continuò incenſatur.

5. Ubi ad locum præparatum advenerint, hinc inde cuncti ſe diſponunt. Geſtantes autem Baldachinum in locum congruum reponunt, & Crucifer poſtea ſiſtit è regione Sacelli. Celebrans deponit Calicem recto tramite ſuper Corporale extenſum in medio Altaris, & depoſito Velo, genua flectit, & quin terga vertat Sacramento, ab Altari per dexterum latus, deſcendit. Poſtmodum ſtans imponit Incenſum in Thuribulum abſque Benedictione, & oſculis, & Sacramentum genuflexus ter incenſat, cantantibus interim Fratribus ℣. *Tantum ergo Sacramentum*.

6. Thurificatione peracta, Altare denuo aſcendit, & genuflectit, poſtea Calicem in Capſula ſupra Corporale reponit, eamque claudit. Mox in imo gradu parumper oraturus accedit, & repetita genuflexione ambobus genibus in plano, per breviorem viam ordine proceſſionali recedit. Poſt hæc Sacram Pyxidem, in qua ſunt Particulæ pro Infirmis conſecratæ, ad locum decentem, & paratum conſueto ſervato Ritu defert; quo facto

cto in Sacrarium Paramenta dimiſſurus ſe confert, & retenta Alba ſumit Stolam violaceam in modum Crucis de more. Pergit inde ad Chorum, ubi dicto *Pater*, & *Ave* ſecretò, incipit humili voce ſine cantu cum ſigno Crucis Antiphonam Veſperarum, quam Chorus proſequitur, ſicut & Pſalmos in directum. Intonat pariter Antiphonam ad *Magnificat*, Pſalmum *Miſerere*, & in fine genuflexus, & capite aliquantulùm inclinato Orationem *Reſpice quæſumus* recitat.

7. Quibus finitis, procedit ad denudationem Altaris Majoris, adjuvante aliquo Acolytho, dicens Antiphonam *Diviſerunt ſibi* unà cum Pſalmo 21. *Deus*, *Deus meus reſpice in me*, quem interim Chorus nudo capite ſtans proſequitur. Denndatis etiam Sacellis minoribus, ad Altare Majus redit, ubi poſt ultimum ℣. Pſalmi, & repetitionem Antiphonæ, genuflectit cum aliis, dum aliquis dat ſignum ſalutationis Angelicæ cum Crotalo. Surgit deinde, & facta Cruci genuflexione, revertitur in Sacriſtiam, ubi Paramenta deponit.

8. Si fiat Mandatum, Cœnobii Superior diſpoſitis omnibus, quæ parari debent ad lotionem pedum, indutus Amictu, Alba, Cingulo, Manipulo, & Stola albi coloris in forma Crucis ante pectus complicata, tecto capite, præcedente Acolytho, manibus junctis procedit ad Altare, ubi capite diſcooperto Cruci reverentiam cum genu facit: inde Librum Evangeliorum accipiens, eumque ambabus manibus ante pectus ſuſtinens, ſuper Altaris Suppedaneo genuflexus, ibique inclinatus dicit, *Jube Domine*... ſubjungens de more, *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis*.... Poſtmodum pergit in plano Cappellæ ad ſolitum Evangelii locum, ubi depoſito Miſſali ſuper Legile, Velo albo jam pridem cooperto, cum benedictione incenſum ponit in Thuribulo, incenſat ter Librum, redditoque Thuribulo, manibus junctis legit, vel can-

cantat Evangelium, & in fine oſculatur dicens: *Per Evangelica dicta...*: ſtatimque depoſitis Stola, & Manipulo albis, ſumit Stolam violacei coloris, & ſi adſit, induit etiam Pluviale; accedit ad Scamnum panno violaceo coopertum ad latus Epiſtolæ præparatum, ibique in defectu Cantorum legit Antiphonas, Pſalmos, & Verſus, prout in Miſſali: quibus finitis Pluviale deponit, & præcinctus linteo lavat pedes, tergit, & oſculatur, Clericis miniſtrantibus pelvim, aquam, & mappulas. Poſt lotionem lavat manus & abſtergit, linteum deponit, & Pluviale ſumit, ſi adſit: ſtanſque capite detecto ante Altare, vel in eodem Scamno Verſiculos dicit, & Orationem prout in Miſſali.

9. Sanctiſſimo Sacramento in Sacello intra Capſulam adſervato ab omnibus utroque genu flectitur. Et hoc Triduo, ideſt ab expleta Altarium denudatione ad Nonam uſque Sabbati Sancti incluſivè, Cruci quæ eſt in Ara Maxima omnes, etiam Celebrans paratus genuflectere debent: quod ſervatur etiam ab ipſomet Summo Pontifice.

10. Hodie Oleum Sanctum renovatur, & novum ab Epiſcopo Diœceſano accipitur, vetere combuſto, vel in Lampadibus coram Sacramento, vel in igne cum bombyce, cineribus in Sacrarium inde projectis.

CAPUT XVI.

De Feria VI. in Paraſceve.

1. CUM Paraſceve ob Paſſionem, necemque Reparatoris noſtri Jeſu Chriſti dies ſit luctus mœroris, atque triſtitiæ, Ara Princeps cum Suppedaneo, & gradibus ejus, Scamnum pro Celebrante, ac reliqua ſint penitùs denudata, abſque ullis Imaginibus, floribus, tapetibus,

tibus, aut aliis ornamentis Solemnitatem ſapientibus. Tabernaculum SS. Sacramenti ſit pariter nudum. In medio ejuſdem Altaris ſummo mane collocetur Crux lignea grandioris formæ (ſi conſueta parva nimis ſit), & hæc Imaginem habeat proportionatam Chriſti Domini è Cruce pendentis, Velo coopertam violaceo. Sex hinc inde diſponantur Candelabra communia cum totidem Candelis ex cera flava extinctis.

2. Gradus Altaris nudi omninò ſint, ſed mundiſſimi, & ſuper ejuſdem infimum tres ponantur Cuſſini coriacei, vel ex alia materia coloris nigri, vel violacei, parùm inter ſe diſtantes, ſuper quos Celebrans, & Sacri Miniſtri, dum proſtrati erunt, Brachia, & Capita reclinent. Parentur etiam a parte Evangelii tria Legilia nuda pro decantanda Paſſione, & ad latus Epiſtolæ Scamnum oblongum prorsùs denudatum ſuper quo Celebrans, & Sacri Miniſtri ſuo tempore ſedere debeant. Item in aliquo congruo loco præparetur tapes oblongus ſeu pannus violaceus ſuò tempore extendendus pro adoratione Crucis; amplum inſuper Pulvinar ex ſerico villoſo violaceo, auroque elaboratum, ubi Crux erit reponenda, & Velum album ſerico violaceo intertextum ſuper eo explicandum. Et ſi præ confluentis Populi multitudine, per Eccleſiam Sacræ Crucis Imagines adorandæ eſſent, hæc omnia multiplicari poterunt, & aliæ Cruces præparari.

3. Abaco a parte Epiſtolæ erecto Mappa linea munda ſuperponatur, ita tamen, ut a nulla parte pendeat. Ibidem duo Miſſalia adſint cum Cuſſino tegmine nigro veſtita; Burſa nigri itidem coloris cum Corporali, & Purificatorio; Mappa oblonga plicata explicanda ſuper Altare ad initium Officii; Pelvicula cum Ampullis aquæ & vini cum Manutergio; Vas vitreum cum Purificatorio pro ablutione & exterſione digitorum Celebrantis, ſi fortè Sacramentum ſuper Patenam deponens tige-

Digitized by Google

tigerit; Stola latior nigri coloris, qua Diaconus utetur in decantanda ultima parte Paſſionis, Proceſſione, ac reliquo Officio uſque ad finem. Collocentur denique in eo Candelabra duo Ceroferariorum cum totidem Cereis albis extinctis, Proceſſioni tantum deſervientibus, duo Thuribula cum Naviculis; Velum parvum nigrum pro cooperiendo & reportando Calice ad Credentiam poſt Officium. Sex, vel quatuor Candelæ ex cera alba tradendæ Baldachini delateribus poſt regreſſum Proceſſionis; &, ubi eſt conſuetudo, Lanx argentea ad recipiendas oblationes, quæ a Populo offeruntur Cruci in ipſius adoratione. Vas quoque ſuo tempore paretur prope eamdem Credentiam cum prunis ardentibus; & poſt denudationem Crucis Aræ Majoris, Crux Proceſſionalis pariter denudata.

4. In Sacriſtia præſtò ſint Paramenta nigri, vel in eorum defectu, violacei coloris pro Celebrante; & Sacris Miniſtris, tres nempe Amictus, Albæ, Cingula, Planetæ, quarum duæ ſint ante pectus plicatæ, prima pro Diacono, ſecunda pro Subdiacono Miſſæ, Crucem etiam in Proceſſione delaturo: Stola una Diaconalis, & altera Presbyteralis cum tribus Manipulis. Item præparentur pro tribus Diaconis, qui Paſſionem ſunt cantaturi, tres alii Amictus, Albæ, Cingula, Stolæ communes, latioreſque, & totidem Manipuli pariter nigri coloris. Denique ſuis diſponantur locis plures Cottæ pro Magiſtro Cæremoniarum, Thuriferariis, Ceroferariis, Baldacchinum deferentibus, & pro illis, qui Intortitia, & Umbellam deferent: & tria Miſſalia pro Paſſione decantanda, vel potiùs tres Codices, in quibus diligenter notata ſit Paſſio.

5. Poſtremò propè Sacellum, in quo reconditum eſt in Sepulchro SS. Sacramentum apponantur Baldachinum, Umbella ſerica, & Velum humerale albi coloris pro Supplicatione. Item parentur in ſupradicto

Sacel-

Sacello Cerei albi juxta numerum Cœnobitarum, & octo intortitia ad utrumque Baldachini latus deferenda.

6. Hora competenti dicuntur in Choro Horæ diurnæ in directum, & voce humili, ſine lumine ad Altare. Et interim Superior, Digniorvè ex Patribus, fuſis ad Deum precibus, quin Pſalmum *Quàm dilecta* cum aliis recitet, Miſſalibus Defunctorum Paramentis (haud omiſſis conſuetis Orationibus, & oſculis) induitur per Diaconum, & Subdiaconum, qui Manipulos, indè Diaconus Stolam, Planetaſque plicatas, vel in Eccleſiis minoribus Manipulos dumtaxat, Diaconus vero etiam Stolam, deſumunt. Tum expleta Nona, viam versùs Aram Principem dirigunt, præeunte gravi, & decoro inceſſu Thuriferario abſque Thuribulo, inde Acolythi pariter ſine Candelabris, cum Cæremoniario nudo capite, manibuſque junctis. Succedunt Miniſtri Sacri unus poſt alium, & ultimò Celebrans, manus quidem, prout illi, junctas habens, ſed caput opertum.

7. Ad Altare perventi, omnes in recta linea in conſpectu ejuſdem conſiſtunt, ſed Miniſtri inferiores a tergo Celebrantis, debito interpoſito ſpatio. Mox denudatis Cervicibus, Crucem prius cum genuflexione ſalutant, etiam Celebrans. Indè in plano ſolo genibus poſitis, capite verò, & brachiis ſuper Cuſſinos in imo Altaris gradu pridem diſpoſitos reclinatis, prolixiùs ſolito, videlicet per ſpatium unius *Miſerere*, ſic proſtrati orant. Quo tempore omnes quà in Eccleſia, quà in Choro exiſtentes pariter genuflectunt, & Deum deprecantur, quin ſeſe proſternant.

8. Duo ex Acolythis unà cum Cæremoniario, breviori facta oratione, aſſurgunt, Cruci genuflectunt, & ſumta ex Abaco Tobalea plicata oblonga, eam, exhibita priùs Cruci reverentia, ſuper Altare extendunt; ita tamen, ut parùm hinc indè pendeat. Cæremoniarius, Mappa explicata, Miſſale apertum cum Cuſſino nigri,

vel

vel violacei coloris cornu Epiſtolæ ſuperponit; ac deinde, tranſacto orationis tempore, ut ſuprà, nutu admonet Celebrantem, & Miniſtros, qui ſtatim, quemadmodùm & alii omnes, ab oratione ſurgunt, & amotis ab Acolythis Pulvinaribus, Altare conſcendunt, quod ſolus Celebrans in medio deoſculatur, Miniſtris hinc inde genuflectentibus.

9. Poſt hæc Celebrans accedit ad cornu Epiſtoſtolæ, ubi ſtantibus, ut ad Introitum Miſſæ, Sacris Miniſtris, ſubmiſſa voce legit Prophetiam ſine Titulo, in cujus fine non reſpondetur *Deo gratias*, deinde Tractum. Acolythi verò apud Credentiam conſiſtunt, & Choro ſe uniformant. Interim Lector aliquis Superpelliceo amictus, accepto a Cæremoniario Libro, cum ipſo a ſiniſtris comitante, & aſſiſtente accedit ad medium Altaris, & genuflectit; deinde in conſueto loco Epiſtolæ, ſibi ipſi Librum ſuſtinens Lectionem in Tono Prophetiarum ſine Titulo decantat, inflectendo aliquantulùm vocem in fine. Advertat autem, ne prædictam Prophetiam priùs cantare inchoet, quàm Celebrans illam ſubmiſſa voce incœperit, & Chorus in Stallis ſuis conſederit. Qua finita, & factis iterùm debitis reverentiis, revertitur ad locum ſuum, quin manum Celebrantis oſculaturus, & ab eo Benedictionem accepturus pergat, relinquendo Librum in manibus Cæremoniarii, & mox a Choro cantatur Tractus *Domine audivi...* quo tempore ſedere valebit Celebrans cum ſuis Miniſtris ſuper Scamnum nudum in cornu Epiſtolæ præparatum.

10. Finito Tractu, aſſurgunt omnes, & Celebrans per breviorem viam redit ad idem cornu Epiſtolæ, ubi retrò ſtantibus Sacris Miniſtris, uno poſt alium, abſolutè dicit *Oremus*, manus interim jungendo, & caput versùs Crucem inclinando. Tum Diaconus a tergo Celebrantis genuflexus cantat *Flectamus genua*, ſtatim-

 que

Digitized by Google

que omnes cum eo pariter genua flectunt, ſolo Celebrante excepto: Subdiaconus verò poſt Diaconum ſtans mox ſubdit *Levate*, & omnes ſurgunt; poſtea Celebrans extenſis manibus cantat Orationem *Deus a quo & Judas...* in Tono uniformi, & Feriali, ad quam Sacri Miniſtri ſtant adhuc retro Celebrantem, prout etiam omnes in Choro ſtare debent capite aperto. Quod in pari caſu ſemper eodem modo ſervatur.

11. Dum Celebrans dicit Orationem, Subdiaconus ad Credentiam ſe confert, ubi dimiſſa Planeta plicata, ſi ea utitur, Librum e manibus Cæremoniarii accipit, & cum eodem a ſiniſtris genuflexurus vadit Altari, inde in loco conſueto Lectionem cantaturus in Tono Epiſtolæ, tenens ſibi Librum. Chorus interim tecto capite ſedet, & Celebrans eandem Lectionem cum ſubſequenti Tractu ſubmiſſa voce legit, aſſiſtente ſibi Diacono a dexteris, qui tamen in fine non reſpondet *Deo gratias*. Finita Epiſtola, canitur a Choro Tractus *Eripe me ...* Subdiaconus verò, genuflexione repetita, rectà pergit ad Abacum Planetam reſumturus, abſque oſculo manus, & Benedictione Celebrantis; ac deinde aſſiſtit a dexteris Diaconi, ut in Introitu Miſſæ, niſi ipſe Celebrans ſedeat ad Tractum.

12. Dum per Chorum canitur Tractus, tres Diaconi, qui Paſſionem ſunt cantaturi, parantur in Sacriſtia Amictu, Alba, Cingulo, Stola Diaconali communi, & latiori, & Manipulo nigri coloris; & circa finem ejuſdem Tractus, eodem ordine, quo dictum fuit in Dominica Palmarum, ad Altare procedunt, cantantque Paſſionem. Cùm inchoatut, aſſurgunt omnes, & ſtant detecto capite uſque ad ejus finem: & Celebrans eandem integrè legit ſubmiſſa voce in cornu Epiſtolæ, aliquantulùm ad ipſos Cantores converſus, & aſſiſtentibus ſibi Sacris Miniſtris, ut ad Introitum Miſſæ. Dum autem privatè

vatè legit *Et inclinato capite, tradidit Spiritum*, genuflectit, & immediatè ſurgit, & Paſſionem proſequitur; ad cujus Evangelium, ſeu illam partem, quæ loco Evangelii habetur, cùm pervenerit, in eodem cornu Epiſtolæ profundè inclinatus dicit *Munda cor meum...* omiſſo *Jube Domine...* & reliquum Paſſionis legit, convertens ſe inde totum ad Cantores, & genuflectens, dùm Evangeliſta cantat *Tradidit Spiritum*, prout dictum eſt ſuprà in Dominica Palmarum.

13. Paſſione expleta, Cantores cum debitis reverentiis in Sacrarium ſe recipiunt, & omnes ſedent. Diaconus verò Evangelii, depoſita ſuper Credentiam Planeta, ſumtaque latiori Stola nigri coloris, Librum de more ad Altare defert, deinde genuflexus dicit *Munda cor meum*, Librum reſumit, ſtatimque, nulla petita Benedictione, ad locum conſuetum vadit cum Subdiacono, & duobus Acolythis ſine Candelabris, & Thuribulo, ubi abſolutè cantat reliquum Paſſionis in Tono Evangelii. Tunc aſſurgunt omnes, detecto capite, & Celebrans ſtat manibus junctis in eodem cornu Epiſtolæ, converſa facie ad Diaconum.

14. Dicto Evangelio, revertuntur omnes cum debitis reverentiis ad loca ſua, prætermiſso oſculo Libri, & thurificatione Sacerdotis; & Diaconus in eodem habitu, ſcilicet Stola latiori remanet ad finem uſque Officii. Celebrans autem mox ad Altare ſeſe convertit, & in eodem cornu Epiſtolæ incipit abſolutè junctis manibus primam Monitionem *Oremus Dilectiſſimi*, ut in Miſſali, retro ipſum ſtantibus Sacris Miniſtris, prout ad Orationes Miſſæ. Qua finita, extendens & jungens manus, caputque Cruci inclinans ſubdit *Oremus*, Diaconus verò *Flectamus genua*, & Subdiaconus *Levate*, ut ſuprà. Tum extenſis manibus, in Tono Feriali decantat primam Orationem, Ritum eumdem in reliquis ſervando;

do; ita ut Monitiones junctis manibus canat, Orationes verò extenſis. Chorus ad eaſdem Orationes, & Monitiones ſtat versùs Altare nudo capite, genuflectens, & ſurgens, cùm opus eſt. In Oratione pro Papa, quando nominatur, caput inclinatur: Sede autem Romana Vacante, prædicta Oratio & Monitio omittuntur. Ad Orationem pro Judæis non dicitur *Oremus*, nec *Flectamus genua*. In Monitione item pro Imperatore, ſit nondùm eſt coronatus, dicitur *Oremus & pro Chriſtianiſſimo electo Imperatore noſtro* N. Si verò defunctus ſit, & Imperium vacans, dicitur *Oremus & pro Romano Imperio, ut Deus...*

CAPUT XVII.

De denudatione, & adoratione Crucis.

1. DUm dicuntur ultimæ Orationes, Acolythi extendunt Tapete magnum, ſeu pannum violaceum ante gradus Altaris, vel Presbyterii; ita ut pars ejuſdem panni ſuperior ſit ſuper primos ejus gradus, & in infimo gradu ponunt Pulvinar violaceum amplum cum Velo pretioſo, de quibus in præcedenti Capite, pro Cruce deſuper collocanda. Celebrans verò, cantatis Orationibus, deſcendit cum Sacris Miniſtris extra cornu Epiſtolæ, ubi, adjuvante Cæremoniario, Planetam unà cum Subdiacono dimittit, retentis adhuc Manipulis: Diaconus autem in eodem habitu ſemper remanet. Tum Celebrans medius inter Sacros Miniſtros accedit ad angulum poſteriorem cornu Epiſtolæ, ita ut ſit quaſi collateralis Candelabris Altaris, ibique ſe collocat in ſecundo gradu, verſa facie ad Populum. Mox Diaconus, exhibita Celebranti inclinatione, ibique relicto illo cum Subdiacono a ſiniſtris, procedit per planum ad medium Altaris, ubi genuflexione Cruci velatæ peracta, eandem de medio Altaris, vel de manibus Sacriſtæ, aut Cæremonia-

moniarii reverenter accipit; ac deinde ſumma cum devotione uſque ad oculos elevatam, converſa facie ad ſe ipſum defert Celebranti, cui illam ſine oſculis tradit, recedens poſt genuflexionem ad dexteram Celebrantis.

2. Sacerdos autem devotè accepta Cruce ſtans ibidem adhuc verſus Populum in medio Diaconi a deteris, & Subdiaconi a ſiniſtris ejus, ſiniſtra manu Crucem ſuſtinens, dextera illius ſummitatem parùm diſcooperit, ideſt uſque ad transverſum ejuſdem, quin Crucifixi caput appareat, & ambabus manibus illam elevans ad altitudinem oculorum, voce gravi incipit ſolus in cantu ſecundùm Notas appoſitas in Miſſali ſuſtentato ab Acolytho, Antiphonam *Ecce Lignum Crucis*, ſtantibus interim omnibus nudo capite. Miniſtri inde cùm Sacri, tùm inferiores proſequuntur cum eodem Celebrante *In quo ſalus Mundi pependit*, & Chorus ſolus reſpondet *Venite adoremus*. Quo tempore omnes, etiam Diaconus, & Subdiaconus, excepto ſolo Celebrante, genuflectunt utroque genu cum profunda capitis inclinatione.

3. Quibus cantatis, aſſurgunt omnes, & Celebrans cum Miniſtris accedit ad partem anteriorem anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ, in eo ſcilicet loco, ubi dicitur Introitus Miſsæ; ibique ſtans medius inter Diaconum a dexteris ſuper ſuppedaneum Altaris, & Subdiaconum a ſiniſtris ſuper gradum proximiorem ſuppedaneo ſtantes verſus Populum, diſcooperit brachium dexterum Crucis, & caput Imaginis Crucifixi, adjuvantibus illum Sacris Miniſtris, & Cæremoniario, ſi opus ſit. Tùm Crucem cum Imagine ad Populum ſemper converſa pauliſper altiùs, quàm priùs ambabus manibus attollit, ac deinde voce etiam altiori ſolus incipit *Ecce Lignum Crucis*, aliis cantantibus, & adorantibus, ut ſupra. Deinde ſurgunt, & Celebrans cum Miniſtris procedit ante medium Altaris, ubi ſtans, ut ſupra, verſus

Popu-

Populum inter Sacros Miniſtros Crucem totaliter detegit, Velum tradens Subdiacono, & nùc Cæremoniario, ſeu Acolytho, qui illud ſuper Abacum deponit. Poſteà Crucem, & vocem altiùs quàm primò & ſecundò elevando dicit. *Ecce Lignum Crucis*, aliis cantantibus, & adorantibus, ut ſupra.

4. Dicto ultimo *Venite adoremus*, omnibuſque in locis ſuis genuflexis adhuc remanentibus, Celebrans ipſe ſolus abſque Miniſtris, ſed comitante ſolo Cæremoniario, qui fimbrias Albæ a ſiniſtris elevat, cùm opus eſt, procedit ad locum præparatum per latus Evangelii, nulla exibita Altari reverentia, deferens Crucem cum Imagine Crucifixi ad Populum converſa, ambabus manibus elevatam cum devotione, & eam genuflexus reclinat, & firmat vittis, ſi opus eſt, ſupra dictum Pulvinar, adjuvante Cæremoniario; interim Crux haſtilis, & omnes Cruces, quæ ſunt per Eccleſiam, non verò aliæ Imagines denudantur a Sacriſta, vel ab aliis, ſi commodè fieri poteſt.

5. Aptata in loco ſuo Cruce, ſurgit Celebrans, & omnes cum illo, factaque iterum genuflexione, recedit ad Scamnum nudum ad latus Epiſtolæ præparatum, ubi tecto capite, retento Manipulo, Planetam, & ſedens etiam Calceamenta deponit, adjuvantibus Acolythis. Poſteà Celebrans ad Crucis adorationem ſolus procedit detecto capite, excalceatis pedibus, manibus junctis, oculiſque demiſſis, & gradiens lateraliter per dictum Tapete, ſeu pannum, ter cum debita diſtantia genuflectit utroque genu ante Crucem, aliquantulùm pro unaquaque vice orando, & ſecretè dicendo exempli gratia: *Adoramus te, Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti Mundum*, & demum Crucem deoſculatur. Surgit inde, & facta genuflexione unico genu, per breviorem viam ad Scamnum ſuum redit,

dit, ubi, reſumtis calceis, & Planeta, tecto capite conſidet.

6. Poſtmodùm, Sacri Miniſtri inclinatione exhibita Celebranti depoſitis ſolis Calceamentis Crucem veneraturi una ſimul pergunt, eodem modo, quo de Celebrante dictum eſt: Crucifixi verò pedes primò Diaconus a dexteris ſtans oſculatur, deinde Subdiaconus. Completa ab ambobus adoratione, ſimul aſſurgunt, & iterùm Cruci unicum genu flectunt, atque ad locum ſuum modeſtè redeunt, ubi facta inclinatione Celebranti, Calceamenta reaſſumunt, & Subdiaconus etiam Planetam plicatam. Mox Diaconus a dexteris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis ſtantes, Acolytho Miſſale ſuſtinente, cum eo ſubmiſſa voce legunt Improperia; quibus lectis defertur Miſſale apertum ſuper Altare in Cornu Epiſtolæ.

7. Adveniunt indè maxima humilitate ac devotione Religioſi, bini & bini, ordine ſuo, detractis pariter calceis, nudo capite, manibuſque junctis; Sacerdotes primùm, poſteà Diaconi, & Subdiaconi, nunc Cæremoniarius, & Acolythi, tandem Clerici, & Novitii, trina genuflexione in locis deſignatis Crucem adorantes, ut ſuprà dictum eſt de Celebrante, & Sacris Miniſtris. Repetita genuflexione, redeunt ad loca ſua, æquali paſſu gradientes, & ſi contingat eos tranſire ante Celebrantem, illi ſe inclinant. Acolythi verò, poſtquàm Crucem adoraverint, vel ſtant ad Credentiam, vel duo ſaltem ex illis hinc inde remanent genuflexi prope Crucem, tùm propter reverentiam ejuſdem, tùm ut confuſionem impediant, & in auxilium ſint genua flectentibus.

8. Si qui ſint Prælati extranei, vel Miniſter Generalis noſtri, vel forte alterius Ordinis, (quod pariter ſervatur in ſimilibus, & præcipuè ſi forte Communicari debeant) adorant etiam ſine calceamentis immediate

diatè poſt Celebrantem, qui in hoc caſu ſtat aperto capite, donec Crucis adorationem perfecerint: Epiſcopus verò proprius etiam ante Celebrantem Crucem primus adorat excalceatus. Quòd ſi fortè interſit Gubernator non Prælatus, vel Princeps, aut aliquis maximus Vir, immediatè poſt Religioſos Sacerdotes ad Crucis adorationem procedit: Magiſtratus verò, & Officiales, ac alii Laici etiam Nobiliores ad Altare quidem adorant, ſed poſt omnes Cœnobitas. Quod pariter obſervatur in ſumtione Sacrorum Cinerum ex antiqua & laudabili Eccleſiæ diſciplina, propter humilitatem, quæ in hoc actu repræſentatur iis diebus. Ideòque promtiùs, libentiùſque Laici Eccleſiaſticis in his cedunt. Pro Fœminis autem etiam Nobilioribus, & Populo extenditur in loco idoneo extra Presbyterium, ſeu Cancellos, Tapetum cum Cuſſino, & Velo, illucque Sacriſta Cotta & Stola nigra paratus aliam defert Crucem, Cœnobita aliquo cum Superpelliceo præcedente, qui ibi genuflexus devotè aſſiſtit; quod ſimiliter obſervandum erit, ſi præ Populi multitudine aliæ Cruces per Eccleſiam adorandæ collocentur. Præfati verò eo modo, & ordine, quo de Clero dictum eſt, Crucem reverenter adorant, Mares primùm, deinde Fœminæ, quin calceos deponant.

9. Ut autem decentiùs, & pariformiter dictæ Stationes, & adorationes cùm a Clero tum a Populo fiant, tria ſignentur loca a Cæremoniario, ſic inter ſe diſtantia, ut inter unam genuflexionem, & alteram, æqualis diſtantia intercedat. Et ut in adoratione nulla interponatur mora, nec oriatur confuſio, hæc ſerventur: Cùm duo primi ſecundò genuflectunt, duo ſequentes debent genuflectere primò; & quando illi tertiò, hi ſecundò; & cum illi oſculata Cruce lateraliter diſcedunt, iſti genuflectent tertiò, atque alii ſucceſſivè; ita ut qui ſequuntur ſuccedant præcedentibus abſque mora, neque priùs ab una proſtratione ſurgant, quàm alii diſcedant

ab

ab altera,ad quod attendere debet Cæremoniarius.Si numerus ſit impar, tres poſtremi ſimul procedent. Et interim, dum incipit adoratio Crucis, per Chorum cantantur Improperia, & alia, quæ habentur in Miſſali, vel in totum, vel in partem, prout numerus adorantium ſuadebit.

10. Circa finem adorationis accenduntur Cerei Altaris, & Abaci huc uſque extincti. Indè Diaconus ſurgit, & exhibita inclinatione Celebranti, ad Credentiam cum Cæremoniario accedit, è cujus manibus accepta Burſa Corporalium cum Purificatorio deſuper, ad Aram de more defert illam per breviorem viam. Corporale extrahit, & in medio explicat. Burſam verò a parte Evangelii, & Purificatorium a latere Epiſtolæ prope ipſum Corporale reponit. Quo facto redit ad locum ſuum per breviorem viam cum debitis reverentiis, & ſedet tecto capite. Interim Cæremoniarius, vel Acolythus Miſſale cum Cuſſino a latere Epiſtolæ ad latus Evangelii cum debitis reverentiis transfert, illudque relinquit apertum cum ſignaculis aptatis prope Corporale. Item eodem tempore accenduntur omnia luminaria in Sacello, ubi repoſitum manet Sacramentum, & ibidem præparantur alia neceſſaria. In Sacriſtia Superpellicea induunt qui Haſtas Baldachini, Umbellam, Intortitia, & Thuribulum ſunt delaturi. Subdiaconus verò qui Crucem in Proceſſione geſtare debet, paratur Amictu, Alba, Cingulo, & Planet aplicata nigri coloris, ſine Manipulo.

11. Idem Diaconus, completa adoratione, ſurgit, & peracta Celebranti reverentia, ad locum accedit, ubi Crux reponitur, quam, prævia genuflexione, reverenter accipit, & ambabus manibus elevatam uſque ad oculos reportat ad Altare, nulli reverentiam faciens. Sed Celebrans, & omnes tunc Cruci genuflectunt, & ſtatim ſurgunt. Diaconus verò illam in loco ſuo collocat in medio ejuſdem Altaris inter Candelabra, adju-

vante Cæremoniario; & deinde, repetita genuflexione, per breviorem viam ad Celebrantem redit, eidem ſe inclinat, & coopertus ſedet. Acolythi verò pannum cum Velo, & Cuſſino plicatum in loco congruo reponunt, vel in Sacriſtiam reportant. Si Cruces aliæ per Eccleſiam ſint adorationi expoſitæ, deferuntur in Sacriſtiam, expleta Populi adoratione, a Sacerdotibus Stolis nigris ſuper Cottam indutis, & Tapetia pariter amoventur. Tamdem ordinatur Proceſſio ad locum Sacramenti, prout fuſiùs habetur in Cap. XIII. I. part.

CAPUT XVIII.

De Miſſa Præſanctificatorum.

1. REpoſito ſupra Altare Sacramento, eoque thurificato, Celebrans ſuper Suppedaneum adhuc genuflexus reddit Thuribulum Diacono, & hic primo Thuriferario: ſecundus verò recedit cum Thuribulo in Sacriſtiam. Tùm Sacerdos ſurgens medius inter Sacros Miniſtros Altare conſcendit, genuflectit, ſurgit, & retrahit ſe aliquantulùm cum Subdiacono ad partem Evangelii. Diaconus autem in medio ſtans Velum è Calice removet, quod Cæremoniarius tradit Acolytho, qui illud plicatum ſuper Credentiam reponit; item amovet Patenam, quam invertens ponit ſuper Corporale, non ſubtùs, & Pallam, cum genuflexione. Poſt hæc Celebrans cum Miniſtris in medio genuflectit, Calicem accipit, & aliquantulum declinat, ut Sacra Hoſtia ex eo defluat ſuper Patenam, quam Diaconus elevatam tenet ſuper Corporale. Advertat autem uterque, ne Sacramentum tangat: quo caſu digitos ibidem abluit in aliquo Vaſe, & extergit.

2. Extracta Hoſtia, idem Sacerdos Calicem reponit ſuper Corporali versùs cornu Epiſtolæ, & accipiens

piens ambabus manibus Patenam de manu Diaconi ſine oſculis, Hoſtiam Sacram in medio Corporalis collocat, nihil dicens, nec ullum cum Patena ſignum Crucis efformans. Inde dictam Patenam ſuper & non ſubtus Corporale relinquit. Interim Subdiaconus a ſiniſtra Celebrantis, ad dexteram Diaconi ſe confert cum debitis genuflexionibus in locis a quo & ad quem,& non in medio;poſteà accepta ab Acolytho Ampulla vini, tradit eam ſine oſculis Diacono, qui vinum in ſufficienti quantitate immittit in Calicem, quem ſiniſtra ſuper Corporale, vel Pallam, aut elevatum tenet, quin priùs, vel poſteriùs eundem abſtergat. Deinde Subdiaconus parum aquæ infundit, quam Sacerdos non benedicit, nec ſuper eam Orationem conſuetam *Deus qui humanæ ſubſtantiæ* profert.

3. Mox Diaconus, prætermiſſis oſculis, Calicem tradit Celebranti, quem ambabus manibus accipiens, ſtatim deponit ſuper Corporale retro Hoſtiam Sacram, nihil dicens, neque ullum cum eo ſignum Crucis producens: & Diaconus illum ſine genuflexione Palla cooperit. Subdiaconus verò, impoſitis vino, & aqua in Calicem, ad ſiniſtram Celebrantis redit cum debitis genuflexionibus in receſſu, & acceſſu, nec Patenam ſuſtinet; & Acolythus Ampullas in Credentiam reportat. Poſtmodùm Celebrans, miniſtrantibus ſine oſculis Diacono, & Thuriferario, ex Navicula ter imponit Incenſum in Thuribulo abſque benedictione, & oratione *Per interceſſionem*; & accepto a Diacono Thuribulo, Sacramento priùs unicum genu flectit ſimùl cum Miniſtris poſteriorem Planetæ partem prope brachia hinc indè in tota thurificatione aliquantulum elevantibus, altera manu infrà pectus admota. Tum ſurgit, & incenſat Oblata more ſolito, dicens ſubmiſſa voce *Incenſum* ✠ *iſtud*, Diacono interim pedem Calicis dextera tenente. Quo facto, idem Diaconus amo-

 vet

vet Calicem de medio Altaris, illumque collocat a parte Epiſtolæ, ſed ſuper Corporale; inde genu flectunt omnes, & Celebrans ter de more Crucem thurificat, dicens *Dirigatur * Domine* ...., & ſtatim Diaconus Calicem in medio Corporalis reponit. Tunc iterum genu flectunt omnes, ſurgunt, & proſequuntur Altaris incenſationem more ſolito, dicendo interim *Sicut * Incenſum*, & quandocumque ante Sacramentum tranſeunt, unicum genu flectunt.

4. Thurificatione expleta, Celebrans in cornu Epiſtolæ Thuribulum reddit Diacono, dicens *Accendat in nobis*, quod ambabus manibus ſine oſculis accipiens Diaconus, ſtatim, quin Celebrantem, aliumvè thurificet, conſignat Thuriferario, qui illud in Sacrarium reportat, & inde redit ad Abacum. Tum Celebrans aliquantulùm extra Altare in cornu Epiſtolæ, verſa facie ad Populum, lavat manus, nihil dicens, miniſtrante aquam, & Lancem Acolytho; Diaconus verò a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis, tenentes faciem ad eum converſam, & terga ad Populum, mediumque habentes prædictum Acolythum, eidem Celebranti porrigunt Manutergium ſine oſculis, ſed cum debitis reverentiis ante, & poſt. Quo facto, Celebrans ad medium Altaris revertitur, ubi genuflexione facta unà cum Sacris Miniſtris a tergo ipſius ſtantibus, mediocriter inclinatus, junctis manibus ſuper Altare, dicit ſubmiſſa voce *In Spiritu humilitatis*... Diaconus verò mox ad Miſſale accedit, quod pauliſper elevatum tenet. Deinde Sacerdos Aram deoſculatur, genuflectit, ſurgit, & converſus ad Populum in cornu Evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento, dicit mediocri voce *Orate*, *Fratres*, proferens reliqua verba ſecretò, & non reſpondetur *Suſcipiat Dominus*, & per eandem viam revertitur ad Altaris medium, non perficiens circulum; ubi flexo iterum poplite Sacramentum adorat.

5. Mox,

5. Mox, omiſſis omnibus aliis, in cantu feriali dicit *Oremus. Præceptis ſalutaribus....* junctis manibus, caput inclinans ad verbum dumtaxat *Oremus*. Proſequitur inde *Pater noſter*, eodem quidem vocis tenore, ſed manibus de more extenſis; & tunc Diaconus, facta genuflexione ibi a ſiniſtris Celebrantis, poſt tergum illius ſe recipit, cujus vices ſupplet Cæremoniarius. In fine Orationis Dominicæ Chorus in cantu reſpondet *Sed libera nos a malo*, & Sacerdos ſub ſilentio dicto a ſeipſo *Amen*, mox eadem voce, qua dixit *Pater noſter*, abſolutè ſine *Oremus*, in Tono Orationis Miſſæ ferialis proſequitur *Libera nos*, manibus item extenſis uſque ad finem, quin cum Patena, ut aliàs, ſe ſignet, & in fine Chorus alta voce reſpondet *Amen*.

6. Quo dicto, Diaconus & Subdiaconus hinc indè genua flectunt ſuper Suppedaneum pro elevatione; & Cæremoniarius ſuper ultimum gradum lateralem cornu Evangelii. Celebrans verò devotè genuflectit unico genu, deinde erectus Patenam haud priùs caterſam ſupponit Sacramento, quod ſola dextera inter pollicem, & indicem accipiens, ſiniſtra cum Patena ſuper Corporale retenta, altiùs ſolito elevat, itaut a Populo videri poſſit, figens ſemper in eum oculos, & advertens ne Corporalis limites tunc excedat. Ad cujus elevationem non elevatur Planeta a Miniſtris, nec fit incenſatio, nec pulſatur Crotalum, ſeu inſtrumentum ligneum, ſed permanent adhuc octo Intortitia a Religioſis delata jam in Supplicatione habita à Sepulcro.

7. Dùm Celebrans elevatam jam Hoſtiam declinat, Diaconus, & Subdiaconus ſurgunt, & ad Celebrantis dexteram ille, hic verò ad ſiniſtram cum debitis genuflexionibus accedunt. Diaconus ſtatim Calicem ſine genuflexione diſcooperit: Subdiaconus verò folia Miſſalis vertit, cùm opus eſt. Celebrans Sacram Hoſtiam

ſtiam immediatè ſuper Calicem declinat, quin priùs illam ſuper Patenam reponat, deinde in tres dividit partes nihil dicens, quarum duas majores ſuper Patenam collocat, tertiam verò minimam immittit in Calicem more ſolito, ſed abſque ſigno Crucis, & nihil dicens. Poſteà Diaconus Calicem Palla cooperit, ſtatimque omnes genufle&tunt, & ſurgunt, mutantibus inde loca Sacris Miniſtris.

8. Tùm Celebrans, prætermiſſis *Agnus Dei*, oſculo pacis, & duabus primis Orationibus, tertiam tantùm *Perceptio Corporis tui*... ſecretò dicit, ſtans mediocriter inclinatus, manibus junctis, & ſuper Altare de more poſitis. Qua dicta, genufle&tit unà cum Sacris Miniſtris, & erigens ſe ſecretò dicit *Panem Cæleſtem accipiam*...; quibus prolatis, & non priùs, Hoſtiam cum Patena, ut moris eſt, accipit, atque parùm inclinatus ter de more dicit voce aliquantulùm elevata, *Domine non ſum dignus*, percutiens ſibi dextra pectus, & ſecretò proſequitur *Ut intres*.... Deinde erectus ſignat ſe cum Sacramento, quod tenet dextra, ita tamen, ut Hoſtia non egrediatur limites Patenæ, dicens ſecretò *Corpus Domini*..., & mediocriter ſe inclinans, cubitis ſuper Altare poſitis, maxima cum reverentia eaſdem ambas partes ſumit, & erectus aliquantulùm in meditatione SS. Sacramenti quieſcit. Miniſtri verò Sacri inclinant ſe pariter, & ter percutiunt ſibi pectus nihil dicentes, dum Celebrans profert *Domine non ſum dignus*, ac iterum profundè ſeſe inclinant ad Communionem Sacerdotis, prout fit in Miſſa Solemni.

9. Brevi facta meditatione Sacramenti, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis adhuc conſiſtens Calicem detegit, & tunc omnes genufle&tunt. Exinde Celebrans, omiſſo *Quid retribuam Domino*, collectiſque de more fragmentis, extergit Patenam ſuper Calicem, quem poſteà

poſteà accipiens , & Patenam ſubtùs mentum ponens, immediatè Particulam Hoſtiæ Conſecratæ cum vino , & aqua in Calice exiſtentibus reverenter ſumit , nihil dicens , neque cum prædicto Calice ſeipſum ſignans ; & interim Diaconus, & Subdiaconus ſtant profundè inclinati. Depoſito poſteà ſuper Altare Calice , non retracta ab eo manu , pauliſper in meditatione quieſcit; ſtatimque, prætermiſſa purificatione , ad cornu Epiſtolæ accedit , ubi, Subdiacono vinum & aquam fundente , digitos ſuper Calicem de more abluit , nihil dicens. Tùm exterſis Purificatorio digitis, ſumit ablutionem in medio Altaris, ut aliàs; moxque inclinatus , & manibus junctis ante pectus, & non ſuper Altare, dicit ſecretò *Quod ore ſumpſimus ....*, & extinguuntur Intortitia a Clero delata, poſt ſumtionem Calicis.

10. Dicto *Quod ore*, Sacerdos, cæteris quibuſcumque omiſſis , erectus ſtat in medio Altaris manibus junctis , ſtatimque Diaconus , clauſo Miſſali in parte Evangelii, Abacum , facta in medio genuflexione, petit; ubi dimiſſa latiori Stola , Planetam plicatam reſumit; ac deinde redit ad Altare ad dexteram Celebrantis, peracta Cruci genuflexione in acceſſu. Subdiaconus verò eodem tempore ad cornu Evangelii, prævia genuflexione in medio, ſe confert , ubi Calicem de more extergit, & cooperit Purificatorio, Patena , Palla , & Velo parvo nigri coloris ab Acolytho priùs e Credentia ad Altare delato . Tùm prædictum Calicem ſic opertum cum Burſa Corporalium deſuper, ad Abacum , præmiſſa genuflexione in medio, defert , ac mox redit ad ſiniſtram Celebrantis, repetita in medio genuflexione.

11. Quibus expletis , Celebrans cum Miniſtris Sacris, exhibita Altari inclinatione , deſcendit in planum, Cruci genuflectit, ac eodem ordine, quo ad Aram venerat in principio Actionis, in Sacrarium remeat ſine Can-

Candelabris & Thuribulo, Paramenta dimiſſurus. Tum in Choro dicuntur Veſperæ gravi & humili voce, ſine cantu, relictis ſuper Altare Candelis accenſis; & interim denudatur Altare præfatum, & Abacus, omniaque in Sacriſtiam aſportantur. Item dum Veſperæ dicuntur, Sacriſta Superpelliceo, & Stola alba indutus cum Velo humerali albi itidem coloris reportat Pyxidem cum Particulis conſecratis, ſi quæ remanſerunt in Capſula, ad locum eleganter paratum (quod tamen non ſit Altare majus) præcedentibus quatuor Religioſis cum Cottis, & Funalibus accenſis, altero ſuper SS. Sacramentum Umbellam albi coloris elevante. Talis tamen Pyxis regulariter non eſt ſervanda in dicta Capſula, ſeu Arca, ſed in aliquo alio decenti, & congruo loco, nimirùm vel in Sacello ſegregato, vel in Tabernaculo exiſtente in Sacriſtia. Completis Veſperis, Candelæ Altaris extinguuntur, & datur ſignum Salutationis Angelicæ cum Crotalo, qua ab omnibus genuflexis recitata, in ſilentio diſcedunt, Cruci genuflectentes.

12. Si conſuetudo deferendi proceſſionaliter SS. Sacramentum Feria ſexta Paraſceves in Feretro nigris velleribus contecto, non poteſt abſque graviori incommodo extirpari, toleranda eſt. Sac. Congr. Epiſc. *29.* Mart. *1596.*

13. Proceſſio ſolemnis aliquo certo die facienda, ſi cadat in Feriam ſextam Paraſceves, eo Anno transferenda eſt in aliam diem. Sac. Congr. Epiſc. *25.* Feb. *1598.*

14. In Feria VI. Paraſceves non eſt miniſtranda Euchariſtia, niſi Infirmis. S. R. C. *19.* Febr. *1622.*

15.* In Paraſceve ſi incidat Feſtum Annuntiationis B. M. V. non tenentur Fideles ad audiendam Miſſam, ſeu intereſſe Officio. S. R. C. *19.* Febr. *1622.*

16. Celebrans in Paraſceve mittat Particulam in Calicem ſine aliquo Crucis ſigno, neque ſe ſignet cum Calice. S. R. C. 28. Aug. *1627.*

17. Si

17. Si Feſtum Annuntiationis B.M.V. occurrat in Feria VI. in Paraſceve, vel in Sabbato Sancto, transferatur unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Feſto impeditam; ita ut eadem Feria prædicto caſu eveniens, perpetuis futuris temporibus pro ſede propria & fixa, memorato Feſto Annuntiationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur; & in illa eo prorsùs modo, & forma præfatum Feſtum quoad Officium & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martii in Kalendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis Feſtis in eadem Feria occurentibus, quæ non ſint altioris Ritus. S.R.C. 11. Febr. & 11. Mart. 1690. approb. Alexand. VIII.

18. Etſi ſecundùm Regulas Breviarii Romani, cùm plura Feſta æqualis Ritus transferenda ſint, unum ante aliud transferri debeat eo ordine, quo erant celebranda propriis diebus; attamen quia anno 1690. ſpecialis prærogativa conceſſa fuit translationi Feſti Annuntiationis B. M. V. incidentis in Feriam VI. Paraſceves, vel Sabbatum Sanctum: idcircò ob ſpecialem reverentiam Dominicæ Incarnationis hoc ſpeciali privilegio decoratur idem Feſtum Annunciationis, nimirùm ut quotieſcumque contigerit Feſtum prædictum, etiam quoad ſolum Officium poſt Octavam Paſchæ transferri, idem cæteris ſemper Feſtis æqualis Ritus præponatur, licèt temporis ordine ſit in Kalendario poſterius illis. S. R. C. 14. Jun. 1691.

19. Non eſt tolerandus uſus, qui in aliquibus Eccleſiis ſervatur Feria VI. in Paraſceve, incenſandi iterùm SS. Sacramentum poſt incenſationem Oblatorum, omittendo conſuetam Crucis incenſationem, cùm ſit contra Rubricam illius diei. S. R. C. 3. Aug. 1697.

20. In Feria VI. in Paraſceve thurificanda ſunt

Oblata, ſed poſt thurificationem Oblatorum; non eſt iterùm thurificandum Sacramentum, ob cujus tamen præſentiam non eſt omittenda thurificatio Crucis, ſed Crux & Altare thurificanda ſunt eo prorsùs modo, quo fit in aliis Miſſis, non omiſſis debitis genuflexionibus tranſeundo ante SS. Sacramentum. S. R. C. 5. Jul. 1698.

21. Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares etiam privilegiati non poſſunt in Feria VI. Paraſceves, occaſione SS. Annuntiationis in dicta Feria occurrentis celebrare in quavis Eccleſia, ſeu Oratorio, aliquam Miſſam Solemnem, vel privatam, nec facere Feſtum, vel parare, & ornare Eccleſias, aut Altaria, licet dicata B.V.M. etiam Annuntiatæ; cùm ob doloroſam mortis noſtri Redemtoris recordationem tenendæ ſint coopertæ Sacræ Imagines, & Altaria expoliata, ſed tantùm debet fieri ſolita ſacra Functio, prout præſcribit Miſſale Romanum, in Eccleſiis ſcilicet, in quibus Feria V. in Cœna Domini collocari ſolet Venerabile in aliquo Altari, vel alio decenti loco: & per hanc prohibitionem pro Feria VI. in Paraſceve, non poſſunt in Feria V. in Cœna Domini & Sabbato Sancto celebrari Miſſæ privatæ, ſed ſolùm Conventualis juxtà Ritum S. Eccleſiæ, & iterata Decreta Sac. Rit. Cong. Ita Clemens XI. 15. Mart. 1712. Conſtit. 17.

22. In Proceſſione Feriæ VI. in Paraſceve non ſunt a geſtantibus Haſtas Baldachini adhibenda Pluvialia, ſed ſolùm Cottæ. S. R. C. 15. Sept. 1736.

23. Non eſt reprobandus Parochus, qui defert SS. Viaticum Infirmo Feria VI. in Paraſceve, dummodo privatè & ſubmiſſa, quinimò ſubmiſſiſſima voce recitet Pſalmos conſuetos per vias publicas, etiamſi dicat ℣. *Gloria Patri*, quia in tali circumſtantia actio talis nullam habet connexionem cum Functionibus Eccleſiæ hujus diei: & conſiderandum eſt quòd defert cum Stola atque Pluviali albi coloris, quando in Feria ſupradicta color

color Paramentorum eſt niger pro Eccleſiæ Functionibus. Ideoque ſi defert privatim pro aliqua neceſſitate non eſt reprobandus, ſi Populum abſque benedictione dimittat Feria VI. in Paraſceve; quia in publica Eccleſia non debet recondi. S.R.C. 15. Maij 1745.

CAPUT XIX.

De eadem Feria VI. in Eccleſiis Minoribus.

1. DIcta in Choro Nona, Celebrans Planeta nigra indutus ad Altare Majus tecto capite, manibuſque junctis procedit, cum uno, pluribuſve Acolythis. Ibi procumbit, & diutiùs orat, & interim Acolythus, brevi facta Oratione cum ipſo, Tobaleam extendit ſuper Menſam Altaris, & in cornu Epiſtolæ Miſſale apertum cum ſuo Cuſſino collocat. Celebrans ſurgit ab Oratione, & amoto per Clericum Pulvino, Altare conſcendit, illudque oſculatur in medio. Accedens inde ad cornu Epiſtolæ, legit, vel cantat, ſi neſciat Acolythus, primam Lectionem in Tono Prophetiarnm; & Tractus, quem ſubmiſsa voce recitat, cantatur a Choro, ſi fieri poteſt. Poſteà ſubdit Orationem *Deus, a quo...* præmiſſo *Oremus*, & *Flectamus genua* ab ipſomet genuflexo, cui Acolythus, vel Chorus reſpondet *Levate*. Secundam Lectionem cum Tractù legit, vel cantat, ut ſuprà, in Tono Epiſtolæ, quam mox ſequitur Paſſio, Ritu, & ordine enunciato in Cap. X. XI. & XVI. hujus tertiæ partis.

2. Finita Paſſione, Sacerdos in eodem cornu Epiſtolæ cantat Monitiones manibus junctis, Orationes verò extenſis; & interim Acolythus Tapetem ante Altare explicat, aptat deſuper Cuſſinum, & Velum pro adoratione Crucis. Tum expletis Orationibus, Planetam deponit, inde genuflectit in medio Altaris, ac reverenter Crucem inter Candelabra exiſtentem accipit, poſteà in

angulo poſteriori Epiſtolæ, facie verſa ad Populum, & Clerico ſuſtentante Miſſale ante ipſum, dextera ſummitatem Crucis diſcooperit, & ambabus manibus illam aliquantulùm elevans, gravi voce ſolus incipit *Ecce Lignum Crucis*, & proſequuntur Clerici, ſi adfuerint, *In quo Salus Mundi pependit*: Chorus verò ſubdit *Venite adoremus*, & tunc omnes ſe proſternunt, excepto Celebrante. Poſtmodùm in anteriori parte anguli ejuſdem cornu Epiſtolæ brachium dexterum Crucis unà cum capite figuræ Crucifixi detegit, & in medio Altaris totam Crucem, illam ſemper, & vocem altiùs extollendo, aliiſque cantantibus, & adorantibus ut ſuprà.

3. Dicto tertio *Venite adoremus*, Sacerdos ſolus defert Crucem ad locum ante Altare præparatum, & genuflexus ibidem eam collocat; & interim diſcooperiuntur omnes Cruces per Eccleſiam, non tamen aliæ Imagines. Mox ſurgit, & facta genuflexione, ad cornu Epiſtolæ accedit, ubi calceos deponit, ac deinde ad Crucis adorationem, ut ſuprà, procedit; qua tertiò adorata, & oſculata, genuflexionem repetit, ac poſteà calceamenta, & Caſulam reſumit, & redit in cornu Epiſtolæ, ubi alta, & clara voce Improperia legit, dum fit adoratio a Religioſis, & Laicis, niſi a Choro decantentur. Circa finem adorationis accenduntur Cerei Altaris huc uſque extincti, & Acolythus Burſam Corporalium cum Purificatorio deſuper defert ad Altare. Celebrans ipſum Corporale in medio explicat, & propè illud a parte Epiſtolæ Purificatorium collocat, translato inde a Miniſtro Miſſali cum Cuſſino ad cornu Evangelii. Completa adoratione, Celebrans Crucem reverenter accipit, & reportat ad Altare, ac deinde facta genuflexione, in planum deſcendit, ubi aperto capite, manibuſque junctis ſtat in medio Altaris, donec ordinata ſit Proceſſio.

4. Procedunt autem, prævia genuflexione Cruci, per

per breviorem viam ad Sacellum Sepulchri hoc ordine: omnium primus incedit Thuriferarius cum Navicula, & Thuribulo non fumigante, inde Crux Proceſſionalis denudata, & delata ab alio Acolytho, poſteà ſequitur Clerus, & denique Celebrans tecto capite, manibuſque junctis. Cùm perventum fuerit ad locum Sacramenti, Crucifer e regione ſiſtit ſe, & Religioſi bini & bini, facta adoratione, collocant ſe hinc inde ſuis in locis, ibique manent genuflexi. Celebrans verò Sacellum ingreſſus genuflectit utroque genu in plano, & profundè ſe inclinat; deinde ſurgit, iterùmque genuflectit in imo Altaris gradu, ubi aliquantulùm cum omnibus orat: & interim accenduntur Intortitia, & Candelæ albæ in Proceſſione deferendæ, quæ non extinguuntur niſi poſt ſumtionem Sacramenti. Brevi facta mora, aſſurgit Celebrans, aperit Capſulam, genuflectit, & deſcendit ad primum Altaris gradum, ubi ſtans Thus immittit in Thuribulum ſine benedictione, ac deinde genuflexus Sacram Hoſtiam incenſat. Exinde ſurgit, & prævia genuflexione extrahit e Capſula Calicem, quem in medio Altaris ſuper Corporale reponit; tùm facta alia genuflexione deſcendit ad primum gradum, & genuflexus in Suppedaneo, accipit Velum humerale album. Quo facto, Aram conſcendit, genuflectit, ſtanſque Calicem accipit, quem extremitatibus Veli cooperit, & ſub Baldachino, vel Umbella albi coloris ad Altare Majus procedit, Thuriferario continuè Sacramentum thurificante, & interim cantatur Hymnus *Vexilla Regis prodeunt*, quem ipſemet Sacerdos ſubmiſſa voce recitat.

5. Cùm Proceſſio pervenerit ad Altare, Sæculares, ſi qui ſint, Cereos deferentes, remanent extrà Cancellos. Acolythus Crucem a latere Epiſtolæ deponit, & Cœnobitæ Presbyterium ingreſſi, quin Cruci genuflectant, procumbunt hinc inde, vel quaſi in gyrum, vel loca ſumunt

ſumunt in ſtallis, ſi Chorus ſit prope, & ante Altare, ſicque diſpoſiti remanent omnes uſque ad finem Officii cum Cereis ardentibus. Celebrans autem, amoto Baldachino, ac in loco congruo ante Cancellos repoſito, Altare aſcendit, Calicem ſuper Corporale reponit; inde genuflectit, Velum humerale deponit, ſurgit, & deſcendens a Suppedaneo, ibique ſtans imponit in Thuribulo Incenſum nihil dicens, neque benedicens; poſteà genuflexus ſuper Suppedaneum triplici ductu Sacramentumt hurificat.

6. Incenſato SS. Sacramento, Celebrans accedit ad Altare, genuflectit, & ſoluta Vitta Calicem diſcooperit, & ex eo Hoſtiam Sacram ſuper Patenam deponit, inde è Patena ſuper Corporale nihil dicens, neque ſignum Crucis producens. Advertat ne Sacramentum digitis tangat: quo caſu lavat illos in Vaſe ibi præparato, & deinde Purificatorio extergit. Tum genuflectit, & in cornu Epiſtolæ vinum imponit in Calicem non exterſum, & ſuper Pallam repoſitum, deinde aquam, prætermiſſa Benedictione, & Oratione conſueta. Rediens ad Altare genuflectit, ibidem Calicem collocat, & Palla cooperit, nihil dicens. Reliqua tamdem reſpectivè proſequitur, ut in præcedenti Capite diſponitur; quibus expletis, Calicem de more aptat, & in medio Altaris relinquit: deinde facta genuflexione Cruci, diſcedit, & dicuntur Veſperæ ſine cantu, denudando interim Altari, ſed relictis Candelis accenſis.

CAPUT XX.

De Sabbato Sancto.

1. SUmmo mane mundatur Eccleſia, & ornatur; parantur etiam omnia ejus Altaria pretioſioribus ornamentis albis, ſed Pallio violaceo ſuper album, ſi fieri

fieri poteſt, ad finem uſque Litaniarum. Ara autem Princeps duplici omninò veſtitur Pallio, interiore albo perpulchro, & exteriore violaceo facilè amovendo. Eidem Altari ſex ſuperponuntur Candelabra cum totidem Cereis albis ad initium uſque Sacrificii extinctis, & Crux in medio diſcooperta. Conopæum item Tabernaculi ſubtùs ſit album, ſuprà violaceum, ſi fieri poteſt, aliàs uno tegmine obducatur albi coloris, cum Baldachino deſuper appenſo, ſeu Umbraculo concolori. Gradus verò Altaris Tapete operiantur rubro.

2. Ad cornu Epiſtolæ in plano apponatur Scamnum oblongum violaceo panno coopertum, ſuper quo Celebrans & Sacri Miniſtri ſedere valeant, ſed paulò ante Miſſam Solemnem Feſtivo tegatur panno. In eodem latere ſuper Abacum, præter conſueta pro Miſſarum Solemniis, collocentur duo Cuſſini, violaceus unus, alter albus; duo item Miſſalia iiſdem coloribus tecta; Planeta cum Manipulo violacei coloris pro Celebrante, & duo Manipuli ejuſdem coloris pro Diacono, & Subdiacono. Hæc autem omnia cooperiantur ante Officium, & uſque ad Miſſam excluſivè aliquo Velo violaceo, deinde albo. Parentur ibidem prope Credentiam tres alii Cuſſini coriacei, vel violacei, capiti Celebrantis, & Miniſtrorum ſupponendi ad Litanias.

3. Ad latus Evangelii in plano, ubi nimirùm cantari aſſolet Evangelium, aptetur Legile panno albo ſerico, vel auriphrygiato uſque ad terram coopertum, cum Miſſali deſuper haud abſimili tegmine obducto, pro decantando Præconio. Retrò dictum Legile collocetur Candelabrum magnum, affabrè elaboratum, & eminens, vel loco illius Angeli ſimulacrum, ſeu Brachium inauratum parieti adhærens pro Cereo Paſchali ſuſtinendo. Cereus verò ille ſpecioſus ſit, & prægrandis, ceræ albæ, in quo intra Crucis effigiem quina aderunt foramina in mo-

modum Crucis diſpoſita, pro infigendis in eo quinque granis Incenſi; infra verò dictam Crucem poſſunt Sancti Patroni, vel Titularis, aut Religionis Inſignia depingi. Prætereà prope dictum Candelabrum in plano paretur Pes marmoreus, vel ligneus ad ſuſtinendam Arundinem poſt Cerei Paſchalis Benedictionem. Et in medio Chori, ſeu Presbyterii ante Altare locetur aliud Legile nudum cum Miſſali deſuper pro dicendis Prophetiis.

4. In Sacriſtia ſuis diſponantur locis Paramenta violacea pro Officio, Pluviale nimirùm, duæ Planetæ plicatæ cum totidem Stolis. Pro Miſſa autem Solemni Planeta, Dalmatica, & Tunicella cum ſuis Stolis, & Manipulis albi coloris, nec non tres Amictus, Albæ, & Cingula. Item præparentur quatuor Superpellicea pro Cæremoniario, & Acolythis, duo Candelabra cum totidem Cereis, Crux Proceſſionalis denudata cum Flamine pendente violacei coloris, Thuribulum cum Navicula Incenſi, Vas Aquæ luſtralis cum Aſperſorio, & denique Lanx argentea, vel ex alia decenti materia, in qua quinque adſint Thuris recentis grana, pulchrè elaborata in modum nucis Pineæ, ferreiſque clavis ſuffulta, & in extremitate auro vel argento celata, modò tamen plùs thuris appareat.

5. Pro novi ignis Benedictione opportunè paretur extrà Eccleſiam, vel in Atrio, aut aditu ipſius Menſa aliqua linteo mundo undequaque contecta; eique ſuperponantur Miſſale, Dalmatica, Stola, & Manipulus albi coloris pro Diacono. Item ibidem in medio altera erigatur Menſula cum Laterna deſuper, forcipibus, lignis ſulphuratis, Candelulis, aliiſque inſtrumentis neceſſariis ad excutiendum novum ignem e ſilice, necnon cum Vaſe pro Carbonibus idoneo. Paulò ante acceſſum Celebrantis deportetur ibidem Arundo, non verò Baculus, eleganter circum ornata; ita tamen ut ex aliqua parte Arundo appareat, altitudinis competentis, in cujus

Digitized by Google

cujus cuſpide tres affigantur Candelæ ceræ albæ, & quæ in ima ſui parte deſinant in unam Candelam, & poſteà diſtinguantur in tres quaſi Ramos ex eodem trunco naſcentes æqualiter inter ſe diſtantes, & deſinentes in triangulum. Locus autem ille, prout etiam via, qua procedendum eſt ad Altare, floribus, herbiſque odoriferis conſpergatur.

6. His omnibus diſpoſitis, datur ſignum cum Crotalo hora competenti, & deinde recitantur in Choro gravi & humili voce ſine cantu & ſine luminibus Horæ Minores. Et interim, dùm dicitur Nona, excutitur è ſilice ignis extra Eccleſiam, veteri extincto, ex quo accenduntur Carbones in prædicto Vaſe; eodemque tempore Superior, vel aliquis peculiari prerogativa fulgens ex Patribus in Sacriſtia induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali violacei coloris per Diaconum, & Subdiaconum, qui deinde Stolam, & Planetas plicatas concolores ſine Manipulis accipiunt, & in Eccleſiis minoribus remanent in Albis.

7. Dicta Nona, in Sacrarium ſe conferunt univerſi, & ex eo, præviis inclinationibus, ad locum Benedictionis ſequenti ordine procedunt. Viam ſternit Thuriferarius dextera Thuribulum abſque igne ſuſtinens, ſiniſtra verò Naviculam cum Incenſo, & Cochleari intùs; indè Miniſter de Vaſe luſtralis Aquæ, ad cujus ſiniſtram incedit alter Acolythus, quinque grana Thuris, ſuperius enunciata, in Pelvi deferens. Sequitur Subdiaconus Miſſæ abſque Manipulo cum Cruce ſine Ceroferariis, tùm Clerus per ordinem, denique Celebrans cum Diacono ſine Manipulo a ſiniſtris, Pluvialis fimbriam non elevante, manibus junctis. Procedunt autem omnes nudo capite, excepto Celebrante, & Cruci Aræ Principis genuflectunt, demtis pariter Sacerdote parato, qui eidem profundè tantùm detecto capite ſe inclinat, & Subdiacono de Cruce, qui nullam exhibet reverentiam.

8. Cùm ad locum extrà Eccleſiam deſignatum perveneritSubdiaconus, ſiſtit ſe ad Eccleſiæ ejuſdem januam in medio, ei renes vertens, faciem verò ſuam, & Crucifixi Imaginem Celebranti. Clerus autem hinc inde, vel quaſi in gyrum diſponitur, ita ut juniores Cruci viciniores ſint, & Seniores Celebranti; qui Celebrans ſic ſe locat ante Menſulam ibidem præparatam, ut Subdiaconi Crucem directè reſpiciat, & Circulum, ſeu Tetragoniſmum, aut Quadrangulum efformet cum Diacono, & Miniſtris de granis Incenſi, Thuribulo, & Aqua benedicta ſtantibus a dextris ejus, & a ſiniſtris Cæremoniario, & Clerico de Libro, ſi adſit. Quibus ſic diſpoſitis, Celebrans nudo capite, manibuſque junctis benedicit novum ignem in Vaſe ſuper Menſulam ante ſe paratum, clara, & intelligibili voce dicens in directum, ſine cantu, ex Libro a Diacono, vel Acolytho ſuſtento, *Dominus vobiſcum* cum tribus ſubſequentibus Orationibus, prout in Miſſali; & dum format ſignum Crucis, Diaconus a dextris anteriorem Pluvialis fimbriam elevat, & in fine Orationum Chorus eodem vocis tono reſpondet *Amen*.

9. Igne novo benedicto, ante Celebrantem cum inclinatione accedit Clericus elevatam ad pectus Pelviculam ſuſtinens ambabus manibus cum quinque Incenſi granis. Tùm Celebrans, non præmiſſo *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus*, quaſi novam conjungens Benedictionem Thuris cum illa præcedenti ignis, eodem vocis tenore legit Orationem *Veniat, quæſumus*; quo tempore Thuriferarius, acceptis forcipibus, prunas ardentes jam benedictas in Thuribulum imponit, ac deinde prope Celebrantem ſe recipit. Supradicta Oratione expleta, Sacerdos, miniſtrante Diacono cum ſolitis oſculis, Thus immittit in Thuribulum, & benedicit more ſolito, dicens: *Ab illo benedicaris*. Deinde accepto de manibus Dia-

Diaconi Aſperſorio, ter prædicta grana Incenſi, & ter novum ignem aſpergit, in medio, a dextris, & a ſiniſtris eorum, dicens interim ſubmiſſa voce Antiphonam *Aſperges me* ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter ſimili modo, nihil dicens, adolet Incenſo.

10. Quo facto, Diaconus ille idem, qui in Officio, & Miſſa inſervire debet, ad Menſam pridem præparatam accedit, ubi dimiſſis Paramentis violaceis, aſſumit Manipulum, Stolam, & Dalmaticam albi coloris, nihil dicens. Subdiaconus verò, uti contendunt ferè omnes allegantes Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 28. num. 1., Manipulum hoc tempore, & loco accipit. Verùm ex cap. præcedenti ejuſdem Cærem. num. 12. manifeſtè colligitur Subdiaconum aſſumere debere Manipulum violaceum, quando Celebrans, cantato Præconio a Diacono, Planetam, & Manipulum violacei coloris accipit; quod ultimum conformius eſt Ritualibus Legibus. Interim accenduntur Candelulæ, una, vel plures de novo igne, & ſi opus ſit, in Laterna includuntur, ne a vento extinguantur. Lumina item univerſa Eccleſiæ, iis dumtaxat exceptis, quæ coram SS. Sacramento ardent, extinguuntur, ut de novo igne benedicto ſuo tempore accendantur.

11. Diaconus veſtimentis indutus albis ad dexteram Celebrantis redit, ut eidem in impoſitione Thuris de more miniſtret. Advertat autem Celebrans talem Incenſi quantitatem in Thuribulum immittendam eſſe, ut ſufficiat pro Proceſſione, & thurificatione Libri, cùm Thus aliud imponi non debeat, prius quàm Diaconus Præconium cantet. Impoſito Incenſo, redditaque Thuriferario Navicula, Diaconus dextera accipit Arundinem ipſi a Cæremoniario delatam, & ſequenti ordine dirigitur Supplicatio. Præcedit Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, ad cujus dexteram incedit Acolythus cum Bacili & granis Incenſi, quod ambabus manibus ele-

vatum defert. Sequitur Subdiaconus ſolus cum Cruce; tùm Clerus per ordinem; exinde Diaconus elatam Arundinem geſtans, cum Cæremoniario, vel Clerico, qui priùs de Aqua luſtrali inſerviebat, ad ejus ſiniſtram gerente Candelulam, vel duas ſimùl nexas de novo igne accenſas. Ultimus omnium procedit Celebrans manibus junctis, & tecto capite. Et interim aſportantur omnia extrà Eccleſiam præparata, ibique relicta: Paramenta autem violacea Diaconi reponuntur ad Credentiam, ut cantato Præconio, mox ea reſumere queat.

12. Cùm Diaconus Eccleſiam fuerit ingreſſus, & poſt eum Celebrans, ſiſtunt ſe omnes, idemque Diaconus cautè Arundinem inclinat, cujus unam ex tribus Candelis accendit Miniſter. Mox Diaconus dictam Arundinem elevans genua flectit, & omnes alii cum eo; etiam Celebrans, nudo capite, (excepto tamen Subdiacono Crucem deferente) & eandem Arundinem aliquantulum attollens ſolus tono mediocri cantat *Lumen Chriſti*, cui Clerus adhuc genuflexus eodem vocis tono reſpondet *Deo gratias*. Tùm aſſurgunt omnes, ulteriuſque procedunt, & cùm Diaconus ad Eccleſiæ medium devenerit, iterùm ſiſtunt ſe univerſi, & altera accenditur Candela, ut priùs; eodemque modo ipſe Diaconus cum omnibus, demto Subdiacono, genuflexus altiùs elevat Arundinem, ſoluſque altiori pariter voce canit *Lumen Chriſti*, Choro poſteà reſpondente *Deo gratias*. Tandem verſùs Altare Maximum pergunt, ante cujus infimum gradum in plano ſiſtunt ſe Thuriferarius, & Miniſter de granis Incenſi, facta priùs debita Cruci reverentia. Poſt eos locum ſumit Subdiaconus, inde Diaconus, nunc Celebrans: Clerus verò hinc inde conſiſtit, Senioribus Altari magis proximis, & Cruci primò genuflectit, deinde tranſeunti Celebranti inclinat ſe. Ibidem Diaconus tertiò inclinat Arundinem, & per Acolythum ultima accen-

cenditur Candela ; qua accenſa , Diaconus genuflexus Arundinem , & vocem adhuc altiùs elevans in cantu dicit *Lumen Chriſti* , cui omnes , ut ſupra , genuflexi reſpondent *Deo gratias* .

13. Quo dicto , recedunt Cœnobitæ ad Chorum cum debitis reverentiis , præcedentibus junioribus . Celebràns verò , aliquantulùm e medio diſcedentibus Miniſtris, Aram conſcendit , eamque oſculatur in medio , ac deinde ſe recipit ad cornu Epiſtolæ , ubi ſtat converſus ad Altare , donec Benedictionem impertiatur Diacono ſic eam expoſcenti . Depoſita ibidem Arundine in manibus illius Acolythi , qui Candelulam detulit , accipit de manu Cæremoniarii Librum Velo albo tectum , eodemque Cæremoniario comite , genuflectit in medio , & aſcendit ad ſupremum Altaris gradum , ubi ferè in medio ſuper oram Suppedanei genuflexus , abſolutè , non miniſtrans de novo Incenſum , neque præmittens *Munda cor meum* .... petit Benedictionem a Celebrante ſtante in cornu Epiſtolæ verſa facie ad ipſum Diaconum , dicendo : *Jube Domne benedicere* , cui Sacerdos reſpondet : *Dominus ſit in corde tuo , & in labiis tuis , ut dignè & competenter annunties ſuum Paſchale Præconium . In Nomine Patris , & Filii* ✠ , *& Spiritus Sancti , Amen* . Et interim dextera eum benedicit , quin manum deoſculandam porrigat , ſtatimque ad Altare , ut priùs , ſe convertit .

CAPUT XXI.

De Cerei Benedictione , Prophetiis , & Litaniis .

1. Diaconus, accepta Benedictione abſque oſculo manùs, deſcendit in planum, ibique in medio genu flectit unà cum aliis Miniſtris, exceptis Subdiacono, & Acolytho Cru-

Crucem, & Arundinem deferentibus; tùm ad Pulpitum, ſeu Legile in cornu Evangelii paratum hoc ordine procedunt. Primus omnium incedit Cæremoniarius manibus junctis, tùm ſequitur Thuriferarius cum Thuribulo ſine Navicula, habens a dexteris Acolythum deferentem Pelvim cum quinque granis Incenſi; poſteà advenit Subdiaconus cum Cruce, & a ſiniſtris ejus Miniſter de Arundine; tamdem Diaconus ſolus Miſſale clauſum ante pectus gerens.

2. Cùm ad locum deſignatum pervenerint, Diaconus in medio ſe collocat, & Legili ornato Librum apertum ſuperponit. Subdiaconus cum Imagine Crucifixi tunc verſa ad Celebrantem locum ſumit prope Diaconum a dexteris ejus, & a dexteris Subdiaconi Thuriferarius. Miniſter autem de Arundine, & alter de granis Incenſi ſtant a ſiniſtris Diaconi, omnes vertentes faciem, prout ipſe Diaconus, & rectam cum eo efformantes lineam, ita tamen ut latera, non terga vertant Altari. Quibus ſic diſpoſitis, Diaconus, accepto de manibus Thuriferarii Thuribulo abſque oſculis, priùs Librum triplici ductu incenſat, ut ad Evangelium, ac deinde Thuribulum reddit Clerico, qui ad locum ſuum, nempe ad dexteram Subdiaconi mox redit. Tùm Diaconus, prætermiſſo ſuprà Librum, & ſeipſum ſigno Crucis, alta & ſonora voce, manibus junctis incipit abſolutè in cantu Præconium *Exultet*. Quo vix inchoato, aſſurgunt omnes, ſtantque verſus Altare, detectis Cervicibus: Celebrans verò mox ſe convertit ad Diaconum, & conſiſtit in latere Epiſtolæ, manibus junctis, ut ad Evangelium.

3. Poſt verba illa *Curvat Imperia*, Diaconus cantum intermittit, & ad Cereum, comite Acolytho de granis Incenſi, & Cæremoniario, accedit, in quo quinque Thuris grana infigit in modum Crucis, quæ faciem Celebrantis reſpi-

reſpiciat, hoc ordine: primum in ſuperiori parte, alterum in media, tertium in inferiori, quartum in dextra Cerei, quintum in ſiniſtra; & interim Chorus ſedere poteſt, non verò Celebrans. Exinde Miniſter de granis, depoſita ſuper Abacum Lance, ex eoque accepta Candelula pridem extincta, ad locum ſuum, ideſt ad ſiniſtram Acolythi de Arundine illicò revertitur, ut, cùm opus fuerit, Lampades accendat. Diaconus verò, infixis granis, cum Cæremoniario a ſiniſtris ejus redit ad Librum, & ſurgentibus cunctis de Choro, proſequitur *In hujus igitur* uſque ad illa verba *Rutilans ignis accendit* incluſivè; quibus dictis iterùm Chorus in Stallis conſidet, ſi velit, & ipſe Diaconus cum Miniſtro de Arundine, & Cæremoniario denuò vadit ad Cereum, quem cum una ex tribus Candelis in ipſa Arundine poſitis accendit. Tùm priſtina repetunt loca, & Diaconus, erectis omnibus, ſequitur *Qui licet ſit diviſus....*

4. Dicto *Apis mater eduxit*, Diaconus ceſſat aliquantulùm a cantu, & Choro ſedente, ſi velit, Acolythus, qui ſuprà, ſumto cùm Candelula lumine de Cereo, vel de Candelis Arundinis, proximas tantùm Lampades accendit, ac deinde omnibus ſurgentibus, Diaconus cantum reſumit ab illis verbis *O verè Beata Nox*. Sacriſta interim alias Lampades remotas ex eodem Cereo accendit; ſed quia Lumina coram SS. Sacramento continuò ardere debent, ideò videntur nunc extinguenda, & ſtatim novo igne benedicto accendenda.

5. Circa finem Benedictionis ſemper exprimitur nomen Papæ viventis cum inclinatione capitis: Sede autem Romana vacante, omittuntur verba illa *Beatiſſimo Papa noſtro*, & dicitur *Unà cum Antiſtite noſtro* N. abſque ulla capitis inclinatione, niſi ratione Sedis Epiſcopalis vacantis prætermittendum pariter foret nomen Epiſcopi Diœceſani. Additur etiam nomen Imperatoris viven-

viventis, qui ſi non fuerit coronatus, dicitur *Reſpice etiam ad devotiſſimum electum Imperatorem noſtrum* N.: ipſo autem vita functo, ſic nuper memorata mutantur verba *Reſpice etiam ad Romanum Imperium, cujus tu Deus Fidelium vota prænoſcens....*

6. Expleto Præconii cantu, omnes inde Miniſtri recedunt cum debitis reverentiis, & Chorus ſedet. Thuriferarius Naviculam cum Thuribulo in Sacrarium reponit, ſtatimque ad Credentiam revertitur; Acolythus Arundinem firmat ſuper baſem ſuam a latere Evangelii non procul a Cereo pridem præparatam, ac deinde Abacum petit. Subdiaconus verò, Cruce in loco congruo depoſita, acceptoque Manipulo violaceo, & Diaconus, clauſo Miſſali, quin Celebrans illud oſculetur, vel thurificetur, ad cornu Epiſtolæ ſe conferunt, ubi Celebrans, dimiſſo in plano Pluviali, & Diaconus Paramentis albis, Manipulum ille, Planetamque violacei coloris induit, iſte vero Manipulum, Stolam Diaconalem, & Planetam plicatam ejuſdem coloris, nihil dicentes; & adjuvantur ab Acolythis, qui Sacras inde Veſtes in Sacriſtiam reportant. Eodem tempore ſuper Altare in cornu Epiſtolæ ponitur Miſſale cum Cuſſino violacei coloris, aſportatur Legile cum ſuo Libro, in quo cantatum eſt Præconium: aliudque, vel idem Legile denudatum collocatur ante medium Altaris cum Miſſali deſuper tegmine violaceo obducto. Celebrans verò, & Sacri Miniſtri, ſtatim ac Indumentis violaceis fuerint amicti, ad Altare in cornu Epiſtolæ ſe conferunt, ubi Celebrans, dum a Lectore cantantur Prophetiæ, eaſdem ſubmiſſa voce legit, adſtantibus Diacono & Subdiacono, ut in Introitu Miſſæ.

7. Cæremoniarius, omnibus ut ſuprà diſpoſitis, accedit ad juniorem Cœnobitam Cotta indutum, factaque ab invicem inclinatione, a ſiniſtris deducit illum tenen-

tenentem manus junctas ante pectus ad Legile, aſſurgentibus ei interim omnibus æqualibus & inferioribus. Tùm ambo genuflexionem Cruci, Choro autem ab utraque parte reverentiam exhibent, & Lector propiùs accedens ad Legile, manus hinc inde ſuper Librum extenſas ponit, omnibuſque conſedentibus primam Prophetiam ſine titulo intelligibili voce decantat in Tono conſueto Romano, in cujus fine vocem aliquantulum inflectit. Qua expleta, ibidem cum Cæremoniario genua flectit, donec Subdiaconus dixerit *Levate*, vel, ſubſequente Tractu, immediatè poſt debitas Altari & Choro reverentias ad ſuum Subſellium revertitur, manibus junctis, & comite eodem Cæremoniario cum ſolitis poſteà inclinationibus ab invicem, quæ omnia in reliquis pariter obſervantur. Singulæ autem Prophetiæ a ſingulis, ſi fieri poteſt, Religioſis decantentur per ordinem, junioribus primùm, deinde Senioribus. Si tamen neceſſitas cogat unum plures legere, id non continuatim, ſed cum interruptione quorundam fiat, & ità ut qui fortiori voce pollent, longiores ipſi decantent. Cæremoniarius autem, vel qui vices illius gerit, nullam canere debet Prophetiam.

8. Si ſedere voluerit Celebrans poſt lectam ab ipſo Prophetiam, facta priùs ibidem cum Sacris Miniſtris inclinatione Cruci, per breviorem viam nudo capite ad Scamnum in latere Epiſtolæ præparatum procedit; ubi medius inter Diaconum & Subdiaconum conſidet tecto capite, & circa finem Prophetiæ, vel Tractus iterùm per eandem viam breviorem accedit cum Miniſtris, aperto capite, ad Altare. Idem Celebrans manus jungens, caputque Cruci inclinans cantat *Oremus*, & Diaconus a tergo illius genuflexus *Flectamus genua*, & omnes genua flectunt, excepto Celebrante: Subdiaconus verò poſt Diaconum erectus dicit *Levate*, & ſurgunt

gunt cuncti. Tunc Celebrans proſequitur Orationes manibus extenſis in Tono Feriali, ſtantibus univerſis nudo capite. Sed ante ultimam Orationem non præmittitur *Flectamus genua*, nec *Levate*, ſed tantùm *Oremus*.

9. Abſoluta ultima Prophetia cum ſua Oratione, Acolythi amovent Legile cum Miſſali, & hinc inde ſuper infimum, vel ſecundum Altaris gradum æquali diſtantia tres præparant Cuſſinos Coriaceos, ſeu violaceos. Celebrans verò, & Miniſtri, è locis ſuis exhibita Cruci reverentia, propè Credentiam, ſive Scamnum Planetas deponunt, retentis Stolis, & Manipulis; ac deinde per planum ad medium Altaris accedunt, ubi, facta priùs Cruci debita reverentia, in Solo procumbunt, ſuperponentes capita ſua prædictis Pulvinaribus. Clerici autem juxtà Abacum, & reliqui in locis ſuis genu flectunt tantùm, quin ſeſe proſternant. Tunc, & non priùs bini Cantores ſuperpelliceati, ac voce æquales, ex Libro ante ſe poſito ſuper Scabellum Litanias in medio Chori genuflexi inchoant, & proſequuntur, utroque Choro idem ſimùl reſpondente. Prædictæ autem Litaniæ abſque ulla detractione, additione, vel immutatione decantantur, prout in Miſſali novo; nec Verſus *Per Sanctam Reſurrectionem tuam* geminatur: additur tamen, ubi non adſit, nomen S. Joſeph immediatè poſt *S. Joannem Baptiſtam*.

10. Cùm perventum fuerit ad ℣. *Peccatores*, reliqua moroſiùs decantantur, ne ſilentium Litanias inter & Miſſam ponatur. Celebrans verò, & Miniſtri aſſurgunt, & peracta Altari debita reverentia, ſic in Albis ad Sacrarium (ſi proximum fuerit, alioquin ad ſolitum Scamnum prope Altare in cornu Epiſtolæ) Paramenta alba pretioſa ſumturi pergunt tecto capite, manibuſque junctis, unus poſt alium, præeuntibus Thuriferario ſine Thuribulo, & Ceroferariis ſimùl abſque Candelabris, deinde Cæremoniario, nudo capite, manibuſ-

nibuſque junctis. Interim alii Miniſtri Cuſſinos ab Altaris gradibus removent, accendunt Cereos ejuſdem huc uſque extinctos, Scamnum Celebrantis exornant, Pallium & Conopæum Tabernaculi violacea tollunt, ut appareant Alba, ac denique omnia pro Miſſarum Solemniis requiſita præparantur. Rursùs, expletis Litaniis, diſcooperiuntur Imagines, ſive Icones per Eccleſiam.

CAPUT XXII.

De Miſſa, & Veſperis hujus Sabbati.

1. CElebrans & Miniſtri Sacri, ſumtis Miſſalibus Indumentis, ad Altare, ut alibi enunciatum eſt, procedunt, ibique Sacrum de more inchoant cum Pſalmo *Judica me Deus*, & *Gloria Patri*, & interim ſolemniter cantantur in Choro *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, & *Kyrie* novies alternatim, donec tempus intonandi Hymnum Angelicum advenerit. Celebrans, finita Confeſſione, Altare conſcendit, illudque in medio oſculatur, & impoſito thure incenſat, ut moris eſt. Tùm ipſe thurificatur a Diacono, & ibidem ad Aram converſus novies recitat cum Miniſtris *Kyrie eleiſon* ſubmiſſa voce; quibus ab eo, & a Choro finitis, ſolemniter de more intonat in medio Altaris *Gloria in Excelſis Deo*, & illicò pulſantur Organa & Campanæ, quæ ſunt intrà parietes Eccleſiæ: majores verò in Turri Campanaria non debent pulſari, niſi jam dato ſigno in Cathedrali vel Matrice Eccleſia, excepta tamen noſtra Sacroſancta Patriarchali Baſilica Aſſiſienſi, & locis iis ubi ab immemorabili fuit invecta alia conſuetudo.

2. Brevi facto Campanularum ſonitu, Chorus proſequitur Hymnum, Celebrans in ſuo ornato Scamno aſſidet, & deinde Orationem cantat, ſtantibus univerſis. Finita Epiſtola, Subdiaconus oſculatur de more ma-

num Celebrantis, & ab eo Benedictionem accipit; deinde, & non priùs, ipſe Celebrans ſtans adhuc in cornu Epiſtolæ cum Miniſtris Sacris, ut ad Introitum, ter ſolus decantat *Alleluja*, ſemper elevando vocem gradatim, & Chorus poſt quamlibet vicem in eodem tono & voce illud idem repetit. Poſteà Chorus & Celebrans reſpectivè proſequuntur ℣. *Confitemini*, & Tractum *Laudate Dominum*. Evangelium more ſolito cantatur a Diacono, petitur Benedictio, & adhibetur Incenſum; ſed Ceroferarii ſtant hinc inde a lateribus Subdiaconi manibus junctis, ſine Candelabris, & ſignant ſe cum Diacono, cùm non ſint impediti. In hac miſsa prætermittuntur Symbolum, Offertorium, pacis oſculum, *Agnus Dei*, & Poſtcommunio.

3. Facta a Celebrante purificatione & ablutione, Dignior de Choro præintonatam ſibi ab aliquo Antiphonam *Alleluja* in cantu incipit pro Veſperis abſque ſigno Crucis, & Chorus eam proſequitur. Tùm duo Cantores in medio conſiſtentes intonant Pſalmum *Laudate Dominum omnes Gentes*, quem Cæteri alternatim abſolvunt, cum *Gloria Patri* in fine, & repetitione præfatæ Antiphonæ. Celebrans verò, ſumta ablutione, accedit ad cornu Epiſtolæ, ubi, adhuc retenta Planeta, nuper memoratam Antiphonam, & Pſalmum, loco Poſtcommunionis dicit ſubmiſſa voce cum Sacris Miniſtris ſtantibus, ut ad Introitum Miſſæ. Deinde Celebrans, repetitis in Choro *Alleluja*, mox præintonatam ſibi a Subdiacono Antiphonam ad *Magnificat*, nempè *Veſpere autem Sabbati*, in eodem cornu Epiſtolæ intonat, quam poſteà ipſe cum Miniſtris ſubmiſſa voce proſequitur, & Chorus in cantu.

4. Expleta per Chorum Antiphona, iidem Cantores, qui ſuprà, ſolemniter intonant cum ſigno Crucis Canticum *Magnificat*, Choro alternìs proſequente. Et Celebrans, facto ſibi ibidem cum Miniſtris ſigno Crucis a fron-

a fronte ad pectus, ſtatim cum iiſdem accedit ad medium Altaris, ubi poſt reverentiam Cruci, imponit, & benedicit Thus de more; ac deinde Altare thurificat, prout initio Miſſæ, Sacris Miniſtris hinc inde poſteriorem Planetæ partem elevantibus. Quo facto, ipſe Celebrans thurificatur a Diacono in cornu Epiſtolæ, ſtante Subdiacono a ſiniſtris ejus, ut in Introitu Miſſæ. Exinde Diaconus Thuribulum præ manibus habens, Chorum de more thurificaturus procedit, præeunte Thuriferario; tùm ad Altare reverſus Subdiaconum ſtantem a dexteris Celebrantis incenſat in cornu Epiſtolæ in plano, & ipſe pari Ritu Incenſum accipit a Thuriferario, qui Acolythos inde, & Populum thurificat.

5. Celebrans verò, Thure accepto, ad Aram ſeſe convertit, ibique ſtans in eodem cornu Epiſtolæ incipit, & perficit alternatim cum Subdiacono ſtante a dextris ejus Canticum *Magnificat*, cum *Gloria Patri*, & repetitione Antiphonæ; nec inde ſe movet, donec in Choro expletus ſit cantus. Tunc accedit ad medium Altaris cum Miniſtris a tergo, & eo oſculato, ad Populum converſus cantat *Dominus vobiſcum*, & proſequitur Miſsam more ſolito, hoc tantùm addito, quod Diaconus dicit *Ite Miſſa eſt* cum duplici *Alleluja*. Sacra tandem Actione completa, in Sacrarium redeunt, ubi facta Cruci, vel Imagini nudo capite reverentia, dimiſſiſque Paramentis, mutua ſibi gaudia Paſchalia annuntiant, & diſcedunt.

6. Poſt Miſſam Sacerdos aliquis Cotta, Stola, & Velo humerali albi coloris indutus, è loco, ubi Feria V. fuit repoſita Pyxis cum Particulis conſecratis pro Infirmis, reportat ſub Umbella ipſam Pyxidem, præcedentibus Clericis cum Intortitiis, ad ſuum Tabernaculum in propria Cappella, ubi aſſervari ſolet. Tùm extinguuntur Cerei Altaris, & tres Candelæ in cuſpide Arun-

Arundinis poſitæ, quæ ulteriùs non accenduntur, & Arundo ipſa omninò eſt amovenda. Extinguitur quoque Cereus Paſchalis, qui tamen remanet in ſuo Candelabro, & regulariter accendi debet ad Miſſas & Veſperas Solemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis diebus uſque ad Aſcenſionem, quo die cantato Evangelio, extinguitur. Ad Matutinum, & in aliis diebus, & Feſtivitatibus etiam ſolemniter celebratis non accenditur, niſi adſit conſuetudo. Verùm in Miſſis, in quibus adhibetur color violaceus, vel niger, prout ſunt Miſſæ majorum, minorumque Litaniarum, & Defunctorum, minimè accenditur, etiamſi ſolemniter decantentur.

CAPUT XXIII.

De eodem Sabbato Sancto in Eccleſiis minoribus.

1. OMnibus, ut ſupra, reſpectivè diſpoſitis, dicuntur Horæ minores humili voce, Candelis Altaris extinctis ad initium uſque Miſſæ, & interim excutitur ignis de lapide extrà Eccleſiam, ex quo accenduntur carbones. Expleta Nona, Sacerdos Pluviali violaceo, vel Stola tantùm ſuper Albam indutus ad Portam principem Eccleſiæ tecto capite procedit, præeuntibus Miniſtris ſuperpelliceatis cum Cruce, Aqua benedicta, & Incenſo, & deinde Cœnobitis, binis & binis.

2. Clericus de Cruce, cùm ad Eccleſiæ januam pervenerit, ſiſtit in limine ejuſdem, faciem ſuam, & Crucifixi Imaginem vertens ad Celebrantem, qui ex adverſa parte ſtans ante Menſam, legens benedicit novum ignem, & quinque grana Incenſi. Dum autem præfata benedicuntur grana, Thuriferarius ignem ponit in Thuribulo, & finita ultima Oratione, Sacerdos de Navicula Thus mittit in Thuribulum, benedicens illud more ſoli-

ſolito; deinde nuper memorata grana, & ignem ter aſpergit, dicens *Aſperges me...* ſine cantu, & ſine Pſalmo, & ter adolet Incenſo; & interim omnia luminaria Eccleſiæ extinguuntur, ut de igne benedicto poſtmodum accendantur.

3. Idem Celebrans reddito Thuribulo, deponit Pluviale, & Stolam coloris violacei, & accipit Manipulum, Stolam Diaconalem, & Dalmaticam albi coloris. Tum Incenſum denuò imponit in Thuribulo cum benedictione, & accepta Arundine, procedit ad Benedictionem Cerei ordine ſequenti. Præcedit Thuriferarius cum Acolytho a dexteris ejus deferente in Pelvicula grana Incenſi: ſequitur alter Clericus cum Cruce, & Clerus per ordinem; ultimò Celebrans cum Arundine; habens a ſiniſtris ejus Acolythum gerentem Candelulam de novo igne accenſam. Cùm Sacerdos diaconali habitu indutus, Eccleſiam fuerit ingreſſus, Miniſter de Candelula unam ex tribus Candelis Arundinis accendit; omnibuſque genuflexis, excepto Crucifero, idem Sacerdos elevans aliquantulùm Arundinem, ſolus dicit: *Lumen Chriſti*, cui cæteri reſpondent *Deo gratias*. Idem ſecundò ad medium Eccleſiæ, & tertiò ante Altare peragitur, accenſa qualibet vice una Candela, elevataque gradatim voce, & Arundine.

4. Poſt hæc Celebrans, tradita in manibus unius Acolythi Arundine, accipit Librum, & in imo Altaris gradu genuflexus dicit ſine *Munda cor meum...*, *Jube Domine benedicere*, & ipſemet ſubdit: *Dominus ſit in corde meo, & in labiis meis, ut dignè, & competenter annuntiem ſuum Paſchale Præconium*. Tum ſurgit, & facta genuflexione Cruci, cum Miniſtris ordinatè procedit ad Legile paratum in plano Evangelii, ubi, thurificato prius Miſſali, quin Incenſum de novo imponat, clara voce incipit, & proſequitur *Exultet*, ſervato Ritu aliàs enunciato.

5. Fi-

5. Finito Præconio, Celebrans claudit Miſſale, accedit ad latus Epiſtolæ, ibique prope Credentiam dimiſſis Paramentis albis, Manipulum ſumit cum Stola, & Planeta coloris violacei. Poſtea clara voce leguntur, vel cantantur Prophetiæ in plano ante Altare, quas pariter ſubmiſſa voce legit Celebrans in cornu Epiſtolæ, cantans genuflexus in fine cujuslibet, excepta ultima, *Flectamus genua*, cui Acolythus, vel Chorus reſpondet *Levate*. Completis Prophetiis, Celebrans Caſulam deponit extra cornu Epiſtolæ, & ante Altare procumbit, dum cantantur Litaniæ. Si verò Religioſorum defectu eaſdem cantet, vel legat, tunc non proſtratus, ſed genuflexus manet, & eo caſu non dicit in fine *Kyrie eleiſon*, ſed in Sacriſtiam Indumenta Miſſalia alba ſumturus vadit; & interim removetur Pallium Altaris violaceum, ut appareat album, accenduntur Cerei, præparatur Calix cum Miſſali albo ſuper Aram, aliaque ad Sacrificium neceſſaria.

6. Celebrans indutus Paramentis albis ad Altare revertitur, Acolytho præcedente, ubi Miſſam, ut moris eſt, incipit cum Pſalmo *Judica me...*, & interea ſolemniter cantatur *Kyrie eleiſon...*, unà cum reliquis, ſi fuerit ſufficiens Fratrum numerus; ſin autem, ipſe Celebrans, facta Confeſſione, Altare aſcendit, oſculatur illud in medio, & ibidem dicit novies alternatim *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, & *Kyrie*, cùm Introitus prætermittatur. Ad *Gloria in Excelſis*, pulſantur Campanæ, ut ſupra dictum eſt. Poſt Epiſtolam, quam aliquis cantat, ter dicit *Alleluja*, elevando gradatim vocem, & Chorus pòſt quamlibet vicem in eodem tono repetit illud; deinde idem Celebrans ſubmiſſa voce, & Chorus in cantu proſequuntur Verſum, & Tractum: Evangelium de more cantat Celebrans, Symbolum non dicit, nec Offertorium, nec *Agnus Dei*, neque Poſtcommunionem.

7. Poſt

7. Poſt ablutionem, pro Veſperis in Choro canitur Antiphona *Alleluja*, Ritu duplici, cum Pſalmo *Laudate Dominum omnes Gentes*, in cujus fine dicitur *Gloria Patri*, & repetitur eadem Antiphona. Tum Celebrans, præfatis etiam ab ipſo in cornu Epiſtolæ recitatis, mox ibidem in cantu incipit *Veſpere autem Sabbati*, & Chorus proſequitur *quæ luceſcit* ..., deinde cantatur *Magnificat*, cum *Gloria Patri*, & repetitione Antiphonæ. Quibus a Choro & Celebrante expletis, iſte in medio Altaris cantat *Dominus vobiſcum*, ac reliqua, ut ſuprà, perficit, & in Sacrarium Paramenta dimiſſurus redit.

8. Eccleſia Parochialis in Diœceſi venit ſub nomine Matricis, ante quam iccircò nequeunt Regulares Campanas pulſare in Sabbato Sancto. Sac. Congr. 9. Februar. 1608.

9. Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ Campanæ Majores antequàm ſignum datum fuerit in Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia. S. R. C. 12. Mart. 1609., 14. Nov. 1615., & 3. Jun. 1617.

10. In Sabbato Sancto, etiamſi occurrat Feſtum Annuntiationis B.M.V., celebratio Miſſarum privatarum omninò prohibetur in quibuſcumque Eccleſiis & Oratoriis, tam publicis quàm privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, ſed unica tantùm Miſſa Conventualis unà cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur. S. R. C. 11. Febr. 1690. adprobante Alexandro VIII.

11. Quando Feſtum Annuntiationis B.M.V. occurrit in Sabbato Sancto, Miſſæ privatæ celebrari non poſſunt; & Feſtum Annuntiationis transferendum erit ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, tanquam ad diem propriam, & fixam, juxtà Decretum 11. Februar. & 11. Mart. 1690. S. R. C. 10. Jan. 1693.

12. In Eccleſiis, ubi deeſt numerus Cantorum,

non poteſt celebrari in Sabbato Sancto unica Miſſa privata, loco Solemnis, ut in eiſdem Eccleſiis fiat benedictio tam Luminis & Cerei, quàm Aquæ, attentis maximè Decretis 11. *Febr.* & 11. *Mart.* 1690. prohibentibus celebrationem Miſſarum privatarum, & unicam tantùm Miſſam Conventualem unà cum Officio Sabbati Sancti celebrari præcipientibus. S. R. C. 13. Jul. 1697.

13. Benedictio Aquæ in Sabbato Sancto, etiam ſine infuſione Olei Sancti, fieri non poteſt in Eccleſiis non habentibus Fontem Baptiſmalem; quamvis uſus ſit in hujuſmodi Eccleſiis talem Benedictionem fieri. S. R. C. 13. Jul. 1697.

14. Prima pulſatio Campanarum in Sabbato Sancto non eſt de juribus Parochialibus prout jacet, ſed ſpectat ad Eccleſiam digniorem, ad formam Conſtitutionis Leonis X. S. R. C. 10. Dec. 1703.

CAPUT XXIV.

De Paſchate uſque ad Aſcenſionem Domini.

1. PRæter ea, quæ in Rubricis cùm Miſſalis, tum Breviarii clara ſunt, Superior in Die Paſchatis, niſi legitimo fuerit impedimento præpeditus, Matutinas Preces ſaltem ante Auroram, Miſſarumque Solemnia unà cum Veſperis hora competenti celebrare omninò debet cum ſex Aſſiſtentibus, & duobus Cantoribus. Diebus verò ſubſequentibus Sacris operabuntur Sacerdotes Graduati, quatuor dumtaxat ſumtis ſibi Miniſtris cum Pluvialibus, & duobus Cantoribus. Ad Laudes & Veſperas ſolemnes Celebrans intonat in cantu Antiphonam *Hæc dies*. Ad Primam, dum Lector Martyrologii annuntiat hodie ſolemniori & altiori tono Paſchalem Solemnitatem dicens: *Hac die, quam fecit Dominus...*, Univerſi in

Choro

Choro ſtant nudo capite. Cùm autem poſtea pronuntiantur Kalendæ, & annuntiatur Martyrologium ſequentis diei, omnes ſedent more ſolito.

2. Sacerdos aliquis Stola alba, vel etiam Cotta paratus benedicit in Menſa Agnum Paſchalem, Ova, Panem &c. prout in Rit. Rom., & in fine ter aſpergit ea abſque Incenſo. Hodie prohibentur Miſſæ in Oratoriis privatis: nec in Eccleſiis noſtris, quibus non eſt annexa animarum Cura, miniſtrari poteſt Sacra Euchariſtia, etiam devotionis cauſa, Sæcularibus quibuſcumque, niſi fuerint continui Commenſales noſtri. Inſuper celebrari nequeunt Miſſæ votivæ, etiam ſolemnes pro re gravi, nec Miſſæ Defunctorum, etſi præſente Cadavere; quin Exequiæ, & humatio ejuſdem transferri debent in diem ſequentem. Feria autem ſecunda, & tertia, unica tantùm, & quidem in cantu, & præſente in Eccleſia corpore, celebrari poteſt Miſſa de *Requiem*.

3. Ante Miſſam fit aſperſio luſtralis Aquæ ab ipſomet Superiore Celebrante, qui in medio Miniſtrorum ſuper infimo Altaris gradu genuflexus in cantu dicit *Vidi aquam*, & reliqua proſequitur, prout in Cap. XV. part. II. *Ite Miſſa eſt* dicitur cum duplici *Alleluja* uſque ad Sabbatum in Albis incluſivè, non tamen in Miſſis, quæ cum Paramentis violaceis fortè debent cantari, puta Litaniarum majorum, ſeu pro publica neceſſitate, nec in Miſsa quacumque votiva Solemni pro re gravi. Item infra hanc Octavam Paſchatis, occurrente Feſto ſimplici, non debet dici tertia Oratio, ſed duæ tantùm, omiſsa illa, quæ præſcribitur dicenda *Eccleſiæ*, vel pro Papa, poſt Orationem diei.

4. Toto tempore Paſchali in Feſtis Sanctorum Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, necnon unius, aut plurimorum Martyrum, Officium peragitur ut in Breviario tempore Paſchali. In Feſtis verò B. M. V., Confeſsorum

Pontificum & non Pontificum, item SS. Virginum & non Virginum, aliorumque peculiari Officio pro tempore Paſchali haud gaudentium, Officium celebratur prout aliis temporibus; hoc addito quòd Invitatorio, Antiphonis, Verſibus, & Reſponſoriis Lectionum unum ſuperadditur *Alleluja*, ſi deſit; Reſponſoriis autem brevibus Horarum duplex. Tres Pſalmi cujuslibet Nocturni ſub prima tantùm Antiphona ejuſdem abſolvuntur, ſervato ſemper Ritu duplici, vel ſemiduplici Feſti occurrentis. In Officio ſemiduplici, & ſimplici extrà Octavas fit Commemoratio tantùm de Cruce ad Laudes & Veſperas, prout notatur in Feria ſecunda poſt Dominicam in Albis. In Officio parvo B. M. V. non additur *Alleluja* Invitatorio, neque Antiphonis, neque Verſibus, neque Reſponſoriis. Si Feſtum a tempore Paſchali ad non Paſchale transferatur, recitantur tunc Officium & Miſsa prout tempore non Paſchali, ſine *Alleluja*, exceptis iis, quæ ſunt propria, & utrique tempori convenientia; e contra verò ſi fiat translatio a tempore non Paſchali ad Paſchale, recitantur prout tempore Paſchali cum *Alleluja*. Item in Miſſis tam Feſtivis, quàm Votivis additur in fine Introitus duplex *Alleluja*, niſi jam adſit. Poſt Epiſtolam, omiſso Graduali, duo dicuntur Verſus cum quatuor *Alleluja*, & in fine Offertorii, & Communionis unicum ponitur *Alleluja*, quemadmodum & in præparatione ad Miſsam, Gratiarumque actione ad Antiphonas *Ne reminiſcaris*, & *Trium Puerorum*.

5. In hoc tempore Paſchali, in die S. Marci Evangeliſtæ, & triduo ante Aſcenſionem, de præcepto recitandæ ſunt etiam privatim Litaniæ Sanctorum cum ſuis Precibus & Orationibus abſque ulla immutatione, additione, vel detractione, poſt Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino*, & quidem flexis genibus: quæ anticipari nequeunt ſimul cum Matutino. In his inſuper die-

bus

bus pro locorum conſuetudine Supplicatio peragitur vel cum Clero Sæculari, vel intrà domeſticos parietes, ritu enunciato in Cap. II. part. V. & in ea cantantur Litaniæ, quin neceſsariò duplicentur. Qui Proceſſioni non interſunt, aut Litanias cum aliis non recitant, vel indebito modo, tenentur eas privatim dicere flexis genibus, cum ſint pars notabilis Officii hujus diei. Si cantetur Miſsa Rogationum, Dalmaticæ, aliaque Paramenta violacea adhibentur. Dicitur Præfatio Paſchalis in Tono feriali cum *Communicantes*, & *Hanc igitur* propriis ejuſdem Paſchatis, ſi infra ejuſdem Octavam occurrat. Attamen non dicitur *Gloria*, nec *Credo*, nec genufleɛtitur in Choro ad Orationes, neque Cereus Paſcalis accenditur, vel accenſa tenentur Intortitia poſt Elevationem Calicis.

6. Feria ſecunda Rogationum eſt Feria major, unde licèt non excludat Feſtum novem lectionum ſive occurens, ſive translatum; debet tamen legi ſemper de eadem Feria, quocumque recurrente Feſto etiam primæ claſſis, nona Lectio ad Matutinum, & fieri commemoratio in Laudibus tantùm, ac Miſsa cum ejus Evangelio in fine, ante commemorationem Simplicis, ſed poſt Octavam, ſi occurrat. In Eccleſiis verò, ubi duæ cantantur Miſsæ, una dicitur de Feſto poſt Tertiam ſine commemoratione Feriæ; altera poſt Nonam, vel completa Proceſſione, de Rogationibus, ut ſuprà, abſque commemoration Feſti. Quod ſi Feſtum duplex, aut ſemiduplex etiam translatum, proprias non habuerit Lectiones pro primo Nocturno, tunc ſumuntur ex Communi Sanctorum, niſi fortè Initium Epiſtolæ primæ B. Petri Apoſtoli præcedenti Dominica recitari nequiverit. Idem dicendum, ſi in ea occurrat dies infrà Octavam: incidente verò die Octava, tunc repetendæ ſunt Lectiones poſitæ in Feſto. Tandem ſi nullum ex dictis occurrat Feſtum (nec enim in hac Feria ſecunda Rogationum fieri

queunt

queunt Officia per Annum) tunc Officium & Miſsa celebrantur de eadem Feria cum colore albo in Altari, & violaceo pro Celebrante, cujus coloris pariter erit Pallium ejus Altaris, in quo cantabitur Miſsa conventualis de Rogationibus.

7. De Feria tertia Rogationum, utpotè Feria minori, in qua recitari poſsunt Officia etiam votiva per Annum, nulla fit commemoratio in Officio, ſed tantùm in Miſsa cum Oratione *Præſta quæſumus* ..., non verò Dominicæ præcedentis *Deus, a quo bona*..., & quidem poſt commemorationem Simplicis, ſi occurrat: ejuſdem tamen Feriæ non legitur ultimum Evangelium, ſed S. Johannis. Ubi verò ratione Proceſſionis duæ cantantur Miſsæ, illa de Rogationibus poſt Nonam dicetur ut heri cum iiſdem Orationibus, nimirùm *Præſta quæſumus*..., *Concede*..., & *Eccleſiæ tuæ*..., vel *Deus omnium Fidelium*....

8. Si in Feria quarta Rogationum occurrat Feſtum primæ Claſſis, tunc nec in Officio, nec in Miſſa etiam privata fit aliquid de hac Vigilia, neque de eadem cantatur Miſſa. Si autem occurrat quodcumque aliud Duplex vel Semiduplex etiam ex translatis, fit Officium de eo cum nona Lectione de Homilia Vigiliæ, ejuſque Commemoratione ad Laudes, & Miſſas; deinde, excepta Miſſa Solemni ſecundæ Claſſis, fit etiam Commemoratio Feſti Simplicis, ſi occurrat, ac demùm Rogationum, ſcilicet *Præſta quæſumus*, de quibus tamen nihil in Officio, & in fine Miſſæ legitur Evangelium de Vigilia. In Eccleſiis vero, ubi plures cantatur Miſſæ, prima dicitur de Feſto poſt Tertiam, ſecunda de Vigilia poſt Sextam in Paramentis albis cum *Gloria*, ſine *Credo*, & ubi ratione Proceſſionis cantatur tertia Miſſa de Rogationibus, poſt Nonam, ut heri. Si autem occurrat alicubi dies infra Octavam, tunc Officium quidem fit de die illa infra Octavam, ſed Miſſa dicitur de

de Vigilia Aſcenſionis cum ſecunda Oratione Octavæ, & tertia *Concede* .... verùm de die Octava ſemper dicitur Miſſa: quod idem ſervatur ſi dies illa Octava, aut infra Octavam incidat in Feriam ſecundam aut tertiam Rogationum. Si denique in hac Vigilia Aſcenſionis nullum occurrat Feſtum novem Lectionum, tunc Officium & Miſſa dicuntur de eadem, cum Commemoratione Simplicis fortè occurrentis.

CAPUT XXV.

De Aſcenſione Domini uſque ad Feſtum SS. Corporis Chriſti.

1. FEſtum Aſcenſionis Domini, cùm ſit privilegiatum ſupra quodcumque aliud, etiam Patroni, & Tituli Eccleſiæ, vel Dedicationis ejuſdem, ſit ſemper de eodem; Feſtumque Solemne in eo occurrens non modò transfertur, ſed nec ulla Miſſa de illo cantari hodie poteſt. Prohibentur etiam Miſſæ in Oratoriis privatis, & Miſſæ votivæ, ac Defunctorum, etiam unica Solemnis, præſente Cadavere. Officium dicitur ut in proprio de tempore cum Antiphonis ad unumquemque Pſalmum. Officium verò de Feſtis infra hanc Octavam uſque ad Pentecoſten occurrentibus ſit Ritu Paſchali cum una Antiphona pro quolibet Nocturno. Dicto Evangelio hodierno, extinguitur Cereus Paſchalis, nec ulteriùs accenditur, & ideò cum ſuo Candelabro amovetur.

2. Feria ſexta poſt Octavam Aſcenſionis, necnon Sabbato ſequenti Officium ſit Ritu Semiduplici, ut ibidem, abſque Suffragiis, & Precibus, & cum Commemoratione, ac nona Lectione Simplicis, ſi occurrat. Si autem in dictam Feriam ſextam incidat Feſtum duplex etiam translatum, tunc ſit de illo cum Commemora-

moratione Feriæ ad Laudes, Miſſam, & Veſperas ſecundas, quin nona Lectio, & Evangelium de eadem legantur, vel *Symbolum* dicatur. Et ſi Duplex illud occurrens ſit primæ, vel ſecundæ Claſſis, de memorata Feria nihil fit, nec in Officio, neque in Miſſa. Item a Veſperis hujus Feriæ ſextæ incluſivè ad Feſtum uſque SS. Trinitatis pariter incluſivè ſuſpenduntur, ac interrumpuntur Octavæ omnes particulares.

3. Vigilia Pentecoſtes cum ſubſequente Octava ita eſt privilegiata, ut Feſtum quodcumque infra hoc tempus occurrens transferri debeat poſt Feſtum SS. Trinitatis. Ad Officium hujus Sabbati uſque ad Nonam incluſivè adhibetur color albus, poſtmodùm ad Prophetias, & Litanias uſque ad Miſſam excluſivè color violaceus; deinceps verò rubeus, qui & in Miſſis privatis quoad Veſtes Celebratium eſt adhibendus, licèt celebrent ante Nonam. Hora competenti Sacra peragitur Actio reſpectivè ut in Sabbato Sancto; unde vide quæ ibi fuſiùs dicta ſunt. Miſſæ verò privatæ, omiſſis Prophetiis, earumque Orationibus, ac Litaniis, dicto de more Pſalmo *Judica me*, ac facta Confeſſione &c., abſolutè incipiunt ab Introitu *Cùm Sanctificatus fuero*. Unica dicitur Oratio, etiamſi occurrat Feſtum ſimplex, & de eo facta ſit Commemoratio in Officio: neque dicitur Oratio imperata a Majoribus. Ab hac die, & per totam Octavam prohibentur Miſſæ Votivæ, & de *Requiem*, niſi præſens adſit Cadaver. Die verò Solemni Pentecoſtes excluduntur quæcumque Miſſæ Votivæ, & Defunctorum, etiam præſente Cadavere, nec Sacrum in Oratoriis privatis confici poteſt.

4. Veſperas, Matutinum, Miſſamque ſolemniter celebrat Superior in die Pentecoſtes, prout diximus de Feſto Paſchatis; diebus verò ſubſequentibus Patres Graduati cum quatuor Aſſiſtentibus. Celebrans, dum intonat

Veni

Digitized by Google

Veni Creator ..., erectus ſtat, & jungit, extendit, & elevat manus, & caput Cruci inclinat, deinde genuflectit; cæteri autem ab initio intonationis uſque ad *Creaſti pectora* incluſivè genua flectunt, ut ipſe Celebrans. Prædictus Hymnus cum tota Hora Tertia Solemniùs ſolito per octavam eſt decantandus. Dum in Choro canitur in Miſſa ℣. *Veni Sancte Spiritus*..., genua flectunt omnes uſque ad finem, etiam Celebrans in Altari, ſolis exceptis Cantoribus. In his Quatuor Temporibus Miſſa Solemnis dicitur poſt Nonam in Paramentis rubeis, & cum Dalmaticis, & ſicuti non dicitur *Flectamus genua*, ratione temporis Paſchalis, ita nec Chorus genuflectit ad Orationes; Funalia etiam extinguuntur poſt elevationem Calicis. Si poſt primum triduum Simplex occurrat, de eo tunc fit Commemoratio etiam in Miſſa, ſed omittenda eſt tertia Oratio *Eccleſiæ*, vel *Deus omnium*... Poſt Nonam hujus Sabbati, Celebrata Miſſa, terminatur tempus Paſchale, & a Veſperis ejuſdem uſque ad Dominicam primam Adventus in fine Officii dicitur Antiphona *Salve Regina*... flexis genibus, exceptis diebus Dominicis, a primis Veſperis; Hebdomadarius tamen ad Orationem ſurgit. Ritus idem ſervatur pro ſalutatione Angelica, quæ ter in die dicitur; nimirùm ſtandum a primis Veſperis Sabbati, non verò a Meridie ejuſdem. Quando autem Antiphona finalis B. M. V. dicitur ſtando, ſimili modo ſcilicet ſtando recitantur *Pater*, *Ave*, & *Credo* in fine Completorii.

5. Feſtum SS. Trinitatis occurrit ſemper in Dominica prima poſt Pentecoſten, nec unquam transfertur, etſi occurrat alicubi Feſtum primæ Claſſis. De Simplici in eam incidente fit Commemoratio in Laudibus tantùm, & Miſſis privatis; & ſi in ſecundis Veſperis concurrat cum Feſto primæ Claſſis, fit de ſequenti cum Commemoratione Trinitatis tantùm; ſi cum Feſto ſecundæ

 Claſſis,

Claſſis, Veſperæ integræ erunt de Trinitate cum Commemoratione dicti Feſti dumtaxat. Octava SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, cùm non ſit Octava privilegiata, Feria ſexta, & Sabbato infrà illam Celebrandum eſt Officium de die ſecunda & tertia infrà Octavam Corporis Chriſti cum Commemoratione SS. Trinitatis. S. R. C. die 8. Iunii 1709. Et Symbolum S. Athanaſii non eſt recitandum ad Primam, niſi in die Feſti, & ejuſdem die tantùm Octava juxta Dec. S. R. C. 5. Maii 1736.

6. Solemnitas Corporis Chriſti, quæ Feria quinta poſt Feſtum SS. Trinitatis occurrit, eſt primæ Claſſis, & privilegiata ſupra quodcumque aliud Feſtum; unde ſi in eam incidat Duplex, vel Semiduplex, transferri debet poſt Octavam, & ſi Duplex illud fuerit primæ vel ſecundæ Claſſis, tunc de eo Celebratur Officium infrà Octavam prima die non impedita. Feſtum verò Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ veniens in die Corporis Chriſti, ex Privilegio transfertur quoad Officium in diem immediatè ſequentem tamquam propriam & fixam, itaut excludat quodcumque aliud Officium in ea occurrens, & in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit tantùm Commemoratio S. Johannis, prout etiam infrà Octavam. Dies autem Octava S. Johannis veniens tunc in Octava SS. Corporis Chriſti non transfertur, ſed de illa eo anno fit tanùm Commemoratio in utriſque Veſperis, Laudibus, & Miſſa. Occurrente item Vigilia S. Johannis Baptiſtæ, vel jejunium Ordinis ante Feſtum S. Antonii de Padua in prædicta die Corporis Chriſti, anticipatur jejunium, nec quidquam fit in Officio vel Miſſa de Vigilia S. Johannis, neque de eadem cantatur Miſſa.

7. In die Octava non fit niſi de Duplici primæ Claſſis occurrente, cætera verò transferuntur. Si de die infra Octavam Officium celebretur, de Simplici forſitan occurrente fit tantùm commemoratio abſque nona Le-

ctione ejuſdem; ſin autem de Sancto peragatur Officium, ultra commemorationem legitur etiam nona Lectio Simplicis. Matutinæ Laudes per totam Octavam pridie recitantur poſt Completorium ob Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas iis, qui Divinis interſunt Officiis, & Miſſis: quæ Indulgentiæ valent, etiamſi dicatur Officium de Sancto occurrente. Cùm in Hymno dicitur *Tantum ergo*..., genuflectunt omnes uſque ad *Genitori* excluſivè, ſi coram SS. Sacramento, etiam in Tabernaculo incluſo, ea verba proferuntur, aliàs minimè. Similiter ad verba *O Salutaris Hoſtia*..., eodem modo genuflectitur. Superiorem in Feſto Corporis Chriſti ſolemnia peragere convenit cum ſex Aſſiſtentibus, & duobus Cantoribus. Per totam Octavam celebrari nequeunt Miſſæ Votivæ, & de Requiem, & in die Corporis Chriſti neque una ſolemnis, præſente Cadavere: Et prohibitæ item ſunt Miſſæ in Oratoriis privatis. Proceſſioni Generali interveniant univerſi cum debita modeſtia, & nudo prorſus capite; in qua ſervetur Locorum conſuetudo. Quoad Expoſitiones, Benedictiones, & Proceſſiones peculiares SS. Corporis Chriſti in Eccleſiis noſtris infra hanc Octavam peragendas, mos cujuſque Regionis retineatur, & obſerventur Ritus pro talibus Functionibus præſcripti in prima parte hujus Cæremonialis.

8. Miſſæ Conventuales infra Octavam Corporis Chriſti, poſſunt, ubi eſt conſuetudo, cantari ſine Diacono, & Subdiacono, excepto die feſto, ac Dominica, & die Octava. S. R. C. 15. Mart. 1608.

9. In Feſto SS. Corporis Chriſti non convenit cantare Cantiones vulgari ſermone. S.R.C. 21. Mart. 1609.

10. Non poſſunt Regulares Proceſſiones facere in Feſto Corporis Chriſti, extra eorum juriſdictionem, & per Parochiam alienam. S. R. C. 11. Decemb. 1613.

11. In Feſto SS. Corporis Chriſti deferatur Eucha-

chariſtia a Celebrante; in Veſperis autem diei Octavæ, ſi fiat Proceſſio, deferatur ab eo, qui cantavit Veſperas, modò ſit ex Majoribus. S.R.C. 12. Jun. 1627.

12. Si Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Johannis ante Portam Latinam, occurrerit infrà Octavam Aſcenſionis, Præfatio in Miſſa erit de Apoſtolis, vel de Cruce, ſed Communicantes de Aſcenſione. S. R. C. 28. Aug. 1627.

13. Si Vigilia S. Johannis Baptiſtæ incidat in Solemnitate Corporis Chriſti, non eſt eo die jejunandum, nec abſtinendum a carnibus in Feſto hujuſmodi, ſed anticipandum jejunium die antecedenti, nempe Feria quarta. S.R.C. 24. Sept. 1638.

14. Miſſa de Dominica Pentecoſtes non poteſt repeti in Sabbato Quatuor Temporum Pentecoſtes. S.R.C. 14. April. 1646.

15. In Feſto SS. Corporis Chriſti ſervanda eſt diſpoſitio Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 33. in reponendo SS. Sacramento, ubi nulla fit mentio de Verſu *Dominus vobiſcum*, non verò Rituale Romanum, ubi dicitur addi *Dominus vobiſcum*, & ſic ſervat in Urbe Summus Pontifex, & ſervatur ab omnibus. S. R. C. 16. Jun. 1663.

16. In Officio de die infra Octavam Corporis Chriſti non legitur nona Lectio de Feſto Simplici. S.R.C. 8. Jun. 1669.

17. Si Feſtum ſimplex occurrerit eo die, quo fit de Feſto duplici infra eandem Octavam Corporis Chriſti, tunc legitur nona Lectio de eodem Feſto ſimplici. S. R. C. 12. Sept. 1671. & 10. Jan. 1693.

18. Occurrentibus eodem die infra Octavam Corporis Chriſti duobus Feſtis Duplicibus, non eſt de Tranſlato agendum die immediatè ſequenti non impedita, ſed poſt prædictam Octavam. S. R. C. 7. Decemb. 1680.

19. In Proceſſione ſolemni SS. Corporis Chriſti, quan-

quando Proceſſio ſiſtit, Sacerdos Celebrans, Subdiaconus & Diaconus non debent ſedere neque in Scamno, neque in Sedibus, etiamſi deferantur ad ornatum tantùm. S. R. C. 21. Jan. 1690.

20. In Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis poteſt fieri de Feſto ſemiduplici translato. S.R.C. 11. Aug. 1691.

21. Infra Octavam SS. Corporis Chriſti poteſt recitari Officium de Duplici primæ & ſecundæ Claſſis etiam translato, non autem in die Octava, in qua nec etiam poteſt recitari de Duplici ſecundæ Claſſis occurrente. S. R. C. 30. Maii 1699.

22. Abſque Pluviali non licet non habentibus uſum illius in die, & infra Octavam SS. Corporis Chriſti peragere Proceſſionem cum SS. Sacramento: non poſſe tamen cogi, ut ejus expoſitio fiat cum Pluviali ab ipſis non habentibus uſum ſtatuit S. R. C. 22. Jan. 1701.

23. In Feria VI. poſt Octavam Aſcenſionis ſi occurrat Feſtum novem Lectionum, facienda eſt in Miſſa commemoratio illius diei, niſi Feſtum fuerit ex Solemnioribus juxta Rubricas. S. R. C. 4. April. 1705.

24. Infra Octavam SS. Corporis Chriſti, occurrente Feſto novem Lectionum, non debet omitti nona Lectio Feſti Simplicis; in Officio enim tantùm de Octava omitti debet dicta Lectio. S. R. C. 4. April. 1705.

25. Occurrente Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in die Feſto SS. Corporis Chriſti, anticipato jejunio Vigiliæ prædictæ in diem 22. Junii ad formam Conſtitutionis Urbani VIII. emanatæ 24. Sept. 1638. nihil fit in Officio & Miſſa de eadem Vigilia. S. R. C. 18. Sept. 1706. adprobante Clemente XI. 2. Oct. ejuſdem Anni.

26. SS. Euchariſtiæ Sacramentum in Proceſſione quæ fit in Feſto SS. Corporis Chriſti deferri debet ab eo, qui Miſſam celebrat, & idem ſervandum in Proceſſione, quæ fit in die Dominico infra ejus Octavam; nòn verò

verò deferendum eſt ab eo, etiam primo, qui non celebravit. S. R. C. 23. Mart. 1709.

27. Diebus infra Octavam SS. Trinitatis, ubi eſt Titulus Eccleſiæ, & in Feſtis infra dictam Octavam occurrentibus, non debet ad Primam dici Symbolum Sancti Athanaſii. S. R. C. 8. Jun. 1709.

28. Diebus ſexta & ſeptima infra Octavam SS. Trinitatis, ubi eſt Titularis, faciendum eſt Officium de die ſecunda & tertia infra Octavam Corporis Chriſti cum commemoratione SS. Trinitatis. S.R.C. 8. Jun. 1709.

29. Si Feſtum S. Johannis Baptiſtæ, ſive aliud ex Solemnioribus venerit in die Corporis Chriſti, Officium S. Johannis ſingulari privilegio transfertur in ſequentem diem a quocumque etiam Officio impeditam cum commemoratione Octavæ; ſed in ſecundis Veſperis Corporis Chriſti fit commemoratio tantùm S. Johannis. Cætera verò Feſta Solemniora occurrentia in dicta die Corporis Chriſti transferantur infra Octavam in prima die non impedita. S. R. C. 23. Jun. 1736.

CAPUT XXVI.

De Communi Sanctorum.

1. Antiphonæ, Reſponſoria, ac reliqua de Communi Apoſtolorum & Evangeliſtarum invariata ſemper ſunt recitanda, ſive de uno, ſive de pluribus celebretur Officium.

2. Lectiones de Scriptura poſitæ in Communi Sanctorum pro primo Nocturno, leguntur quando annotantur in Proprio Sanctorum, & quando in Proprio de Tempore deficiunt Lectiones, de Scriptura; item quoties aliquod Feſtum ſolemniter celebratur, ideſt ſub Ritu Duplicis 1. vel 2. Claſſis, vel etiam duplicis Majoris, quod pro-

proprias non habet Lectiones. Lectiones verò 2. & 3. Nocturni dicuntur ad arbitrium de primo, vel ſecundo loco, niſi aliter notetur; convenit tamen, ut Officium cum Miſſa concordet. Quod ſi in Miſſa legatur Evangelium, cujus Homilia nulla habetur in Communi, tunc dicenda erit Homilia, quæ fortè in Proprio alicujus Sancti habetur, ut Homilia ſuper Evangelium *Nihil eſt opertum*, quæ reperitur in Feſto S. Polycarpi. Quòd ſi in Breviario etiam deſideretur, veluti ſuper Evangelium *Nolite arbitrari*, vel *Qui vos audit, me audit*, & ſimilia, recurrendum tunc ad Octavarium Romanum; in quo adſunt Homiliæ de quocumque Evangelio, quod habetur in Miſſali. Si Octavario careas, lege in Officio Homiliam Evangelii, quam habes in Communi, & in Miſſa deinde dicas idem Evangelium. Epiſtolæ enim, & Evangelia, quæ in una Miſſa de eodem Communi ponuntur, legi poſſunt juxta Rubricas Miſsalis in aliis Miſſis de eodem Communi.

3. Martyribus ſive Pontificibus, ſive non Pontificibus datur Officium commune, excepta Oratione, & Lectionibus primi Nocturni *A Mileto*, quæ in Feſto Martyris dumtaxat Pontificis dicuntur: in Feſto autem Martyris non Pontificis dicuntur illæ, quæ in Communi plurimorum Martyrum poſitæ ſunt, videlicet *Fratres, debitores ſumus*. Reſponſorium *Domine prævenisti* poſitum in Communi unius Martyris loco ℟. *Hic eſt verè Martyr*, non modò in Feſto ſex SS. Martyrum Pontificum Marcelli, Johannis, Euſebii &c., eſt recitandum, ſed & in Feſto cujuſcumque Martyris, qui pro Chriſto periit quidem, ſed non effuſo ſanguine. ℟. item *Hæc eſt vera Fraternitas* non dicitur niſi in Feſto plurimorum Martyrum Fratrum. Quòd ſi cum Fratribus celebrentur alii non Fratres, omittitur, & ejus loco dicitur ℟. *Sancti mei*.

4. Si occurrat celebrari Feſtum plurium Confeſſo-

feſsorum, ſive Pontificum, ſive non Pontificum, Officium fit ut in Communi, ſed Oratio & ſermo, excepto illo S. Gregorii *Deridetur juſti ſimplicitas*, mutantur in plurali: Antiphonæ autem, Reſponſoria, Hymni, & Homiliæ immutata remanent, licèt pluribus haud quadrent, præ mutitudine, & difficultate mutationis. Si Confeſſorem transferri contingat a die ſui obitus in aliam diem etiam pro ſemper fixam, in Hymno *Iſte Confeſſor*, loco *Meruit Beatas ſcandere Sedes*, dicitur *Meruit ſupremos Laudis honores*. Si verò transferatur in diem proximè ſequentem ab ejus obitu, & in primis Veſperis a Capitulo ſaltem fiat de ipſo, tunc tam in primis quàm in ſecundis Veſperis, & Matutino; immutatus relinquitur Verſus, & dicitur *Meruit Beatas*. Verùm ſi in primis Veſperis de Sancto illo Confeſsore ſola facta fuerit commemoratio, tunc in ejus Officio dicitur *Meruit ſupremos*. Si Feſtum S. Confeſsoris Octava gaudeat, & annuatim propria die obitus celebretur, tunc per totam Octavam dicitur ℣. *Meruit Beatas*, ſed ſi annuatim celebretur die fixa, & alia a die Obitus, tunc & in Feſto, & per ejus Octavam dicitur *Meruit ſupremos*; idemque ſervandum, ſi ex privilegio Apoſtolico, translato Feſto, transferatur & Octava.

5. Dantur Virgines & Martyres, Virgines tantùm, Martyres non Virgines, & nec Martyres, nec Virgines; & licèt Officium omnibus ſit commune, in aliquibus tamen variatur, uti videre eſt in Breviario.

CAPUT XXVII.

De celebrandis per Triduum ex Indulto Apoſtolico Solemniis Beatificationis alicujus Servi Dei.

1. PER Ordinarium, & Superiorem Loci, ſeu Conventus idonei decernendi ſunt dies, ut Fideles de

de Indulgentia plenaria opportunè præmoniti, ad Eccleſiam convenire valeant.

2. Eleganti adeò apparatu exornanda erit Eccleſia, ut tantæ Solemnitatis Teſtimonia in ea undequaque reſplendeant.

3. Prima, vel alia die Tridui recitandum erit Officium recens Beati, prout fuerit in Brevi Beatificationis præſcriptum.

4. Die quo celebratur Officium, omnes Miſſæ erunt de Beato; quæ etiam a confluentibus utriuſque Cleri Sacerdotibus poterunt celebrari, ſi ex Brevi conſtet.

5. Miſsa dicitur cum *Gloria* & *Credo*: excepta autem hac occaſione, in Miſſis de Beatis omittitur Symbolum, niſi fortè occurrat eorum Feſtum in die Dominico, vel infra aliquam Octavam, cujus ratione aliàs dicendum foret.

6. Prævidendum erit ne prima die, aut alia, in qua recitatur Officium Beati, occurrat Feſtum altioris Ritus, ſed potiùs inferioris, quod erit tranferendum ad aliam diem juxtà Rubricas Breviarii Romani.

7. In cæteris diebus Tridui recitatur Officium, quod occurrit in Kalendario, & celebrantur Miſſæ, quæ concordant cum eodem Officio, ac una tantùm Solemnis de Beato ob concurſum Populi &c. non omiſſa tamen Conventuali de die poſt Tertiam ante Solemnem de Beato poſt Nonam.

8. In Miſſis concordantibus cum Officio diei, dummodo non occurrat Feſtum primæ Claſſis, præter Solemnem de Beato, quæ communiter admittitur, videtur tolerabilis aliqua memoria, ſeu Commemoratio de eodem Beato etiam in aliis Miſſis.

9. Si autem ſecunda, vel tertia die Tridui occurrat Feſtum Semiduplex, præter Solemnem de Beato, & Conventualem de die, tolerabiles judicantur nonnul-

læ aliæ Miſſæ de eodem Beato, ratione continuationis Solemnitatis, concurſus Populi, ampliationis cultus, apparatus, Indulgentiæ &c.

10. In tribus his diebus, in Eccleſia, ubi aguntur Solemnia Beatificationis, nullo modo erunt celebrandæ Miſſæ de *Requiem*, propter incongruitatem & diſconvenientiam.

11. Hac Solemnis Tridui occaſione excepta, non permittunt Rubricæ celebrare infra Annum Miſſas Votivas de Beatis, ſed tantùm Feſtivas in die Natalis, ſeu felicis obdormitionis eorumdem Beatorum.

12. Cùm nihil reperiatur apud Nos determinatum circa Exercitia, aut Functiones peragendas, vel præſtandas in honorem Beati tempore Tridui; Superiorum Provincialium, & Locorum erit præſcribere ea, quæ magis in Domino opportuna judicaverint ad promovendum Cultum, fovendamque Devotionem ergà Beatum, de quo celebrantur Solemnia.

Finis Tertiæ Partis.

CÆ-

Digitized by Google

CÆREMONIALIS

PARS QUARTA

De iis, quæ Divinum Officium cùm ſolemne, tùm privatum concernunt.

CAPUT I.

De ornatu Eccleſiæ, & præparandis in ea ante adventum Celebrantis.

SACROSANCTÆ Actiones (quarum exordium a primis ducitur Veſperis) cùm in Aula Sancta Dei regulariter peragantur, de ejuſdem ornatu priùs, decore, ac magnificentia verba facere opportunum videtur. Primùm igitur temporis, loci, atque Perſonarum habeatur ratio: ſplendidior quippè diebus feſtivis requiritur apparatus, eòque major, quò ipſi dies feſtivi ſolemniores erunt. Sic exquiſitior in Inſigrioribus Eccleſiis decet ornatus, quippè quæ & copioſum Clerum, & ſuppellectilem habent amplam, quævè congruenter ſituatæ, & in ſuis partibus aptè diſtinctæ commodiorem ornandi præbent facultatem. Perſonarum etiam, quæ ad Celebritates conveniunt, Divinis Officiis præſunt, aut interſunt, Dignitas, prout major, vel minor erit, majorem, minoremvè expoſcit apparatum; ea tamen lege, ut hujuſmodi ornatus Religioſæ Profeſſionis limites nuſquam excedat.

2. Si igitur Feſtivitas ex præcipuis & Solemnioribus illius Eccleſiæ extiterit, primùm a parte exteriori

Digitized by Google

ornandæ erunt Valvæ ipſius floribus, ramis, frondibus virentibus, bracteolis, aut faſciis verſicoloribus, quò ſplendidiùs pro locorum conſuetudine, ac temporum qualitate fieri poterit. Superliminari portæ Effigies Sancti, vel Sanctorum, quorum Dies feſtus agitur, pariter exornata, & ſub illis Inſignia Summi Pontificis, Legati, Cardinalium, Nuntii Apoſtolici, Epiſcopi, Reipublicæ, Principis abſoluti, aut Civitatis, pro conſuetudine apponentur, ordine dignitatum in eorum diſpoſitione ſervato. Inferioris verò notæ Perſonarum, Sæcularium præſertim, Stemmata ne affigantur, niſi adſit immemorabilis conſuetudo, vel ſit Eccleſiæ Fundator.

3. Porticus Eccleſiæ, ſi quæ ſit, ſericis telis, aut laneis, auro illitis veſtiri poterit. Picturæ tamen eis intextæ conformes ſint hiſtoricæ veritati, nihilque in illis profani, inhoneſtivè appareat; quod & in aliis quibuſcumque pannis, aulæis, periſtromatibus, cùm in exteriori, tùm in interiori Eccleſiæ apparatu ſervari debet, & maximè ne apponantur ibidem ullæ Effigies, niſi Sanctorum, vel Summorum Pontificum.

4. Specioſiori autem forma præ cæteris fulgeat intùs Eccleſia, in veſtitu deaurato, circumdata varietate, ut Fideles cum lætitia & exultatione in Templum Regis adducantur. Parietes igitur aulæis, Tribunæ verò holoſericis, aut nobilioribus Cortinis, coloris, quoad fieri poterit, Feſto convenientis, obducantur. Sedes Legati Apoſtolici, aut alterius Cardinalis, Nuntii, Epiſcopi, qui fortè Divinis intererunt Officiis, condecentibus paretur ornamentis. Subſellia quoque pro Prælatis, Magiſtratibus, aliiſque Magnatibus, & Nobilibus Laicis, pro Eccleſiarum, locorumque conſuetudine exornari decet: illud ſuper omnia attendentes Superiores Locales, ne ulli minimum quid honoris debiti ſubtrahatur, nevè urbanitatis exceſſu plus æquo, Sæcularibus præ-

præſertim, tribuatur, & peculiariter illis locum aſſignando extra Presbyterium.

5. Ara Princeps, quò ſplendidiùs poterit, pro temporum tamen, locorum, & Perſonarum varietate, ac exigentia decorabitur. Quòd ſi a pariete disjuncta, & ſeparata ſit, apponentur, tam a parte anteriori, quàm poſteriori illius, Pallia aurea, vel argentea, aut ſerica, auro perpulchrè contexta, coloris Feſtivitati congruentis; eaque ſectis, ac quadratis lignis munita, per quæ non rugoſa, ſed extenſa & plicata decentiùs conſpiciantur. Tum in ſuperna linea Mappæ mundæ & benedictæ tres ſaltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem contegant; ſuperiori ad minus oblonga, quæ uſque ad terram pertingat. Nullæ tamen coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur, ſed earum loco apponi poterunt faſciæ ex auro, vel ſerico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipſa Altaris facies aptè redimita, ornatiorque appareat. Candelabra ſex, eaque argentea, ſi haberi poſſunt, ſin minùs ex aurichalco, aut cupro aurato nobiliùs fabricata, & aliquantò altiora, ſpectabilioraque ſolitis, Altari ſuperponantur cum totidem Cereis albis, in quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo & opere, præalta; ita ut pes illius æquet altitudinem Candelabrorum, & Crux ipſa tota Candelabris ſuperemineat, cum Chriſti Domini e Cruce pendentis Imagine verſa ad anteriorem Altaris faciem. Porrò ipſa Candelabra ex *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 11. non ſint omninò inter ſe æqualia, ſed paulatim, quaſi per gradus ab utroque Altaris latere ſurgentia, ità ut ex eis altiora ſint immediatè hinc inde a lateribus Crucis poſita.

6. Sacræ Reliquiæ, & Imagines, ſeu Statuæ Sanctorum argenteæ, vel ex alià decenti materia, ſtaturæ competentis, diſponi poterunt alternìs inter ipſa Candelabra, quemadmodum & Vaſcula cum floribus, frondibuſque

buſque odoriferis, ſeu ſerico contextis, ſtudiosè ornata, dummodò ipſa Altaris diſpoſitio, & ſtructura id ferat. Abſtinendum tamen ab Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ſi SS. Sacramentum publicæ Fidelium adorationi fuerit expoſitum, ſicut & floribus, tempore Adventus & Quadrageſimæ, Dominica tertia illius, & quarta hujus excepta, atque ab Imaginibus Sanctorum, & præcipuè D. N. J. C. tempore Paſſionis, etiam Feria V. in Cœna Domini, quo die permittuntur tantùm ſuper Altari vaſcula florum, & Reliquiæ Sanctorum.

7. Quòd ſi Altare parieti adhæreat, ipſi tabula, ſeu pannus nobilior, & ſpecioſor, ubi intextæ vel pictæ ſint Domini noſtri Jeſu Chriſti, aut Glorioſæ Virginis Mariæ, vel Sanctorum Imagines, affigi poterit, niſi jam in ipſo muro depictæ eſſent, ac decenter ornatæ. Deſuper verò in alto appendatur Umbraculum, ſeu Baldachinum, coloris, quoad fieri poterit, cæterorum Paramentorum, formæ quadratæ, cooperiens Altare, & ipſius Pradellam. Quod Baldachinum omninò erit apponendum, etiamſi Altare a pariete ſit disjunctum, dummodò ſuprà non habeat Ciborium, ſeu turrita ædicula; quo caſu non eſt opus Umbraculo, ſed ipſum Ciborium floribus, frondibuſque exornari poterit.

8. Gradus omnes Altaris inferiores tapete aliquo amplo & pulchro, rubei congruentiùs coloris, cooperiantur; Presbyterium verò pannis viridibus. Quòd ſi periſtromatum copia deficiat, Suppedaneum ſaltem Altaris conſpicuis obducatur aulæis. Similiter & locus, Martyrium, ſeu Confeſſio nuncupatus, ubi nempè SS. Martyrum Corpora requieſcunt, decet floribus, frondibus, omnique ornamento decorari. Altaria inſuper Minora Palliis concoloribus, decentibuſque ornentur, abſque coronide, & cum faſcia, ut ſuprà de Majori dictum eſt. Geminis ſaltem hinc indè inſtructa ſint Candelabris

cum

cum Cereis, & Cruce in medio cum Imagine Crucifixi. Scabella eorum, ſeu Suppedanea tapetibus, vel pannis, ſi fieri poſſit, contegantur. Ara autem, vel locus, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, præ cæteris ſumtuoſiùs, ac nitidiùs exornetur.

9. Lampades quoque ardentes numero impari adſint, in primis ante Altare, vel locum, ubi aſſervatur SS. Sacramentum, & coram Ara Principe, non a latere, ſed rectè in medio, a Suppedaneo parumper diſtantes. Quibus in locis Lampadarios penſiles eſſe decet affabrè elaboratos, plures ſuſtinentes Lampades argenteas, vel ex alia decenti materia, ex quibus qui ante Altare majus erit, tres ad minus, qui ante Sacramentum, quinque ſaltem lucernas habeat: ante verò ſingula alia Altaria, ſingulæ poſſunt Lampades appendi. Porrò dicta lumina præcipuis Feſtis, ſaltem dum Veſperæ & Miſſa Solemnis decantantur, continuò ardeant; Sed coram SS. Sacramento, ſin omnes, ad minus tres accenſæ tota die adſint Lampades: extrà verò Solemnitates ſufficit, ut una dumtaxat diu noctuque colluceat ad Altare Sacramenti. Inſuper ante locum, & feneſtellam Confeſſionis ſupradictæ, ubi conſuetudo eſt Lampadem ardere, ſervanda eſt. Poſſunt etiam in Ara Maxima, vel aliis, quæ habent Ciboria, circumcirca Lampades appendi.

10. Abacus, ſeu Credentia, de qua ſuo loco egimus, etſi in Miſſis Solemnibus dumtaxat præparari ſoleat; non erit tamen incongruum Menſam breviorem, demiſſioremque, lineo mantili mundo contectam a latere Epiſtolæ pro Veſperis adhibere, in qua Ceroferariorum Candelabra cum Cereis albis, Thuribulum cum Navicula, aliaque neceſſaria reponantur, præſertim ſi neque Celebrans, neque Aſſiſtentes recedant in Chorum, ut ibi ſedeant. Ipſi autem Abaco nec gradus, neque

Crux,

Crux , neque Sanctorum Imagines , Statuæ , aut Reliquiæ ſuperponantur. Prope dictam Menſam in loco opportuno, & ab oculis Populi , quoad fieri poteſt , remoto, vel in Sacriſtia , paretur Vas cum Carbonibus accenſis, ac forcipibus pro uſu Thuribuli.

11. Extrà cornu Epiſtolæ prope Credentiam aptetur ſuprà Tapetem Scamnum oblongum cum Dorſuali , panno , ſeu aulæo viridi obductum , in quo Celebrans ſedeat . Sede autem Camerali ſine aut cum fulcris ad brachia nullus Cœnobitarum , quicumque ille ſit , utatur, ſed Scamno dumtaxat, ſeu Banco , ut ſuprà , ornato, juxta Decreta iterùm atque iterùm a S. R. C. emanata , die præſertim 31. Julii ann. *1666.* Ibidem Legile, & ſuper eo Breviarium ſerico concolore Paramentis tectum collocetur : hinc inde verò contra Altare diſponantur ſedilia abſque Dorſuali viridi panno ornata pro Aſſiſtentibus . Quòd ſi Celebrans pro locorum conſuetudine in Chorum ad Veſperas recedat, omiſſo tunc memorato Scamno, prima Sedes Chori, ea nempe, quæ ei hebdomada illa obtigerit, Tapete cum Pulvino paretur, binique ſuper Genuflexorium ornatum apponantur Cuſſini, ad brachia unus, alter ad genua.

12. Pluvialia coloris Officio congruentis, nec non Superpellicea & Amictus opportune in Sacrario diſponantur, juxtà majores, vel minores Feſtorum Celebritates. Iccircò Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 3. veſtigiis inhærentes, in Feſtis Solemnioribus, ut in Nativitate Domini, Epiphania, Paſchate Reſurrectionis, Aſcenſione , Pentecoſte , in Feſto Corporis Chriſti , SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumtionis, & Immaculatæ Conceptionis B.M.V. Principalis Ordinis Noſtri Patronæ , Omnium Sanctorum , Dedicationis propriæ Eccleſiæ & Sancti Titularis ejuſdem , Patroni principalis Loci , aut Tituli Cathedralis, vel Nullius juriſdictionem quaſi Epiſcopalem ac Territo-

Digitized by Google

ritorium ſeparatum habentis, Seraphici P. S. Franciſci, Patroni, ſeu Titularis Regni & Provinciæ etiam Regularis, ac denique in inſignioribus quibuſdam Locorum, & Eccleſiarum Solemnitatibus, ſex Pluvialia a totidem Religioſis Celebranti aſſiſtentibus ſumantur. Quibus diebus Superior ipſe, vel, eo abſente, aut legitimè impedito, aliquis ex Dignioribus Patribus Sacra peraget. In aliis duobus Feſtis immediatè ſubſequentibus diem Nativitatis Domini, Paſchæ, & Pentecoſtes; item in Feſtis Circumciſionis Domini, SS. Nominis Jeſu, Purificationis, Annuntiationis, & Nativitatis B. M. V., SS. Trinitatis, Inventionis S. Crucis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli univerſalis Eccleſiæ Patroni, S. Joannis Baptiſtæ, S. Patriarchæ Joſeph, S. Antonii de Padua, S. Bonaventuræ Epiſcopi Cardinalis, S. Claræ Aſſiſienſis, Sacrorum Stigmatum S. P. Franciſci, Omnium Sanctorum Seraphici Ordinis, in Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ac tandem in Feſtis Sanctorum, qui apud quaſdam Eccleſias conſueverunt ſolemniter celebrari, quatuor tantùm Pluvialia adhibeantur; Diviniſque operetur Sacræ Theologiæ Magiſter, adhibitis ſemper Cæremoniario, ac duobus Cantoribus Superpelliceo indutis, ultrà Ceroferarios, & Thuriferarium. In Dominicis verò, aliiſque Feſtis duplicibus tam ſecundæ Claſſis, quàm majoribus cantabit Hebdomadarius, duobus dumtaxat ſumtis ſibi Aſſiſtentibus cum Pluvialibus. Tamdem in Duplicibus, Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis nullus fit apparatus, nec Thurificatio, niſi prædicta Feſta conſueverint in quibuſdam locis celebrari cum pompa exteriori.

13. Hæc, ut ab initio diximus, in praxim ſunt reducenda in Solemnioribus propriæ & inſignis Eccleſiæ Ordinis Feſtivitatibus. Nam in Solemniis univerſalis Eccleſiæ, videlicet in Nativitate Domini, Paſchate, Pentecoſte &c. etſi laudabilis ſemper ſit apparatus, Valvæ ta-

tamen, Porticus, & parietes Eccleſiæ regulariter non ornantur, ſalva conſuetudine. Verùm in hujuſmodi Feſtis Tribuna ſaltem, Altaria cùm Majus, tùm Minora, Sedes Celebrantis, Abacus, & Suggeſtum eadem forma exornentur. Dominicis, & aliis Feſtivis diebus parcior erit ornatus, pretioſior tamen illo, qui diebus ferialibus adhiberi ſolet. Ubi verò propter paupertatem magnificentia ſplendere nequibit, munditia ſaltem, & nitor perpetuò vigeat.

CAPUT II.

De Veſperis Solemnibus.

1. OMnibus rite, ut ſupra, diſpoſitis, Cœnobitæ univerſi, Feſtivo Campanarum ſonitu evocati, promto, hilarique animo, quà in Chorum, quà in Sacrarium munere ſuo religiosè perfuncturi ſe conferent. Ac in primis Cæremoniarum Magiſter, cui cæteri obedire tenentur, cuncta tempore ſuo moderabitur. Ceroferarii ſtatura æquales Cottas accipient; Altaris inde, ſuoſque Cereos accendent, incipiendo a proximioribus Cruci, primùm a parte Evangelii, poſteà Epiſtolæ. Sex aut quatuor Religioſi pro Feſti qualitate, uti ſuperiori capite dictum eſt, diſtincti, ſi fieri poteſt, inferioreſque iis, qui in Miſſa die ſequenti ſunt miniſtraturi, Pluvialia, coloris ac venuſtatis convenientis, ſument ſuprà Amictum & Cottam ſine ſtola. Hinc indè poſteà diſpoſiti nudo capite conſiſtent, donec duo ex illis Digniores Celebrantem debitis induerint Paramentis, Amictu nimirùm, Superpelliceo abſque Stola, & elegantiore Pluviali ſine Gemma, *Pectorale* ſeu *Formale* nuncupata, quod eſt proprium Epiſcopi. Uſus tamen Stolæ in modum Crucis ſuper Albam tranſverſæ minimè improbatur, ubi fuerit conſuetudo utendi Alba.

2. Qui-

2. Quibus ita paratis, Cæremoniarius incedendi ſignum Campanula Sacrarii dabit; ſtatimque, exhibita Cruci, ſeu Imagini, ac ſibi invicem debita reverentia nudo capite, ad Altare ſequenti ordine procedent, Organis interim hilari modulatione perſonantibus. Præibunt duo Acolythi gravi ac decoro inceſſu, Candelabra cum Cereis accenſis præ manibus habentes. Subſequetur *Sacrorum Moderator Rituum* (ubi luſtralem Aquam in ipſo Sacriſtiæ aditu omnibus dextera porrexerit) Superpelliceo mundo ſine Stola indutus, ac ſine ferula, ſeu baculo, quod ſolis Cathedralium Cæremoniariis competit, ex Decr. S. R. C. 21. Martii 1744. & ad ejus ſiniſtram aderit Thuriferarius ſine Thuribulo. Poſteà venient duo Clerici ſtatura & voce, quoad fieri poterit, uniformes, qui Cottis dumtaxat amicti Antiphonas ſuo tempore præintonabunt, & repetent, Pſalmos intonabunt, Verſuſque concinent: prædicti autem quinque Miniſtri nudo capite incedent. Proximè accedent Pluvialibus Parati, bini & bini. Poſtremus tandem erit Celebrans medius inter Aſſiſtentes Pluvialis ejus fimbrias hinc inde elevantes; & iſti tecto capite procedent: cuncti verò oculis demiſſis, manibuſque junctis. Quòd ſi via anguſtior occurrerit, incedent ſinguli, unus poſt alium, ita ut Junior Seniorem præcedat.

3. Si tranſierint ante SS. Sacramentum ſive in Pyxide, ſive in Oſtenſorio publice expoſitum, illud flexo utroque poplite, denudatiſque cervicibus reverenter adorabunt. Tranſeuntes autem coram Altare Maximo, Miniſtri Pluvialibus induti, in hoc & conſimili caſu, ut ſervetur uniformitas, Crucem, ſicuti Celebrans, diſcooperto capite ac profunda inclinatione ſalutabunt, juxta Decret. S. R. C. 22. Dec. 1612. (niſi ibidem Sacra recondatur Euchariſtia; nam tunc omnes genuflectent). Cæteris Sacellis nulla fiet reverentia, niſi fortè ratione Reliquiæ inibi ſolemniter expoſi-

poſitæ, quam inclinatione, vel genuflexione (ſi fuerit Domini Noſtri Jeſu Chriſti) venerari decebit. Occurrenti tandem S. R. E. Cardinali, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, aut Principi magnæ potentiæ in loco eorum juriſdictionis, debita exhibebitur reverentia.

4. Ubi ad Altare pervenerint, ſtabunt omnes recta linea, Ceroferarii omnium poſtremi hinc inde a lateribus, in eorum medio Cantores & Aſſiſtentes, & inter ipſos Celebrans. Tum capita ſimùl denudabunt, debitamque primò Altari reverentiam peragent; ac deinde in imo gradu genuflexi brevì orabunt cuncti, exceptis Cantoribus & Ceroferariis, qui, facta genuflexione, illicò diſcedent, illi in Chorum, iſti ad latera Altaris, ubi Candelabra cum Cereis extinctis ſuper gradu, vel plano inferiori, aut Abaco deponent.

5. Poſteaquàm Parati cum Celebrante parumper oraverint, aſſurgent, iterùmque cum Celebrante profundè ſeſe inclinabunt, ut ſupra num. 3. Si verò adſit Sanctiſſimum Sacramentum, omnes ſimul genu flectent. Chorum inde ab utraque parte ſalutabunt capitis inclinatione; qui ſimiliter reſpondebit. Tùm præcedente Cæremoniario, perget Celebrans ad Scamnum in cornu Epiſtolæ paratum, ut magis convenit, vel ad Stallum, ſeu primam Sedem Chori Tapete cum Pulvino ornatam, ibique paululùm tecto capite aſſidebit. Parati verò Pluvialibus ſtabunt ante eum in plano, in Sedilibus.

6. Brevi facta mora, Cæremoniarius ſignum incipiendi cum inclinatione dabit Celebranti; & tunc ipſe, ac omnes de Choro aſſurgent, ſilebuntque Organa. Dictis indè versùs Altare *Pater*, & *Ave*, ſecretò & integrè, nudo ac erecto capite, manibuſque junctis, Celebrans clara voce, ac tono competenti intonabit *Deus in adjutorium*, ſignans ſe dextera aperta a fronte ad pectus, & ab

ab humero ſiniſtro ad dexterum, ità moroſè, ut verba, & Crucis ſignum ſimùl compleat, ſiniſtra manu infrà pectus tunc admota. Cæremoniarius, vel primus Aſſiſtens paratus, ſi ſint in Scamno, aliquantulùm ei partem dexteram Pluvialis elevabit.

7. Expleto Verſu *Goria Patri*, ad quem omnes caput profundè inclinabunt versùs Altare, uſque ad *Sicut erat* excluſive, Dignior ex Paratis, exhibita Cruci genuflexione, ad Celebrantem, comite Cæremoniario, propiùs accedet, ac illi profundè ſe inclinabit. Mox finito *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine*, & non priùs, ſubmiſſa quidem, ſed intelligibili voce præintonabit ei primam Antiphonam, qua per Celebrantem in cantu repetita, & non priùs, ad proprium recedet locum cum Cæremoniario, peracta priùs Celebranti profunda inclinatione, Altari verò genuflexione, quia non eſt aſſociatus cum Celebrante, juxta S. R. C. Decret. ſupra num. 3. & 5. enunciatum.

8. Finita Antiphona, duo ſuprà memorati Cantores Cottis induti ex ſuis inferioribus Subſelliis in medium Chori cum debitis reverentiis prodeuntes, Pſalmum in tono & voce competenti intonabunt. Tunc omnes ad verba *Sede a dextris meis* tecto capite conſidebunt, Celebrans nimirùm in ornato Scamno, & Pluvialibus Parati in Scabellis panno viridi coopertis, hinc inde contra Altare diſpoſitis, quin Pluvialia unquam deponant. Cæremoniarius autem, ac Ceroferarii, etſi continuò eos ſtare maximè deceret, ſedere tamen in Veſperis poterunt, ille ad ſiniſtram Celebrantis in Scabello nudo, & iſti ſupra gradus infimos Altaris, vel alibi, verſa facie ad Celebrantem, pro ſitu & ratione loci. Chorus ſimiliter in ſuis ſedebit Stallis, & Pſalmum cum gravitate & decore alternatim ad finem perducet.

9. Cùm

9. Cùm in fine Pſalmi dicetur Verſiculus *Gloria Patri*, omnes caput detegent, illudque ſedentes, vel prout reperientur, profundè inclinabunt. Præfatus autem Verſus ſolemniori vocis modulatione poterit decantari: quo expleto, eadem Antiphona ab Organo repetetur, dum tamen per dictos Cantores clara & intelligibili voce legatur. Poſt quæ iidem Cantores cæteras Antiphonas Dignioribus Cœnobitis per ordinem ab utraque parte Chori præintonabunt cum debitis ut ſuprà reverentiis, ſtantibus tunc univerſis nudo capite, exceptis Paratis.

10. Circa finem penultimi, vel medium poſtremi Pſalmi, Thuriferarius ignem in Thuribulum immittet, & Acolythi Candelabra ſua accendent. Tum Aſſiſtentes parati, præmiſſa Altari genuflexione, ad Celebrantem venient, dum ultima repetetur Antiphona, eique profundè ſeſe inclinabunt, ante faciem ejus ſic in circulum conſiſtentes uſque ad Capituli & Hymni intonationem. Ceroferarii pariter hinc inde, verſa ſibi ad invicem facie, ad latus ejus aſſiſtent cum Cereis ardentibus. Finita inde Antiphona, ſeu ſono Organi, Celebrans invitatus a Cæremoniario diſcooperiet caput, aſſurget, junctiſque manibus Capitulum in cantu dicet, ex Libro ſcilicet ſuper Legile locato, vel ab aliquo Clerico, ſi aliter fieri non poſſet, ſuſtentato, vel, ſi in Choro permanſerit, ſuper Genuflexorium ornatum eodem Libro collocato. Primus interim ex Aſſiſtentibus, comite Cæremoniario, Altari genuflexurus ibit, & reſponſo a Choro *Deo gratias*, Celebranti Hymnum præintonabit, eo prorsùs modo, quo primam præintonavit Antiphonam. Quo per eum repetito, prædicti Acolythi, ac Sacerdotes parati, facta Celebranti reverentia, priſtina reſument loca, ubi manibus junctis ad finem uſque Hymni ſtabunt.

11. Si

11. Si initium Hymni contineat invocationem Dei, vel Chriſti, Celebrans in intonatione ejuſdem caput versùs Altare inclinabit. Si verò fuerint Hymni *Veni Creator Spiritus*, aut *Ave Maris Stella*, genuflectent omnes, exceptis illis cum Pluvialibus, & Ceroferariis, dum Celebrans intonat, & ſtatim ipſe quoque cum prædictis in loco ſuo procumbet ad finem uſque primæ Strophæ. Qua expleta ſurgent omnes, & quando nominatur SS. Trinitas, profundè ſe inclinabunt. Chorus Hymnum proſequetur in cantu Gregoriano, vel Muſicali, prout magis placuerit; cui etiam Organum intermiſceri poterit, dum tamen verba ipſa clara & diſtincta voce per aliquos ad id deputatos, repetantur, vel cum Organo cantentur. Regulare autem eſt, ut primus Verſus Canticorum, primus, & ultimus Hymnorum, Verſiculus *Gloria Patri*, & pariter Verſus Hymnorum, in quibus eſt genuflectendum, cantentur a Choro in Tono intelligibili, non autem ab Organo, etiamſi Verſus immediatè præcedens fuerit a Choro decantatus.

12. Poſt Hymnum duo ex ultimis Pluvialibus parati in medio Chori, ſeu ante Altare altiori voce concinent Verſiculum, cui Chorus eodem Tono reſpondebit. Et interim primus ex Paratis accedens ad Celebrantem, debitis cum reverentiis præintonabit illi Antiphonam ad *Magnificat*; qua repetita, diſcedet cum Cæremoniario, & ipſe Celebrans, ac omnes alii tecto capite ſedebunt. Expleta deinde a Choro Antiphona, duo Cantores ſuperpelliceati præcinent Canticum *Magnificat*, cui mox aſſurgent omnes detecto capite, & ſignabunt ſe Crucis ſigno a fronte ad pectus. Tum Celebrans, peractis anteà reverentiis, thurificaturus procedet cum ſuis Aſſiſtentibus, tecto capite, Altare priùs SS. Sacramenti, inde Aram Maximam, præeuntibus Thuriferario, Ceroferariis, ac Cæremoniario.

13. Per-

13. Perventi ad Altare Sacramenti, rectam efformabunt lineam, ſimulque, detectis capitibus, genu flectent in plano. Subinde Celebrans cum duobus primis Aſſiſtentibus Aram conſcendet, & oſculabitur in medio. Mox aliquantulùm converſus ad partem Epiſtolæ, imponet, ac benedicet de more Incenſum, miniſtrante a dexteris cum ſolitis oſculis Aſſiſtente parato; alter verò Pluvialis partem dexteram elevabit. Accepto inde Thuribulo, genu flectet, Crucemque & Altare nihil dicens thurificabit, prout initio Miſſæ. Miniſtri parati hinc inde Pluvialis fimbrias elevabunt, & cum Celebrante genuflectent, tranſeuntes ante Altaris medium; reliqui verò ſtabunt immobiles in plano cum Ceroferariis. Incenſatione peracta, Celebrans tradet in cornu Epiſtolæ Thuribulum primo Aſſiſtenti, & hic Thuriferario. Inde rediens ad medium Altaris, caput Cruci inclinabit, ac in planum deſcendet, ubi cum cæteris genu flectet; eoque ordine, quo venerat, thurificaturus ibit Altare Majus, ac etiam Minus, ſi qua fortè ibi Celebretur Feſtivitas, quin tamen Thus in Thuribulum denuò immittat.

14. Poſt Altaris, ſeu Altarium thurificationem, recedent omnes, debito cum ordine & reverentiis, ad Sedes ſuas. Ceroferarii Candelabra ardentia ubi priùs deponent, ac modeſtè conſiſtent uſque ad Orationem. Celebrans ſtans in loco ſuo, invitato priùs ad honorem incenſationis cum capitis inclinatione, illo, qui poſt ſe immediatè thurificandus eſt, triplici ductu Thuribuli a primo ex dictis Paratis incenſabitur, niſi tamen adſit Miniſter Generalis, vel excellentior Prælatus in ſua juriſdictione: nam tunc Celebrans incenſatur duplici ductu cum profunda capitis inclinatione ante & poſt: cui primo Aſſiſtenti ipſe Celebrans modicùm reſpondebit. Idem Aſſiſtens, comite Thuriferario, triplici Thuribuli ductu Præ-

Prælatum, ſi aderit, thurificabit; ita pariter Miniſtrum Generalem, ac Vicarium Generalem Apoſtolicum: quo modo idem primus Aſſiſtens incenſabit etiam Miniſtros Provinciales, Commiſſarios Generales, Viſitatores, Præſides Capituli, & Cuſtodes in abſentia Miniſtri Generalis, & tempore eorum Viſitationis, vel delegationis tantùm.

15. Thuriferarius inde, vel ultimus ex Aſſiſtentibus paratis, quatenus ſint ſex, aut quatuor, accepto de manu ejuſdem primi Aſſiſtentis Thuribulo, incenſabit primùm duplici ductu Miniſtros Pluvialibus paratos ordine ſuo, cum reverentiis ante & poſt; deinde a parte Chori omnes in Sacra Theologia Magiſtros duplici pariter ductu; poſtea cæteros Sacerdotes unico ductu, eo ordine, quo ipſi diſpoſiti ſunt in Subſelliis cùm ſuperioribus, tum inferioribus; nunc Juniores Clericos, facta primo tantùm in ordine capitis inclinatione; tamdem reliquos abſque mora, & diſtinctione ductuum, qui idcircò mutuam prætermittent invitationem. Expleta digniori parte Chori, alteram, eodem ordine & modo, thurificabit; ac ultimò Populum ter, in medio ſcilicet, a dextris, & a ſiniſtris, ſtans ante Altare aliquantulùm a latere, exhibitiſque ante & poſt reverentiis. Quòd ſi ultimus ex Aſſiſtentibus, ut ſupra dictum eſt, hoc incenſationis munus objerit, Thus ipſe recipiet duplici ductu poſt Sacerdotes omnes a Thuriferario, a quo ſubindè reliquum incenſationis munus complebitur.

16. Superior localis in capite triplici thurificationis ductu per primum Aſſiſtentem poſt Celebrantem poterit incenſari: præſente verò Miniſtro Generali, aut aliquo ex ſupradictis numero 14. duplici tantum ductu incenſabitur per Acolythum, vel per poſtremum ex Miniſtris paratis. Ex-Generales tandem, & Ex-Vicarii Generales Apoſtolici in abſentia Miniſtri Generalis, & Provincia-

vincialis Diœceſani tempore viſitationis, triplici Thuribuli ductu per Acolythum, ſeu ultimum ex Paratis ubique honorabuntur. Quo honore etiam Procuratorem Generalem, Socium, & Secretarium Ordinis, Provinciales actuales, etiam Titulares, Sacrique Conventus Aſſiſienſis Cuſtodem, nec non Superiorem Conventus SS. XII. Apoſtolorum de Urbe proſequi decebit.

17. Si Sacræ Actioni fortè intereſſet in habitu & forma convenienti S. R. E. Cardinalis, Legatus, Primas, ſeu Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus in propriis Juriſdictionibus, Celebrans unà cum Miniſtris peculiarem ac profundam ipſi Prælato exhibebit reverentiam, cùm ad Altare primò accedet, & ab eo, expleto Officio, diſcedet. Idem Celebrans, priùſquàm incipiat *Deus in adjutorium*..., veniam ab eodem capitis inclinatione petet; nec, niſi illo priùs aſſidente, in ſuo ſcamno ſedebit. Dum a Choro cantabitur Antiphona ad *Magnificat*, Dignior ex Paratis accedet ad Prælatum, eique facta inclinatione, offeret cum oſculis Naviculam Incenſi, & Acolythus Thuribulum, in quod Thus ſedens imponet, ac benedicet more conſueto. Aſſiſtens autem priùs dicet *Benedicite Pater Reverendiſſime*, vel *Eminentiſſime*, ſi fuerit Cardinalis; repetita inde inclinatione poſt impoſitionem Thuris, ad Celebrantem remeabit. Incepto Cantico, Celebrans cum ſuis Aſſiſtentibus ſurget, & facta reverentia Prælato, thurificaturus ibit Altare, quin Incenſum rurſus imponat. In regreſſu ad Scamnum ſuum repetet inclinationem Cardinali, vel Epiſcopo, ibique ſtans, nudo capite, duplici tantùm Thuribuli ductu thurificabitur ab Aſſiſtente digniori, qui mox cum profunda ante & poſt reverentia Prælatum nuper memoratum triplici ductu incenſabit; reliquis autem Thus dabit Acolythus duplici, vel unico ductu pro qualitate & gradu Perſonarum.

18. Ex-

18. Exteri verò Epiſcopi, aut alii Prælati inſignes, honoris gratia thurificabuntur immediatè poſt Celebrantem triplici ductu a Digniori Parato, ſicut ipſe Celebrans. Cæteri Eccleſiaſtici Sæculares, aut Regulares, ſi adſint in Choro, Incenſum ordine ſuo accipient ab Acolytho duplici vel unico ductu juxtà gradum eorumdem. Laicis autem Sæcularibus quibuſcumque Thuris honor nuſquam tribuetur; imò nec ipſis Chorum aut Presbyterium ingredi, ibique, maximè in Stallis cum cæteris Fratribus reſidere permittetur. Quod tamen attinet ad Reges, Principes abſolutos, Magiſtratus, Barones & Dominos Locorum, aliaſque Magni Nominis Perſonas, laudabilis attendetur locorum conſuetudo, ac Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 23.

19. In ipſo actu Thurificationis Perſonarum ſubſequentia ſedulò obſervabuntur. I. Unicum dumtaxat adhibebitur Thuribulum ex Decr. S. R. C. 15. Martii 1608., & 21. Julii 1618. II. Miniſter Pluviali paratus, cùm ex Altare ad Chorum ibit Thurificationis gratia, Thuribulum ipſemet, non autem præcedens Acolythus, in manibus deferet. III. Clericus dexteram Pluvialis fimbriam in actu Incenſationis elevabit. IV. Si is, qui thurificat, æqualis fuerit Dignitatis cum eo, qui thurificatur, aut etiam majoris, mutuas ſibi inclinatione capitis reverentias præſtabunt ante & poſt Incenſationem. Si verò qui thurificat, minor eſt, ipſe quidem versùs Majores caput profundè inclinabit ante & poſt: illi autem modicùm reſpondebunt pro qualitate ipſius Thurificantis, qui & ipſe thurificando alios ſibi inferiores ac minores, parùm versùs eos caput inclinabit juxtà gradum eorum. V. Thurificationis tempore, omnes omninò ſtabunt nudo capite, quaſi extrà Stallum, exceptis Celebrante & Aſſiſtentibus ejus, ſi expletum fuerit Can-

ticum *Magnificat*. VI. Alter alterum immediatè ſubſequentem capitis nutu modeſtè invitabit ad Thurificationem priùs accipiendam. VII. Nemo ſedens, vel genuflexus Incenſum recipiet, ſed ſtans, & quidem manibus junctis, aliàs Thuriferarius pertranſibit, ipſo prætermiſſo. VIII. Nullus item permittet ſe a quovis genuflexo thurificari, quæ eſt ſpecialis prærogativa Summi Pontificis. IX. Miniſter Generalis, cùm thurificabitur, haud equidem caput versùs Thurificantem inclinabit: verùm a Benedictione cum dextera eidem danda omninò abſtinebit. X. Si in Choro talis ac tanta fuerit Cœnobitarum Copia, vel Cantorum celeritas, ut Thurificatio integrè atque commodè abſolvi nequiverit; Dignioribus tunc Incenſum ſingillatim dabitur, cæteris ſine mora. Iccircò advertent Cantores & Organiſta, ut cantum & ſonum ita invicem dimetiantur, ut ante repetitionem Antiphonæ Thurificationi ipſi finis ſit impoſitus. XI. Ad ℣. *Gloria Patri*, Thuriferarius pauſam faciet, & inclinabit ſe versùs Altare, deinde proſequetur: Quod ſi inciperet Celebrans ℣. *Dominus vobiſcum*, pro Oratione, tunc ceſſabit omninò Thurificatio.

20. Completo Cantico *Magnificat*, ſedebunt univerſi, dum repetetur Antiphona. Et interim duo Acolythi cum Candelabris accenſis, necnon Miniſtri Pluvialibus parati cum debitis reverentiis accedent ad Celebrantem, comite Cæremoniario, eique aſſiſtent, ut ſuprà, ad Capitulum. Finita Antiphona, ac ſilente Organo, aſſurgent omnes detecto capite ad nutum Cæremoniarii; & Celebrans ſtans versùs Altare, medius inter primos Aſſiſtentes Pluvialis fimbrias hinc inde elevantes, cantabit manibus junctis *Dominus vobiſcum*, deinde *Oremus* cum inclinatione capitis versùs Crucem, mox Orationem compe-

peten-

Digitized by Google

petentem, in cujus concluſione caput pariter inclinabit ad *Jeſum Chriſtum*, prout etiam ad Nomen Sancti, de quo ſit Officium, vel Commemoratio, ſed versùs Librum. Quòd ſi juxta Rubricas Breviarii fiant Commemorationes, Digniores Parati ac Ceroferarii haud ſe movebunt, ſed Chorus Antiphonas concinet, & duo ultimi Pluvialibus Parati Verſiculos in medio dicent.

21. Dum Celebrans poſt ultimam Orationem repetet *Dominus vobiſcum*, recedent omnes ad loca ſua, factis debitis reverentiis, & Ceroferarii Candelabra ubi priùs reponent. Tum præfati duo ultimi Pluvialibus Parati voce altiori ac tono convenienti decantabunt in medio ad Altare converſi *Benedicamus Domino*, cui Chorus, vel Organum reſpondebit *Deo gratias*. Inde Celebrans humiliori voce ſubdet *Fidelium animæ*... &, ſi Completorium immediatè ſubſequatur, exhibitis Altari & Choro reverentiis, diſcedet cum prædictis Paratis, tecto capite, eo, quo venerat, ordine; & facta Cruci vel Imagini Sacriſtiæ nudato capite profunda inclinatione, Paramenta deponet adjutus a primis Aſſiſtentibus, qui ſua inde exuent. Si verò Completorium a Veſperis disjungatur, Celebrans, eodem loco, ubi cantavit Orationes, dicto remiſſiori voce *Fidelium Animæ*, & ſecretò *Pater noſter*, ac in fine mediocri voce *Dominus det nobis ſuam pacem*, incipiet Antiphonam finalem B. M. V. ſtans ibidem, ſeu genuflectens unà cum aliis, juxtà regulas Breviarii, & pro ratione temporis, quam poſteà ſubmiſsa voce proſequetur; & in fine dicet voce item ſubmiſſa Verſiculum, Orationem, & *Divinum auxilium*... deinde diſcedet, ut ſuprà, tinnientibus Organis.

22. Solemnium Veſperarum Ritum fuſiùs huc uſque deſcriptum Miniſter quoque Generalis ſervabit. Splendidior tamen erit Altaris apparatus, pretioſiora Paramenta, & Aſſiſtentes Digniores. Duos prætereà alios

alios adhibebit Miniſtros Superpelliceo indutos, quorum unus de Bugia, ſeu Palmatoria ad Capitulum, Hymnum, & Orationem ſerviet; alter verò de Libro, & ideò amovebitur Legile. Scamnum item a latere Epiſtolæ locatum, ubi Veſperas omninò perſolvet, quin in Chorum recedat, vel Pluviale deponat, ſerico Velo abſque auro totum tegetur, eleganti Pulvino eidem ſuperpoſito; Suppedaneum autem laneo verſicolori Tapete exornabitur. Hæc & ſimilia, de quibus ſupra Part. 2. cap. 16. ex priſco uſu concedi ſolita Miniſtro Generali Noſtri Ordinis, Benedictus XIV. 9. April. 1756. ſpeciali benignitate approbavit, confirmavitque, atque in hoc noſtro Cæremoniali apponi conceſſit.

23. Generales Ordinum tractandi ſunt tam in eis comitandis, quàm in aliis functionibus honorariis pariformiter ac Prælati, quorum dignitati æquiparantur &c. S. R. C. in Lauden. 6. April. 1680.

CAPUT III.

De Veſperis Solemnibus coram SS. Sacramento.

1. Altare in primis feſtivo apparatu, & pretioſiori ſuppellectili ornetur, cum floribus, ac quamplurimis luminibus, ſed excluſis Statuis, ſeu Imaginibus, aut Reliquiis Sanctorum, ne Populus minimum quid ab adoratione Sanctiſſimi diſtrahatur. In loco eminenti, ad quem tamen commodè, ac decenter aſcendi poſſit, parvum erigatur Baldachinum albi coloris cum Corporali, ſeu Palla in ima parte. Frons item Altaris Pallio ſemper obducatur albo.

2. Celebrans Pluviali coloris Officii ſuper Stolam, Albam, & Amictum opportunè indutus, ad Altare cum debito Aſſiſtentium numero, juxta majores vel mi-

minores Feſtorum celebritates, tecto capite procedit, præeuntibus Thuriferario cum Thuribulo non fumigante, & Acolythis cum Candelabris accenſis, quos quatuor, vel duo ſubſequuntur Religioſi cum Cottis Funalia ardentia præ manibus habentes. Ubi autem ad Altare deveniunt, caput detegunt, ac priùs in plano genuflectunt omnes ſimul in recta linea; inde genuflexi in imo gradu brevì orant. Mox primus Aſſiſtens Aram conſcendit, Oſtiolum Tabernaculi SS. Sacramenti reſerat, genuflectit, Oſtenſorium extrahit, illudque in ſuo eminenti Throno ſtatim collocat. Tum flexo utroque genu aliquantulùm a latere Epiſtolæ, ne terga directè vertat Celebranti, idem Sanctiſſimum reverenter adorat; & inde ab Altari quaſi per latus Epiſtolæ deſcendit ad dexteram Celebrantis, qui, profunda cum ſuis Aſſiſtentibus edita inclinatione, aſſurgit, ac Thus in Thuribulum immittit abſque Benedictione, miniſtrante a dexteris Naviculam ſine oſculis Digniori Parato, & altero a ſiniſtris Pluvialis ſimbriam elevante. Flexis exinde genibus, Sacram Euchariſtiam triplici ductu thurificat, facta cum Aſſiſtentibus Pluvialis illius ſimbrias tunc elevantibus profunda inclinatione ante & poſt incenſationem; qua peracta Thuribulum reddit primo Aſſiſtenti, & hic Thuriferario, qui in ſuum locum mox ipſum reportat.

3. Adorato ab omnibus Sacramento utroque genu in plano, mox cum ſuis Aſſiſtentibus ad Scamnum in cornu Epiſtolæ præparatum, vel ad Stallum, ſeu primam Sedem Chori recedit, ibique Solemnes Veſperas, ut in præcedenti capite, incipit & perficit, ſed nuda omninò cervice, etiamſi ad Pſalmos ſedeat.

4. Hic autem notandum, quòd primus Aſſiſtens, ſeu Sacriſta, vel alius quicumque Sacerdos Celebranti miniſtrans, Stola uti non debet, niſi cùm Oſtiolum ape-

aperit, & pertractat SS. Sacramentum, ſeu Oſtenſorium in loco aliquo collocat, aut è ſummo demittit. Et ubi has peregerit actiones, debet Stolam a Collo pendentem ſibi auferre, & alicui Acolytho cuſtodiendam tradere.

5. Ceroferarii erecti ſtant tempore Thurificationis, & recedente Celelebrante ad Sedem, ipſi quoque recedunt, ac Candelabra in Abaco deponunt. Clerici verò Intortitia geſtantes, nec non ultimi Aſſiſtentes genuflexi continuò perſtant; iſti in infimo Altaris gradu, illi autem a tergo, vel a latere in plano, qui deinde in Sacrarium diſcedunt, opportunè cum iiſdem accenſis Cereis reverſuri pro Benedictione. Chorus ſimiliter genuflexus permanet, dum thurificatur SS. Sacramentum.

6. Si ante Veſperas SS. Sacramentum publicæ Fidelium adorationi jam ſit expoſitum, ad Aram tùnc accedunt Parati abſque Thuribulo & Intortitiis; & ubi in conſpectu fuerint Divinæ Euchariſtiæ, capita diſcooperiunt, eamque venerabundi in plano adorant. Tum genuflexi in imo gradu aliquantulùm orant, eademque in plano repetita adoratione, ad loca ſua pergunt, initium Veſperis daturi. Illud autem præ cæteris caveant Miniſtri, ne genuflexiones & reverentias Auguſtiſſimo Corporis Chriſti Sacramento jure meritoque debitas prætermittant; nevè eidem terga vel minimùm convertant. Univerſi inſuper cùm intrà tùm extrà Chorum, ſi præ Officii prolixitate continuò ſtare nequeant, uti deceret, detecto ad minus capite ſedeant.

7. Ad Canticum *Magnificat*, Celebrans cum Miniſtris thurificaturus procedit nudo capite Altare hoc modo. Ante inferiorem Altaris gradum in plano procumbunt omnes; indè Celebrans medius inter primos dumtaxat Aſſiſtentes Pluvialis fimbrias elevantes Aram conſcendit, cæteris ſtantibus ante infimum gradum.

Tùm

Tùm genuflexionem ibi repetit unico genu, & Altare ſolus in medio deoſculatur. Poſteà retrahens ſe pauliſper ad partem Evangelii imponit, ac benedicit Incenſum de more, præbente ei ſine oſculis Naviculam & Thuribulum primo Aſſiſtente, & altero partem dexteram Pluvialis attollente. Edita poſtmodùm genuflexione in medio, ab Altari per latus Evangelii deſcendit, & in medio ſuperioris gradus, ſeu Suppedanei genuflexus accipit Thuribulum de manibus Aſſiſtentis, ac SS. Sacramentum triplici ductu thurificat cum profunda inclinatione ante & poſt, interpoſita inter quemlibet ductum aliqua morula. Aſſiſtentes autem Pluvialis fimbrias anteriores interim elevant, & reliqui genuflexi permanent in imo gradu. Trina incenſatione peracta, aſſurgunt omnes, etiam inferiores Parati, quin genuflexionem repetant, & Celebrans cum ſuis Aſſiſtentibus Pluviale ſemper elevantibus Altare rursùs aſcendit, cum iisdem unicum genu flectit, ac ipſum Altare de more thurificat nihil dicens: quoties autem ante medium tranſit, genuflectit unico poplite.

8. Completa Altaris thurificatione, redditoque in cornu Epiſtolæ Thuribulo Aſſiſtenti, & deinde Acolytho, genuflectunt iterùm in medio, ac in planum deſcendunt, Celebrans & ſecundus Aſſiſtens quaſi per latus Evangelii; primus verò per latus Epiſtolæ, verſa facie quaſi ad medium Altaris, ità ut terga non vertant SS. Sacramento. Tùm facta genuflexione utroque genu in plano, eo quo venerant ordine, Sedes ſuas repetunt abſque incenſatione alterius Altaris, & thurificantur Celebrans & Chorus more ſolito; Populus verò ab Acolytho ſtante non ante medium Altaris, ſed a parte Evangelii. Tamdem Veſpertinis, uti in ſuperiore capite enunciatum eſt, abſolutis Precibus, in Sacrarium Paramenta dimiſſuri ſe conferunt, ubi priùs Sacramentum

Eee pro-

proſtrati in plano adoraverint. Quòd ſi Supplicatio, vel Benedictio ejuſdem SS. Sacramenti immediatè ſequatur, Rituales Leges in prima parte hujus Cæremonialis præſcriptæ ſerventur.

CAPUT IV.

De Matutino Solemni.

1. Matutinæ Preces cùm in Inſignoribus Eccleſiis Noſtris crebrò cum Solemnitate celebrentur, diebus præſertim Natalis Domini, Epiphaniæ, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, Aſſumptionis & Immaculatæ Conceptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, S. P. Franciſci, Dedicationis propriæ Eccleſiæ, & Sancti Titularis ejuſdem, Patroni principalis Loci, aut Tituli Cathedralis, vel Nullius, ut in capite præcedenti, Patroni ſeu Titularis Regni, & Provinciæ etiam Regularis; Ritus ac Cæremoniæ hìc enunciatæ ab omnibus fideliter cuſtodiantur.

2. Et In primis quamvis juxta diſpoſitionem Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 5. & 6. in Matutino decantando Pluviale non ſit adhibendum; nihilominùs cùm a præfato Cæremoniali laudabiles & immemorabiles Eccleſiarum conſuetudines minimè tollantur, uti declaravit S. R. C. die 11. Junii 1605. quod quidem Decretum ex eadem Sac. Congr. 17. Junii 1606. locum habet in omnibus Regnis & locis Chriſtianitatis; improbandus iccircò non videtur uſus Eccleſiarum Ordinis, in quibus cum Pluvialibus cantari ſolet Matutinùm.

3. Igitur Superior, vel, eo abſente, aut impedito, Dignior ex Patribus, qui Veſperas præcedentes cecinit, Miſſamque ſubſequentem celebraturus erit, opportunè in Sacrarium ſe confert, & Pluviali ſuper Ami-

Amictum & Cottam tantùm, vel ſuper Amictum, Albam, & Stolam ante pectus in modum Crucis complicatam induitur per Miniſtros pridem paratos. Procedit indè ad Aram cum ſuo comitatu, ritu & ordine in Veſperis enunciato; ibi profundè cum Miniſtris Pluviali paratis ſe inclinat, vel genuflectit in plano, ſi adfuerit SS. Sacramentum, ut dictum eſt in Veſperis. Tùm in imo gradu genuflexus brevem fundit Orationem, & repetita inclinatione, vel genuflexione, ad Scamnum ſuum in cornu Epiſtolæ præparatum, ſeu ad primam Sedem Chori cum debitis hinc inde reverentiis ſe recipit, ubi aliquantulùm tecto capite aſſidet, ſedentibus pàriter univerſis.

4. Poſt modicam moram, indicante Cæremoniario, ſurgit Celebrans, ſurgentibus omnibus, & ſtans erectus, capite detecto, versùs Altare, dicit ſecretò *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo* integrè, ſilente Organo. Deinde, aliquo dexteram Pluvialis fimbriam elevante, ſignans ſibi pollice dexteræ manus labia parvo ſigno Crucis, altiori voce, ac tono competenti cantat *Domine labia mea aperies*; & reſponſo a Choro *Et os meum annuntiabit laudem tuam*, eadem manu dextera extenſa producens ſibi Crucem a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum, eodem tono dicit: *Deus in adjutorium meum intende*, verba & ſignum Crucis ſimùl complens, ac ſiniſtram infrà pectus continuò retinens.

5. Cùm dicitur ℣. *Gloria Patri*, omnes profundè ſe inclinant versùs Altare, & ad *Sicut erat* erigunt ſe. Et interim duo Cantores Cottis amicti ad medium Chori accedunt, quem profunda inclinatione, Crucem verò cum genuflexione ſalutant, & ex Libro ſuper Legili nudo ante ſe poſito concinunt Invitatorium, quod a Choro reſumitur, ac deinde Pſalmum *Venite exultemus*. In-

 tereà

tereà ſtant omnes diſcooperto capite ad initium uſque primi Pſalmi Nocturni ; & dùm cantatur *Venite adoremus , & procidamus ante Deum* , tam ipſi Cantores & Celebrans, quàm alii omnes genuflectunt in locis ſuis ; ſed Cantores ſub finem dumtaxat verborum , & quidem unico genu, ne uniſona modulatio vocum inflectatur ; poſteà ſurgunt , & proſequuntur *Ploremus coram Domino* .

6. Repetito Invitatorio , Dignior ex Aſſiſtentibus comitatus a Cæremoniario præintonat Celebranti Hymnum cum conſuetis reverentiis ; quo per eum intonato diſcedit , & Chorus proſequitur ab eadem parte ubi eſt Celebrans, deinde viciſſim ex altera parte , donec Hymnus abſolvatur , in cujus fine cùm nominatur SS. Trinitas , omnes profundè ſe inclinant . Expleto Hymno , idem Paratus qui Celebranti præintonavit Hymnum , præintonat illi & Antiphonam primi Nocturni , ſtans in plano ante ipſum , facta ante & poſt genuflexione Altari & inclinatione Celebranti . Chorus inde proſequitur Antiphonam , qua finita , duo illi Cantores in medio Chori ante Librum exiſtentes primum intonant Pſalmum in tono Antiphonarii aſſignato.

7. Intonato primo Verſu Pſalmi , ſedent omnes tecto capite in locis ſuis, prout dictum eſt, agendo de Veſperis ; Pſalmoſque decantant cantu Gregoriano cum Pauſa ad puncta , & ad flexiones ; & ad ℣. *Gloria Patri* , omnes nudo capite ſe inclinant . Circa finem Pſalmi , cùm nempe dicitur ℣. *Sicut erat* , prædicti Cantores ſurgunt, & ambo accedunt ad medium Chori ante Legile , ubi , præmiſſa genuflexione Altari , primam Antiphonam, ſi Organum pulſetur , intelligibili voce repetunt ; ſin autem , a Vicario Chorali intonatur , & Chorus illam proſequitur . Et interim , facta priùs Altari genuflexione , ad alteram partem Chori ſe conferunt , ac Digniorem Cœnobitam in primo Stallo , ſeu Sede ab illa parte

te Chori ſedentem adeunt, cui facta debita reverentia unus ex illis a dexteris præintonat ſecundam Antiphonam. Qua repetita, Chorus ſtans proſequitur, & duo illi Cantores, facta reverentia, redeunt ad Librum, ubi genuflectunt, & poſt expletam Antiphonam, ſubſequentem intonant Pſalmum; ac tandem genu iterùm exhibita Altari reverentia, priſtinum reſumunt locum in plano Chori ante Celebrantem; ubi faciebus ad Altare converſis, in Scabello parùm oblongo, panno viridi cooperto, ſedent, & pſallunt. Quem ritum in reliquis Antiphonis & Pſalmis obſervant, viciſſim ſemper ex una & altera parte Chori Antiphonas Dignioribus gradatim præintonantes.

8. Finitis tribus Pſalmis primi Nocturni, Cantores ſurgunt, & accedunt ad Librum, & ibi factis debitis reverentiis Altari & Choro, repetunt Antiphonam, ac Verſiculum voce altiori decantant; quo incepto aſſurgunt omnes detecto capite, etiam Celebrans & Parati, qui huc uſque ſedentes remanſerant. Celebrans poſt cantatum a Choro Reſponſorium, voce alta, ac manibus junctis intonat *Pater noſter*, & reliquum ſecretò perficit; tùm eodem vocis tono ſubdit *Et ne nos inducas in tentationem*, ac ſucceſſivè ex Libro ante ſe poſito Abſolutionem, videlicet *Exaudi Domine* &c. Interim, dum cantatur Verſiculus, Cæremoniarius accedit ad juniorem Cœnobitam, qui cantaturus eſt primam Lectionem juxta Feſti & Celebrantis qualitatem; & facta ei reverentia, ducit ipſum a ſiniſtris incedens ad Legile nudum, ideſt ſine aliquo panno, vel coopertorio, paulò antè cum Libro Lectionum in medio Chori versùs Altare præparatum. Quò cùm pervenerit, Altari genuflectit cum Cæremoniario, & Chorum hinc indè a parte primùm Celebrantis ſalutat, manus ſemper junctas retinens. Mox ad Legile propiùs accedens Lectionem cele-

celeribus percurrit oculis (tametſi priùs a Cæremoniario fuerit inſtructus) & cùm tempus erit, ſtans petit Benedictionem intelligibili voce, dicens in cantu *Jube Domne benedicere*, & non *Domine*; poſteà versùs Celebrantem profundè ſe inclinat, advertens ne terga vertat Altari. Tùm Celebrans ad eum ſic inclinatum permanentem converſus, ſtans reſpondet *Benedictione perpetua* .... quin manu ſignet; & dicto a Choro *Amen*, ſedent omnes cooperto capite. Lector verò tunc & non priùs incipit, & proſequitur ſuam Lectionem altiori voce, & diſtinctè in tono conſueto Romanæ Eccleſiæ, manibus hinc indè ſuper Libro poſitis, & ad illius ſiniſtram ſtat Cæremoniarius cum parva Candela, ſi opus fuerit, abſque Inſtrumento, vulgò B*ugia*. Poſteà cùm in fine Lectionis dicit *Tu autem Domine*, genuflectit, & factis debitis reverentiis ab utraque parte Chori, cum Cæremoniario diſcedit. Quòd ſi ab eodem Lectore plures cantentur Lectiones, in fine tantùm ad tertiam diſceſſurus genuflectit; ad alias verò profundè ſe inclinat: quod in ſimilibus ſemper ſervatur.

9. Completa Lectione, Vicarius intonat Reſponſorium, & Chorus illud proſequitur; Verſiculum autem duo illi Cantores in medio concinunt. Idem omninò ſervatur in reliquis Lectionibus & Reſponſoriis cujuſcumque Nocturni: attendens Celebrans, ne ſedens unquam benedicat, ſed ſtans ſemper detecto capite; nevè versùs Lectorem ſignum Crucis dextera producat, aut illum ad oſculum manus admittat. Miniſter tamen Generalis (ac etiam Provincialis Diœceſanus, illo abſente) ad primam, quartam, & ſeptimam Benedictionem ſtat, prout ſtetit ad Abſolutionem; ad alias verò ſedens benedicit aperto capite, ſedentibus etiam omnibus, ac caput ad Benedictionem diſcooperientibus. Septimam, & octavam Lectionem cantari decet ab iis, qui futuri ſunt Aſſiſtentes

in

in Miſſa, nonam verò & ultimam a Celebrante. Dùm autem legitur Textus Evangelii, ſtant omnes nudo capite, donec dicatur *Et reliqua*: nec ipſe Cantor debet Librum aut ſeipſum ſignare, vel manus junctas tenere, ſed ſuper Libro, prout in aliis Lectionibus.

10. Dum cantatur octavum Reſponſorium, Celebrans ac Miniſtri Pluvialia adjuvantibus Acolythis reſumunt, ſi fortè ab initio ea dimiſerint (quod tamen non approbatur) Ceroferarii verò Candelabra accenſa accipiunt, unàque cum Paratis ad Celebrantem accedunt, ante cujus faciem in gyrum conſiſtunt, donec totam expleverit Lectionem, & Hymnum intonaverit. Finito itaque Reſponſorio, Celebrans ſtans in ſua Sede detecto capite, inclinatus versùs Digniorem de Choro, petit ab eo Benedictionem dicens in cantu *Jube Domne benedicere*, cui ille ſtans in loco ſuo nudo capite reſpondet *Ad Societatem* ... vel *Per Evangelica dicta* ... Si tamen Celebrans ſit Miniſter Generalis, petit benedictionem immediate a Deo dicens *Jube Domine benedicere*; cui Chorus ſtatim reſpondet *Amen*. Dum Celebrans cantat ſuam Lectionem, omnes pro ejus reverentia ſtant detecto capite. Qua finita, profundè caput verſùs Altare inclinans dicit *Tu autem Domine* ....; & reſponſo a Choro *Deo gratias*, accedit cum debitis reverentiis primus Aſſiſtens ante Celebrantem, & præintonat ei Hymnum *Te Deum*. Quo per eum repetito, recedunt Parati & Acolythi ad priſtina loca, & Chorus proſequitur Hymnum, cui intermiſceri poterit Organum cum regula ſuperiùs tradita; dummodo ℣. *Te ergo quæſumus* .... exprimatur voce clara, alioquin cum ſuavi harmonia ſine Organo. Qui Verſiculus dum recitatur, Celebrans, ac alii omnes genuflectunt in locis ſuis.

11. Expleto Hymno, Celebrans incipit Laudes abſo-

abſolutè cantando *Deus in adjutorium* ... cum ſigno Crucis: in quibus ea omnia reſpectivè ſervantur, quæ de Veſperis ſolemnibus dicta ſunt. Et cùm inchoatur Canticum *Benedictus*, Celebrans facto ſibi ſigno Crucis, thurificaturus procedit Altare aſſociatus a prædictis Miniſtris, & deinde incenſatur ipſe ſtans apud Sedem ſuam a Digniori ex Paratis. Organum quoque ad Hymnum, & Canticum, necnon in fine Pſalmorum poteſt adhiberi, modo ſuperiùs tradito, & ad Orationem accedunt omnes Parati & Ceroferarii ante Celebrantem. Quod ad reliquas Horas Minores attinet, in iis decantandis nec Pluvialia, nec Organa ſunt adhibenda; imò nec Stola uti debet Hebdomadarius ex Decr. S.R.C. 4. Auguſti *1663*. neque ſedere in primo Stallo, ſeu Sede Chorali, quæ ex eadem S.R.C. *21*. Auguſti *1626*. conceditur Hebdomadario parato tantùm. Tertia tamen, & Completorium, in iis Eccleſiis, in quibus prædictæ Horæ ſolemniùs celebrari aliquando conſueverunt, decantari poterunt cum Organo in fine Pſalmorum, ad Hymnos, Canticum *Nunc dimittis*, & ad Antiphonam finalem B. M. V. juxta normam aliàs enunciatam.

12. Quòd ſi quibuſdam Eccleſiis Matutinas Preces ad normam Cæremonialis Epiſcoporum celebrare placuerit; tunc congregatis in Choro univerſis Religioſis, Prælatus, ſive alius ex præcipuis Patribus Miſſam cantaturus, ſtans in prima Sede Chori ornata cum Tapetis & Pulvinaribus, ac Libro aperto, Matutinum incipit in proprio & quotidiano Ordinis ſui habitu. Deinde duo Cantores Novitii, vel Profeſſi, ubi adſunt, vel duo alii in proprio pariter habitu, in medio concinunt Invitatorium cum Pſalmo *Venite exultemus*. Quo expleto, Hymnum & Antiphonas ordine ſupradicto præintonant, Pſalmos incipiunt, ac Verſiculos ſimul decantant, exhibitis ſemper Altari, Choro, & ſibi invicem debitis reve-

reverentiis . Circa finem tertii Nocturni Cœnobita Officium faciens, accipit Pluviale coloris tempori congruentis ſuper Cottam & Amictum ſine Stola; & duo Cantores ſimiliter, vel plures, ſi ſit conſuetudo, induunt ſuper Amictus, & Cottas Pluvialia; Ceroferarii verò Cottas tantùm ſumunt, & Candelabra duo accendunt: quæ omnia opportunè in Choro præparabit Sacriſta. Cum autem cantatur octavum Reſponſorium, Miniſtri omnes cum Pluvialibus, necnon Acolythi cum Cereis ardentibus accedunt ad Celebrantem, & ante illum conſiſtunt, donec legerit totam Lectionem, atque incœperit Hymnum *Te Deum*, quem primus ex dictis Cantoribus paratis Pluviali præintonat ei, facta debita reverentia. Completo Hymno, incipit Laudes, eaſque perficit eodem ritu quo Veſperas. In Feſtis autem non Solemnibus, & diebus ferialibus Pluvialia non ſumuntur.

CAPUT V.

De Matutinis Solemnibus Tenebrarum, cæteriſque Horis Canonicis.

1. PRO Matutinis Tenebrarum Feria quarta celebrandis, Altare Paramentis violaceis ornetur, abſque floribus, ac Sanctorum Imaginibus, Reliquiis, ſeu Statuis. Super illud Candelabra ſex cum Cruce in medio prææalta, & Velo violaceo obducta, apponantur, ac totidem Cerei magni ex cera flavi coloris. A latere verò Epiſtolæ ante Altare in plano Presbyterii, ubi nimirùm Subdiaconus canere aſſolet Epiſtolam, prægrande paretur Candelabrum Triangulare, in quo quindecim Candelæ ex Cera pariter flavi coloris gradatim diſpoſitæ infigantur. Præparetur item prope ipſum Can-

delabrum idonea virga cum ſolito Inſtrumento ad Cereos extinguendos.

2. Si in eo Altari, ante cujus conſpectum celebrandum eſt Matutinum, aſſervetur SS. Sacramentum, paulò antè Completorium cum debita reverentia transferatur ad aliud ſecretum Sacellum decenter ornatum, in quo tres continuò ardeant Lampades, vel ſaltem una. Oſtium verò Tabernaculi, è quo amotum eſt Sacramentum, relinquatur apertum, ne adoretur quod ibi non eſt. Quibus diſpoſitis, hora competenti, media ſcilicet Meridiem inter & occaſum Solis, inchoetur Officium, itaut perficiatur hora tarda, hoc eſt, Sole occidente, ut præſcribit Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 22. num. 17. At verò quia Matutinum hac Feria quarta celebrandum ſpectat ad ſequentem diem, quæ ſolemnis eſt, ratione Cœnæ Dominicæ; ideò quamvis Officium ipſum ob Paſſionem Chriſti, quæ præcipuè recolitur, ſit luctuoſum, Campanarum tamen ſonitus armonicus eſſe debet ac feſtivus, uſque ad *Gloria in Excelſis* ſequentis diei incluſivè.

3. Completorium itaque hac die dicatur more ſolito, poſt ſecundum Campanarum ſignum, cum duabus Candelis albis ſuper Altare accenſis. Sub illius finem per Miniſtros deputatos accendantur ſimùl cum Cereis Altaris quindecim Candelæ in Candelabro Triangulari poſitæ, incipiendo ab altiori, quæ eſt in cuſpide, & continuando priùs a parte Evangelii, deindè a parte Epiſtolæ. Quibus omnibus accenſis, extinguantur, & amoveantur Candelæ unà cum Candelabris, quæ pro Completorio accenſæ fuerant; & interim tertiò pulſentur Campanæ, & abſolvatur Completorium cum Precibus, Antiphona *Ave Regina Cælorum*, nec non *Pater*, *Ave*, *Credo*, flexis genibus.

4. Dato tertio Matutini ſigno, ac expleto de more

more Completorio, aſſurgant omnes ad nutum Superioris, & detecto capite dicant iterum versùs Altare ſecretò & integrè *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*. Inde Clerici duo ſine Cotta Cantorum munus obeuntes, genuflexione priùs edita Altari in medio, accedant ad Superiorem, eique facta inclinatione profunda, unus ex illis a dextris præintonet Antiphonam *Zelus Domus tuæ*. Qua per Prælatum in proprio Ordinis habitu intonata, cum ſigno Crucis (quod omnes pariter præſtare debent hoc Triduo in principio cujuslibet Horæ Canonicæ) inclinent ſe eidem, & ad medium Chori ante Legile nudum redeant, ubi facta genuflexione, ac completa per Chorum Antiphona, primum intonent Pſalmum. Quo incœpto aſſideant omnes tecto capite, Divinamque Pſalmodiam alternìs proſequantur cantu Gregoriano cum gravitate, devotione, & inflexione vocis in fine cujuslibet Pſalmi, quin ullo pacto Organum, ſeu Inſtrumentum Muſicum in his luctus Officiis admittatur.

5. Finito quolibet Pſalmo Cæremoniarius, vel alius deputatus cum debitis reverentiis Altari & Choro accedat ad Candelabrum Triangulare, & cum Inſtrumento idoneo Candelam in illius extremitate poſitam a latere Evangelii extinguat, ac depoſito Extinctorio, iiſdemque repetitis reverentiis ſuum reſumat locum. Deinde in fine alterius Pſalmi pari diſciplina extremam Candelam a parte Epiſtolæ extinguat, & ſic ſucceſſivè alternatim ab utroque latere ſingulas Candelas in fine cujuslibet Pſalmi tam Matutini, quàm Laudum, poſt quem repetitur Antiphona, uſque ad ſupremam Candelam, quæ eſt in cuſpide Candelabri excluſivè.

6. Poſt unumquemque Pſalmum integrè repetatur Antiphona a Chori Vicario intonata; & interim duo illi Cantores debitis cum reverentiis cæteras præintonent Antiphonas Religioſis ab utraque parte Chori per ordi-

nem, incipiendo a Dignioribus, ut dictum eſt in Cap. 2. & 4. de Veſperis & Matutinis Solemnibus; eoque tempore aſſurgant Univerſi detecto capite. Item iidem Cantores, dicta Antiphona tertii Pſalmi cujuslibet Nocturni, Verſiculum altiori voce, ac tono debito decantent in medio, & Chorus aſſurgens ſimiliter reſpondeat, dictoque ſecretè *Pater noſter*, iterum tecto capite ſedeat. Interim Lectiones Cantaturi opportunè cum debitis reverentiis Altari & Choro accedant ad Legile nudum in medio Chori, vel alibi pro Eccleſiarum more præparatum; ibique, manibus hinc inde ſuper Librum poſitis, Lamentationes, ſeu Threnos Hieremiæ Prophetæ cum Litteris Alphabeticis Hebræorum devotiſſimè cantent, ut in Directorio Romano.

7. In principio non petatur Benedictio, nec in fine dicatur *Tu autem Domine*... ſed *Jeruſalem*, *Jeruſalem*, *convertere &c.* in primo tantùm Nocturno, cum modica inflexione vocis. Lectiones verò ſecundi & tertii Nocturni pari modo, ſed diverſo ac conſueto tono cantentur, inflectendo parumper vocem ad ultima Lectionis verba. Quibus finitis, Altare cum genuflexione, Chorum autem capitis inclinatione ab utraque parte ſalutent, ac deinde ad loca ſua revertantur. Et ſi idem Cantor plures dicturus ſit Lectiones, ad ultimam tantùm, cùm diſcedit, genuflectat, ad alias nec caput inclinet. Singuli, ſi fieri poteſt, ſingulas Lectiones decantent, incipiendo a Junioribus ad Seniores. Reſponſoria autem cujuslibet Lectionis intonet Chori Vicarius, ut in aliis Matutinis, & Chorus eadem proſequatur voce gravi, Verſiculis inde concinentibus duobus Cantoribus. Et cùm hoc Triduo nec in Pſalmis, nec in Reſponſoriis dicatur ℣. *Gloria Patri*... ideo poſt tertiam Lectionem cujuslibet Nocturni, repetita per Chorum ultima parte Reſponſorii poſt Verſum, Chorus totum illud repetat a principio.

8. No-

8. Nocturnis immediatè ſubjiciantur Laudes eodem planè ritu, cum extinctione unius Candelæ in fine cujuslibet Pſalmi Antiphonam poſt ſe habentis. Superior Celebrans abſolutè incipiat cum ſigno Crucis a prima Antiphona, ei ab uno ex dictis Cantoribus a dexteris more ſolito præintonata. Tum iidem Cantores, expletis Pſalmis, ac repetita Antiphona, Verſiculum ſubſequentem, ut ſuprà, concinant in medio; & dùm a Choro ſtante nudo capite reſpondetur, Celebrantem cum debitis reverentiis adeant, primuſque ex illis Antiphonam ad *Benedictus* præintonet. Qua decantata, redeant ad medium; ibique, finita Antiphona, Canticum ſolemniori tono incipiant, & proſequatur illud Chorus alternatim.

9. Sacriſta interim, vel alius Lampades omnes, ac Luminaria Eccleſiæ extinguat, iis dumtaxat exceptis, quæ ſunt ante SS. Sacramentum. Cùm autem dicitur in Cantico ℣. *Ut ſine timore*... Miniſter extinguat primum Cereum, qui eſt remotior a Cruce Altaris, incipiendo a cornu Evangelii. Deinde ad ſequentem ℣. *In Sanctitate & juſtitia*... alterum Cereum in parte Epiſtolæ magis diſſitum a Cruce pariter extinguat, & ſic ſucceſſivè alternatim ad quemlibet Verſiculum; ita ut nonniſi in fine *Benedictus* omnia luminaria reperiantur extincta.

10. Cùm repetitur Antiphona poſt *Benedictus*, Miniſter removeat ex Candelabro Triangulari Candelam in ſummitate ejuſdem Trianguli accenſam; eamque ardentem genuflexus ſuſtineat dextera elevata ſuper cornu Epiſtolæ Altaris; & cùm inchoatur ℣. *Chriſtus factus eſt* ... illam ſic accenſam abſcondat ſub Altare, aut alio modo, ut non appareat. Porrò ℣. *Chriſtus* gravi voce & ſolus intonet Celebrans, & Chorus proſequatur *Factus eſt*... In aliis verò Horis incipiat ſine cantu *Chriſtus factus eſt*, totò hoc Triduo, ſtatimque genuflectat.

Cæ-

Cæteri autem mox a principio Verſus ad finem uſque Orationis *Reſpice....* genufle&ctant in locis ſuis, nudo capite, prædictum Verſum eodem vocis tenore proſequentes. Quo finito dicatur *Pater noſter* totum ſub ſilentio, mox Pſalmus *Miſerere mei Deus....* aliquantulùm altiùs, modulata ſed flebili voce, abſque Inſtrumentis Muſicis, cum modica inflexione in fine.

11. Poſt Pſalmum Superior genuflexus permanens, ac caput paululùm inclinans, recitet Orationem *Reſpice quæſumus...* eodem tono, non præmittens *Dominus vobiſcum*, neque *Oremus*; & in fine dicendo *Tormentum*, vocem parumper deprimat, ſecretò inde complens *Qui tecum vivit, & regnat...* Qua Oratione finita, Cæremoniarius, vel Sacriſta, aut alius qui Cereos extinguit, manu Scabellum ſeu Librum percutiens, fragorem ac ſtrepitum excitet aliquantulùm, & a cæteris ſimiliter fiat modeſtè, per ſpatium unius *Pater noſter*, vel circa, donec Miniſter Candelam accenſam de ſub Altari, ubi abſcondita fuerat, in medium proferat, & in ſummitate Candelabri Triangularis reponat. Qua prolata, omnes ceſſare debent a ſtrepitu, & Eccleſiæ Cuſtodes invigilare ne fragor ulteriùs protrahatur, in illis præſertim Regionibus, in quibus Pueri ad excitandum rumorem conveniunt.

12. Finito ſtrepitu diſcedant omnes in ſilentio, quin ullum vel Campanula, vel Crotalo detur ſignum: Divina enim his diebus abſolvi debent cum prædicto fragore. Attamen, ſi hora advenerit, ſignum detur Salutationis Angelicæ, hac die in Turri Campanaria, duobus verò ſubſequentibus diebus cum Inſtrumento ligneo. Candela autem, quæ per aliquod ſpatium in cuſpide Trianguli accenſa remanere debuit, extinguatur, & Candelarum cum Candelis auferatur. Nullæ Lampades ante Aram Principem, vel alibi accendantur denuò:

denuò: ſed ſi in Altari Majori adſit Tabernaculum SS. Sacramenti, hac die tantùm, expletis Matutinis, illùc idem SS. transferatur debita cum reverentia; & tunc coram illo continuò ardeant Lampades.

13. Eadem ſerventur in duobus ſubſequentibus Matutinis; hoc tamen habito diſcrimine, quòd Altare, Sedes, Tribuna, Pavimentum, ac tota Eccleſia ſint penitùs denudata. Patres item Digniores Hebdomadarii manus ſucceſſivè obeant; ac denique Verſui *Chriſtus factus eſt* .... ſecunda die, ideſt Feria V. addatur *Mortem autem Crucis*: Feria autem VI. *Propter quod & Deus* &c. In minoribus autem Eccleſiis præfatæ Matutinæ Laudes meliori, quo poſſunt, modo celebrentur; ac primum ſaltem Nocturnum unà cum *Benedictus*, ubi fuerit ſufficiens Fratrum numerus, decantetur; aliàs in directum dicantur altè, devotè, cum pauſa, & modica inflexione vocis in fine Antiphonarum, Pſalmorum, Verſuum, Lectionum, Reſponſoriorum, Verſus *Chriſtus factus eſt*, Pſalmi *Miſerere* & Orationis *Reſpice quæſumus*. Ritus verò Cereos Altaris & Candelas Trianguli extinguendi omninò, ut ſuprà, retineatur, prout etiam ille abſcondendi ultimam Candelam, ac denuò poſt modicum fragorem producendi eam. Qui juſta de cauſa Matutinum a Laudibus in privata recitatione dividunt, poſt nonum Reſponſorium flexis genibus dicant ℣. *Chriſtus factus eſt*, Orationem Dominicam, Pſalmum *Miſerere mei Deus* cum Oratione *Reſpice quæſumus*; & initio Laudum recitent *Pater* & *Ave* cum ſigno Crucis ad primam Antiphonam,

14. In hoc Triduo Horæ diurnæ perſolvantur ſine cantu, gravi ac demiſſa, ſed intelligibili voce, Cereis ſemper extinctis. Prima tamen, Tertia, Sexta, & Nona Feriæ V., ac Veſperæ etiam Feriæ IV. dicantur cum Candelis accenſis. Hora itaque convenienti, Celebrans dictis ſecretò nudo capite, *Pater noſter*, *Ave Maria*,

Maria, & ad Primam *Credo*, abſolutè incipiat cum ſigno Crucis ac humiliori voce a primo Pſalmo; & Chorus indè ſedens ipſum ſimùl cum aliis eodem tono proſequatur, quaſi eſſent Verſus unius & ejuſdem Pſalmi, uſque ad ultimum illius Horæ Verſum incluſivè, qui terminabitur cum modica inflexione vocis. Quibus finitis genufleƈtant omnes, ac proſequantur ℣. *Chriſtus factus eſt* inchoatum a Celebrante ſtante; & cætera fiant ut ſupra ad Laudes abſque tamen fragore. Martyrologium hoc Triduo non annuntietur, nec dicatur ℣. *Pretioſa*... Ad Veſperas autem Hebdomadarius gravi voce intonet primam Antiphonam cum ſigno Crucis, dicto priùs *Pater* & *Ave*; deinde duo Cantores eamdem perficiant cum modica inflexione vocis, ac ſubſequentem incipiant Pſalmum. Ad *Magnificat* intonabit pariter Antiphonam Hebdomadarius, deinde ℣. *Chriſtus factus eſt*, cum reliquis ut ſuprà. Ad Completorium denique idem Hebdomadarius, cæteris prætermiſſis, Confeſſionem more ſolito inclinatus peragat, inde voce gravi ac demiſſa cum ſigno Crucis inchoet Pſalmum *Cum invocarem*, tùm *Nunc dimittis*, poſtremò *Chriſtus factus eſt*, ut ſuprà ad Laudes. Convenit tamen, ut Superior toto hoc Triduo, etiamſi Officium non faciat, prædictam Orationem *Reſpice quæſumus* dicat.

CAPUT VI.

De Solemni Officio Defunctorum, die præſertim Generalis eorum Commemorationis.

1. IN Officiis Mortuorum diverſæ pariter ab aliis Cæremoniæ, ac Ritus occurrunt. Ac primò agentes de Veſperis & Matutinis, quæ celebrantur quotannis in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum;

rum; expletis de more ſecundis Veſperis Omnium Sanctorum uſque ad ℣. *Benedicamus Domino* incluſivè, recedunt Parati Sacras Veſtes in Sacrarium dimiſſuri. Interim Chorus ſedet, atque expeditè ornamenta lætitiæ amoventur. Frons Altaris Pallio obtegitur nigro: Tabernaculum verò Sanctiſſimi Sacramenti, ſi adſit, violaceo. Candelabra ſex cum totidem Cereis flavi coloris Altari ſuperponuntur abſque floribus, Statuis, vel Imaginibus Sanctorum, aut Purgatorii Animarum; & in medio Crux præalta collocatur. Gradus Altaris & Suppedaneum, ſeu Pradella convenienti obducuntur panno. In his autem, & quibuſcumque aliis Paramentis tam Altaris, quàmCelebrantis, Miniſtrorum, Librorum &c. nullæ Imagines mortis, vel Cruces albæ, præter conſuetas in Miſſalibus Indumentis, appareant juxta Cærem. Epiſc. lib. 2. cap. 11. Credentia, ſi paretur, brevi cooperiatur Mappa munda, ità ut ad terram non pertingat, ſed aliquantulùm circa illam pendeat. Cenotaphium item etiam ad Veſperas, ſi ſit conſuetudo, erigatur in Majori Eccleſiæ Navi, quàmplurimis decoratum luminibus.

2. Quibus promtè diſpoſitis, inchoantur Veſperæ Defunctorum ab Antiphona *Placebo Domino* abſque ullo apparatu; vel ſecundùm Cærem. lib. 2. cap. 10. unus ex præcipuis Patribus in craſtinum celebraturus Pluviale nigrum ſuprà Amictum, & Cottam tantùm, vel ſuprà Albam & Stolam ante pectus in modum Crucis complicatam induit; & ſic ad Altare tecto capite procedit abſque Aſſiſtentibus, præeuntibus dumtaxat Ceroferariis cum Candelabris ac deſuper Candelis ardentibus flavi coloris, Cæremoniario, & duobus Cantoribus ſuperpelliceatis, qui anteriores Pluvialis fimbrias Celebrantis attollere hinc inde poterunt.

3. Ubi ad Aram devenerint, debitam ei omnes exhibent reverentiam; & illicò Cantores recedunt in

Chorum ante Legile, & Acolythi Candelabra cum Cereis extinctis ſuper gradibus Altaris, vel Abaco deponunt. Celebrans verò in imo gradu genuflexus aliquantulùm orat, poſteà pergit ad Scamnum nigro aut violaceo panno contectum in cornu Epiſtolæ præparatum, vel ad primum Stallum Chorale, ibiquè ſedet. Tum ſignificante Cæremoniario ſurgit, cæteris pariter aſſurgentibus; ſtanſque detecto capite versùs Altare, manibus junctis, abſolutè incipit in cantu Antiphonam *Placebo Domino*, quam illi primus ex Cantoribus opportunè præintonat cum debitis reverentiis. Qua per Chorum expleta, & incœpto Pſalmo *Dilexi* ab utroque Cantore, conſident omnes in locis ſuis, tecto capite uſque ad Canticum *Magnificat*; Pſalmoſque alternatim perficiunt in Cantu Gregoriano, quin Organorum ſonus, aut quodcumque aliud Inſtrumentum muſicum intermiſceatur.

4. In fine cujuslibet Pſalmi dicitur *Requiem æternam dona eis*; ſtatimque Vicarius eandem intonat Antiphonam, quam Chorus proſequitur. Interim Cantores, edita genuflexione, ſubſequentes præintonant Antiphonas ab utraque parte Chori per ordinem, (quo tempore ſtant Univerſi, excepto Celebrante) ac deinde in medio præcinunt Pſalmum. Quibus omnibus finitis, iidem Cantores ℣. *Audivi vocem*... altiori voce decantant; & dum Chorus reſpondet *Beati Mortui*... Celebrantem adeunt, Digniorque ex illis præintonat ei Antiphonam ad *Magnificat*. Qua inchoata denuò ſedent, ac iterùm ea completa aſſurgunt ad finem uſque Cantici, præmiſſo ſibi a fronte ad pectus ſigno Crucis, quin ulla Altaris, Celebrantiſve, aut Chori fiat Thurificatio.

5. Cùm repetitur Antiphona poſt *Magnificat*, ſedent omnes; eaque finita ſurgunt. Et interim duo Acolythi, ſumtis Candelabris cum Cereis accenſis, accedunt cum

cum debitis reverentiis ad Celebrantem, qui detecto capite, manibuſque junctis ſtans competenti voce dicit *Pater noſter*, & ſecretè complet genuflexus, genuflectentibus ſimiliter Univerſis(exceptis Ceroferariis)uſque in finem. Subdit indè eodem tono *Et ne nos inducas...* cum aliis Verſiculis, ut in Breviario, reſpondente Choro. Tum ſolus ſurgens ad *Dominus vobiſcum*, cantat Orationem *Fidelium Deus*... cum prolixa concluſione *Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia ſæcula ſæculorum*. Qua completa, ſubjungit ℣. *Requiem æternam dona eis Domine* abſque ſigno Crucis; deinde duo Cantores ſtantes altiori voce cantant ℣. *Requieſcant in pace*: cui reſponſo per Chorum *Amen*, diſcedunt omnes in ſilentio, quin aliud ſuperaddatur.

6. Prædictis Mortuorum Veſperis abſolutis, ſtatim removentur ab Altari Paramenta nigra, & reponuntur alba uſque ad Matutinum pro Defunctis excluſivè. Porrò Matutinum Defunctorum pro Generali eorum Commemoratione non debet cantari pridie Veſperi in Feſto Omnium Sanctorum (excepta tamen apud Nos Sacroſancta Patriarchali Baſilica Aſſiſienſi, Cappella Papali), ſed dicendum eſt manè, die ſcilicet ſecunda Novembris poſt Laudes Officii ejus diei.

7. Matutinæ Laudes eodem reſpectivè celebrantur ritu, quo aliæ, præſertim Tenebrarum, cum vel ſine Pluviali, uti de Veſperis dictum eſt. Dicto itaque poſt Laudes diei ℣. *Benedicamus Domino*, & reſponſo a Choro *Deo gratias*, idem Celebrans Pluviale nigrum ſumit, cæteri verò Cottas ſuas cum Candelabris. Et interim Chorus ſedet, ac Altare feſtivis exuitur veſtimentis, & induitur nigris. Celebrans brevi facta mora in Sede ſurgit, cæteris pariter ſurgentibus, atque nudo capite

 ſtan-

ſtantibus ad initium uſque primi Pſalmi. Tum duo Cantores in medio ante Legile nudum abſolutè incipiunt in cantu Invitatorium *Regem cui omnia vivunt*, cum Pſalmo *Venite exultemus*, quin præmittantur *Pater*, *Ave*, & *Credo*. Cœnobitæ intereà Invitatorium repetunt, ac ad illa verba *Venite adoremus*, *& procidamus ante Deum*, genua flectunt in locis ſuis juxta regulam aliàs traditam.

8. Finito Pſalmo *Venite*, duo illi Cantores primam Antiphonam *Dirige* Celebranti præintonant, reliquas verò Dignioribus Patribus gradatim ab utraque parte Chori; deinde Pſalmos inchoant, & ſedent omnes tecto capite. Poſt tertiam Antiphonam cujuſque Nocturni, ab iiſdem Cantoribus altiùs dicitur Verſiculus in medio Chori; & poſt Reſponſorium ex Cærem. Epiſc. variis in locis, aſſurgunt omnes, ac dicto integrè *Pater noſter*... ſub ſilentio, ſedent capite cooperto. Tunc & non priùs Lector ex Junioribus incipit Lectionem, manibus hinc indè ſuper Librum poſitis, in tono conſueto Lectionum, abſque Abſolutione, Benedictione, & Titulo; nec in fine addit *Tu autem Domine*, ſed vocem aliquantulum inflectit ſine capitis inclinatione, genuflectens dumtaxat, cùm diſceſſurus eſt. Vicarius inde Reſponſorium intonat, & Chorus illud proſequitur; Cantores autem Verſus ſimùl decantant. Reliquæ Lectiones per ordinem cantantur, incipiendo ſemper a Junioribus, quin Celebrans ultimam dicat. Eodem ritu, quo Veſperæ, Laudes perficiuntur.

9. Pari Solemnitate, aliis etiam temporibus a prædicta die Anniverſaria Omnium Defunctorum, celebrari poterunt Veſperæ & Matutinæ hujuſmodi, ſed abſque ullis Paratis regulariter, & ſervatis omninò Rubricis Breviarii, vel Ritualis, prout Officium vel in ordine

ad

ad Exequias, vel in odine ad Officium Divinum recitabitur. Igitur ultrà debitum perſolvendi Officium Mortuorum etiam privatim die ſecunda Novembris, oritur inſuper obligatio ſeu præceptum ex Conſtit. Urban. in cap. 3. Regul. tit. 7. illud idem ſolemniter decantandi, ubi fuerit ſufficiens Fratrum numerus, ſin minus recitandi, in Commemoratione Omnium Fratrum, Sororum, & Benefactorum Noſtrorum, tertia die Novembris: in ſingulis Conventibus & locis, ubi quiſpiam Ordinis Noſtri Fratrum ex hac vita deceſſerit, etiamſi alienæ Provinciæ, aut Advena, vel Novitius fuerit, ac conſimiliter in nativis Conventibus, licèt ibi ultimum non clauſerit diem: pro Defuncto Provinciali Miniſtro ſemel in ſingulis Provinciæ Cœnobiis; pro Generali verò ſemel & iterum in toto Ordine. Prædictis autem diebus dicitur cum Invitatorio, tribus Nocturnis, ac Laudibus, nec non Veſperis præcedentibus, ſi pridie Matutinarum recitari queant, & fuerit Veſperarum tempus. Inſuper Officium Mortuorum dicendum eſt ritu duplici in die Obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti (a Benedicto Papa XIII. die 8. Novemb. 1726., & 17. Januar. 1727. reſtitutum) in die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario, ac quocumque alio die, in quo videlicet ex Legato, ſeu Fundatione, Teſtamento, aut alio quovis pacto inſurgit debitum, aut devotio illud in totum, vel in partem recitandi.

10. Prætereà in Choro recitandum Officium Defunctorum (extra tempus Paſchale, Adventus, & Quadrageſimæ) prima die cujuſcumque Menſis non impedita Feſto novem Lectionum, alioquin ſequenti die ſimiliter non impedita. Quòd ſi dies ultima tantùm Menſis ſit libera, ea die dicitur, licèt poſtridie pro Menſe ſubſequenti dicendum foret. In Adventu autem

Digitized by Google

tem & Quadrageſima recitatur qualibet Feria ſecunda non impedita, excepta Hebdomada Majori. Et ſi contingat univerſas Ferias ſecundas impediri Feſto novem Lectionum, tunc prædictum Officium Defunctorum omittitur, nec dicitur ratione Menſis, ſi alia vacaverit dies. Occurrente Vigilia Nativitatis Domini in Feria ſecunda Hebdomadæ quartæ Adventus, non dicitur Officium Mortuorum, nec etiam Veſperæ præcedenti die. His porrò diebus recitatur gravi & humiliori voce, ſub ritu ſimplici, ſine Invitatorio, cum unico reſpectivè Nocturno, & Laudibus, additis in fine Pſalmis, Verſibus, & tribus Orationibus ſub unica concluſione flexis genibus. Dicitur autem in Choro poſt Officium Diurnum, ideſt Veſperæ poſt Veſperas, etiam Feſti duplicis de præcepto, & Matutinum poſt Laudes Diei, niſi alia ſit conſuetudo Eccleſiarum: ſed extrà Chorum dicitur pro opportunitate temporis. Et ſi juſta de cauſa Matutinum hoc a Laudibus dividatur, eo caſu in fine Matutini dicuntur Preces ſine Pſalmo cum Oratione, ſeu Orationibus, ut congruè terminetur. Recitantibus autem Officium Defunctorum in Choro vel extra juxta Rubricas Breviarii, S. Pius V. conceſſit Indulgentias centum dierum.

11. In fine Pſalmorum dicitur ſemper *Requiem æternam dona eis* in plurali, etiamſi pro uno tantùm recitetur Officium. Pſalmi *Lauda Anima mea* ad Veſperas, & *De profundis* ad Laudes omittuntur in die Commemorationis Omnium Defunctorum, ac Fratrum &c. Noſtrorum, nec non in die Obitus, ſeu Depoſitionis tantùm, aliàs ſemper dicuntur flexis genibus cum ſubſequentibus Verſiculis, tametſi integrum recitetur Officium. Verſiculi Nocturnorum non mutantur, ſed ii dumtaxat qui dicuntur ante & poſt Orationem, in numero nempe ſingulari, vel plurali, pro numero Perſonarum. Celebrans ſolus

ſolus ſurgit ad *Dominus vobiſcum* ante Orationem, cujus concluſio brevis erit, ſi in ordine ad Exequias dicatur, aliàs prolixa. In fine Officii dicitur ſemper *Requieſcant in pace* in plurali, quin addatur *Anima ejus....*, quod proprium eſt Exequiarum. Verùm ſi immediatè poſt Laudes ſubſequatur Miſſa de *Requiem*, dicta Oratione cum ſua concluſione, mox incipitur Introitus Miſſæ, prætermiſſis Verſiculis *Requiem æternam*, & *Requieſcant in pace*, quippe qui in principio, ac in fine Miſſæ ſunt decantandi. Quoties in Officio duplicantur Antiphonæ, præmittitur Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, etſi unum tantùm dicatur Nocturnum. Poſt Reſponſorium ſurgunt omnes, & dicitur *Pater noſter* totum ſecretò, deinde Lectiones ſine Abſolutione, Benedictionibus, & Titulo; quæ pariter terminantur abſque *Tu autem Domine*, vel alia concluſione. Nonum & prolixum Reſponſorium *Libera me...* dicitur ſolummodò in Officio novem Lectionum; & in eo poſt ℣. *Tremens*..& * *Quando cœli*... debent ſubjungi verba illa * *Dum veneris*.. ut adjungitur in Reſponſoriis duos habentibus Aſteriſcos.

12. Officium Defunctorum pro adimplenda Teſtatorum voluntate recitari poteſt etiam in Choro poſt Officium Diurnum, iis diebus, quibus permittitur Miſſa de *Requiem*. In aliis verò diebus, in quibus talis Miſſa prohibetur, adhuc recitari poterit, exceptis Feſtis primæ & ſecundæ Claſſis, ac Triduo Majoris Hebdomadæ, aliiſque diebus Feſtivis & privilegiatis. Quæ regula profecto locum habet in die tertio, ſeptimo, & trigeſimo ab Obitu Defuncti; pro die verò anniverſario ſervandæ ſunt diſpoſitiones Sac. Rit. Congr. ſcilicet eo die, quo transferuntur Anniverſaria, ſicut differtur vel anticipatur celebratio Miſſæ, ſic differri, vel anticipari debet recitatio Officii. Si autem ſermo ſit de die Obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti, cùm duo dumtaxat dies ſint, in

qui-

quibus liberum non eſt corpus Defuncti ſepulturæ tradere, nempe dies Paraſceves, & Paſchæ (quod neque in die Nativitatis Domini, aliaque maxima ſolemnitate expedit,) tunc non licet iis diebus Officium Defunctorum perſolvere: quibus quoad publicam Officii recitationem addi debent Feria V. VI. & Sabbatum Sanctum, in quibus Sac. Rit. Congr. 11. Aug. 1736. vetuit celebrari Exequias Defunctorum, permittens tantùm recitari Officium & Preces privatim. Cæteris Anni diebus publica hæc Officii Defunctorum recitatio libera eſt, quamvis laudanda ſit illarum Eccleſiarum conſuetudo, quæ in Feſtis ſolemnioribus hujuſmodi Officium ſub Veſperum poſt expletum diei Officium differunt.

13. Matutinum Defunctorum pro Generali eorum Commemoratione non debet cantari pridie Veſperi in Feſto Omnium Sanctorum, ſed recitandum eſt mane die ſecunda Novembris poſt Laudes diei. S. R. C. 23. Maii 1736. & 1. Sept. 1607.

14. Matutinum diei Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum non poteſt recitari in Choro in die Feſtivitatis Omnium Sanctorum poſt Completorium, ſed ſervandæ ſunt Rubricæ. S. R. C. 22. Jan. 1701.

15. An non obſtante Decreto 1. Sept. 1607. aut alio quocumque, poſſit quis in Feſto Omnium Sanctorum poſt ſecundas Veſperas, etiam Veſperas Vigiliæ Defunctorum unà cum Matutino & Laudibus recitare; aut an obligetur ſub peccato obedire prædicto Decreto, & ſecunda Novembris dictum Matutinum cum Laudibus recitare? Et reſponſum fuit: Privata Officii Defunctorum recitatio pro Generali illorum Commemoratione abſolvi licitè poteſt poſt Veſpertinas horas Feſti Omnium Sanctorum. In Choro autem juxta Rubricas adimplen- eſt manè die ſecunda Novembris, niſi, ut Populi commodiùs, & frequentiùs illis intereſſe poſſint, contraria

jam

jam faceret conſuetudo. Sac. Rit. Congr. 7. Sept. 1745.

16. Prima die Menſis non impedita Feſto duplici vel ſemiduplici, & in qua occurrit recitari Officium Defunctorum, poteſt recitari Officium ſemel in Hebdomada conceſſum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo Officium Defunctorum. S. R. C. 27. April. 1697.

17. Veſperæ Defunctorum pro prima die Menſis dicuntur licitè poſt Veſperas etiam Dominicæ, vel Feſti de præcepto, ſi accidat. S.R.C. 23. Maii 1603.

18. Officium pro die tertio, ſeptimo, vel trigeſimo poſt obitum defuncti, ſi cadat in die Dominico, vel Feſtivo, tranfertur in diem ſequentem cum eadem ſolemnitate. S. R. C. 23. Maii 1603.

19. Quando ab aliqua Congregatione dicitur totum Officium Defunctorum, non debet illud dici ut ſecunda die Novembris, omittendo Pſalmos poſt Veſperas & Matutinum poſitos in Officio Defunctorum. S.R.C. 5. Julii 1698.

20. In Officio Defunctorum in Veſperis & Laudibus dicendi ſemper ſunt Pſalmi appoſiti *De profundis*, & *Lauda Anima mea*; & poſt Veſperas & Laudes omittantur iidem Pſalmi tantùm in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & in die depoſitionis Defuncti. S. R. C. 23. Junii 1736.

21. Pſalmi *Lauda Anima mea*, & *De profundis* omittantur in Precibus poſt Officium in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & in die Obitus, ſeu Depoſitionis Defuncti dumtaxat; cæteris autem diebus ſemper & omninò dicantur. S. R. C. 3. Aug. 1737., & 8. Martii 1738.

22. Officium Defunctorum dici poteſt in Choro ſeparatim ab Officio diei, in diebus exceptis in Breviario, pro adimplenda Teſtatorum voluntate. S.R.C. 12. Aug. 1682.

Digitized by Google

23. Officium Defunctorum non poteſt dici in Semiduplicibus & Officiis novem Lectionum, niſi ad effectum dumtaxat ſatisfaciendi menti Teſtatorum. S.R.C. 12. Junii 1628.

24. Commemoratio Omnium Defunctorum non eſt celebranda, nec facienda in die Dominico, ſed transferri debet in Feriam ſecundam ſequentem. S. R. C. 24. Septemb. 1605.

25. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de Feſto duplici minori, ſed Miſſæ ſunt celebrandæ de *Requiem*. S.R.C. 5. Oct. 1686.

26. Nemini licet facere Octavam pro Defunctis ſine ſpeciali Indulto Sedis Apoſtolicæ; neque intuitu alicujus Altaris privilegiati licet exponere hanc Tabellam: *Indulgentia perpetua pro Mortuis*; ſed tantùm ſuper ipſo Altari privilegiato: *Altare privilegiatum pro Defunctis*. S. R. C. 13. Aug. 1667.

27. Occurrente Duplici minori, ſeu tranſlato in die Commemorationis Defunctorum, Officium faciendum eſt de Sancto, Miſſæ verò celebrandæ ſunt de *Requiem*. S. R. C. 19. Junii 1700.

28. Annua Commemoratio Omnium Defunctorum alicujus Ordinis, ſeu Communitatis non eſt transferenda, ſi in illa die occurrat Feſtum duplex etiam tranſlatum, ſed fiet Officium de Duplici cum ſola Miſſa ſolemni poſt Tertiam; Officium verò Defunctorum recitandum erit poſt Laudes diei ſub ritu duplici, & omnes Miſſæ privatæ dicentur pro Defunctis in Paramentis nigris. S.R.C. 5. Maii 1736.

29. In ſecundo Triduo Majoris Hebdomadæ non poſſunt celebrari Exequiæ Defunctorum; & Officium, & Preces recitentur privatim. S.R.C. 11. Aug. 1736.

30. An Officia pro Animabus Confratrum extra diem Obitus, ſeu Depoſitionis, tertium, ſeptimum, & trige-

trigeſimum cum Caſtro doloris, & concurſu Sacerdotum officiata habere debeant Ritum Duplicem, & Semiduplicem cum Pſalmo, ac tribus Orationibus? Reſponſum fuit: Serventur Rubricæ Ritualis Romani, unà cum noviſſimo Decreto edito anno 1737. in Nolana: nempe duplicatio Antiphonarum, præter diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunct. & diem depoſitionis, fiat in diebus tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario tantùm. S. R. C. 8. Martii 1738.

31. Feria ſecunda poſt Dominicam infra Octavam Omnium Sanctorum, Feſto Duplici minori occupata, in qua pro Animabus Confratrum cantatur Officium Defunctorum cum Solemnitate, debet cantari Miſſa de *Requiem*. Quòd ſi Anniverſarium prædictum contingat in Feſto altioris ritus, debet illud præcedenti die celebrari. S. R. C. 8. Martii 1738.

32. Quod ſtatutum fuit per plura Decreta Sac. Rit. Congr. dicendum eſſe Pſalmos *Lauda Anima mea* ad Veſperas, & *De profundis* ad Laudes pro Defunctis, exceptis diebus Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, & depoſitionis Defuncti, ſervandum erit etiam in illis Eccleſiis, ubi ex vi Regulæ, ſeu ob adimplendas pias Defunctorum voluntates, totum Officium Defunctorum ritu duplici recitare tenentur, ut fit diebus ſupra expreſſis; Et in caſu affirmativo, quæritur an in dictis caſibus omittendum ſit invitatorium, cùm Rubrica Breviarii innuat, quod hoc dicatur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum? Et reſponſum fuit negativè, nempe quod in Officio Defunctorum, quando recitatur integrum, numquam omittendum ſit Invitatorium. S. R. C. 9. Maii 1739.

33. Prima die Menſis impedita Duplici, aut Semiduplici, cùm ex præſcripto Rubricarum Officium Defunctorum, & Miſſa Conventualis de *Requiem* non ſit

celebranda; Officium & Miſſa hujuſmodi differenda ſunt ad aliam diem non impeditam juxta Rubricas. S. R. C. 23. Martii 1745.

CAPUT VII.

De publica ac quotidiana Divini Officii recitatione.

1. FUſiùs expoſitis Ritibus in Solemniis obſervandis, ad eos nunc animum vertimus, qui quotidianum concernunt Officium. Et primùm Clerici Novitii, vel Profeſſi, aliive ad Chori Miniſterium ex munere deputati eò opportunè accedant, Libros, Luminaria, Lectorilia, cæteraque neceſſaria diligenter paraturi. Dato verò Divini Officii ſigno, Cœnobitæ univerſi (niſi legitimè, & ex Superioris ſcientia fuerint impediti, aut exemti) ad Chorum mox ſe conferant, Laudes Divinas cum debita tantæ Majeſtati, tantoque loco modeſtia ac reverentia celebraturi.

2. Cum timore & tremore Domum Dei ingredientes, Aquam luſtralem detecto capite reverenter, ac per ſe excipiant; & exhibita Altari debita reverentia, ad Reſidentiæ ſuæ locum pergant, ubi genuflexi orent, donec a Superiore ſignum detur inchoandi Officium. Tunc, dicta præparatoria Oratione *Aperi Domine*, aſſurgunt omnes, ac erecti, nudo capite, dicunt ſecretò *Pater*, *Ave* & *Credo* pro Matutino; quod media nocte (ubi conſuetudo fuerit) vel paulò poſt in Inſignioribus Conventibus recitabitur: alibi verò ea ſaltem hora, ut albeſcente die, & Laudibus ipſis, & Orationi mentali finis impoſitus ſit. Quibus abſolutis, Cœnobita cui ex Tabella quolibet Sabbato a Vicario Chori conficienda, Hebdomadarii munus contigerit, è loco ſuo nec digniori, nec ornato, clara & competenti voce intonat

ad

Digitized by Google

ad nutum Superioris: *Domine labia mea*... ſignando interim os ſuum parvo ſigno Crucis cum pollice dextero: quod & cæteri pariter obſervant. Tum reſponſo a Choro: *Et os meum*.., ſubdit: *Deus in adjutorium meum*.., eadem manu dextera extenſa formando ſibi a fronte ad pectus Crucis ſignum.

3. Duo Clerici Novitii, vel Profeſſi, ubi Seminaria fuerint erecta, alioquin duo alii ex Junioribus Cantorum munus obeunt, detecto capite ſtantes in medio Chori ante Legile magnum. Recurrente Officio duplici, Invitatorium cum Pſalmo *Venite* ſimùl recitant: Chorus autem idem invitatorium in totum vel in partem ſtans repetit. Ad illa dumtaxat verba *Venite adoremus*, *&* *procidamus ante Deum*, genua flectunt omnes, etiam ipſi Cantores, juxtà regulam aliàs traditam; poſteà ſurgunt, ac proſequuntur *ploremus coram Domino*. Repetito Invitatorio, intonant ambo Hymnum, quem Chorus alternìs ad finem perducit, incipiendo ab ea parte, ubi eſt Tabella *Chorus*. Et in fine, ſi nominetur SS. Trinitas, caput profundè demittitur.

4. Poſt Hymnum iidem Cantores Antiphonam in Officio duplici integrè legunt; ſtatimque Pſalmum ſimul intonant, quem Religioſi in Stalis Choralibus tunc operto capite confidentes cum pauſa ac devotione alternatim proſequuntur. Cantores ſimiliter in Scabellis ante Legile poſitis aſſidere poſſunt. Novitii autem Clerici, ac Profeſſi, ex priſco laudabilique more, religioſè & viriliter in locis ſuis, nudo capite, continuò ſtant. Ad ℣. *Gloria Patri* in fine cujuslibet Pſalmi, caput omnes detegunt, atque inclinant. Tum Cantores erecti ac diſcooperti primam repetunt Antiphonam; mox ſecundam cum Pſalmo ſubdunt, & ſic ſucceſſivè de aliis. Si Antiphona incipiat ſicut Pſalmus, non repetitur initium Pſal-

Pſalmi, ſed continuatur quod ſequitur in Pſalmo, ab eo loco ubi juxtà diei ritum deſinit Antiphona, niſi diſcontinuetur per *Alleluja*.

5. Repetita tertia Antiphona poſt Pſalmum, Cantores Verſiculum altiùs annuntiant; quo vix inchoato aſſurgunt omnes, detecto capite. Et Hebdomadarius poſt Reſponſorium clara & intelligibili voce dicit *Pater noſter* (quod ſecretò recitatur uſque ad *Et ne nos inducas in tentationem* excluſivè)ac ſucceſſivè Abſolutionem *Exaudi Domine*. Junior intereà Clericus ad Legile nudum in medio Chori præparatum accedit, ubi genuflexione edita Altari, & Choro reverentia, Benedictionem profundè inclinatus versùs Hebdomadarium petit; qua obtenta, confeſſiſque tecto capite Religioſis, Lectionem clarè ac diſtinctè incipit, & perficit, lumen dextera ſuſtinens, ſiniſtra ſuper Librum repoſita. Dicturus in fine *Tu autem Domine*, caput Aram versùs profundè inclinat; ſtatimque duo Cantores diſcooperti ſtantes Reſponſorium ſimùl recitant. Lector indè pari ritu ſecundam, & tertiam petit Benedictionem, quam Sacerdos erectus ſemper, ac nudo capite impartitur: Cæteri autem ſedentes diſcooperiunt ſe tantùm. Ac tandem abſolutis Lectionibus, Clericus Altare cum genuflexione, Chorum autem profunda inclinatione ſalutat, & ad locum ſuum revertitur.

6. Idem omninò ſervatur in ſecundo ac tertio Nocturno; hoc tantùm habito diſcrimine, quòd ad Evangelium ſtant omnes uſque ad illa verba *Et reliqua*; & Lectiones alii gradatim legunt Religioſi. Quibus finitis, duo Cantores intonant Hymnum *Te Deum*, ſi dicendus ſit, quem Chorus nudo capite ſtans alternatim perficit, genuflectens ad ℣. *Te ergo quæſumus*... Quo expleto, Hebdomadarius abſolutè incipit cum ſigno Crucis *Deus in*

In adjutorium pro Laudibus, in quibus eadem reſpectivè obſervantur, ac in Matutino. Poſt Pſalmos aſſurgunt omnes detecto capite, & Hebdomadarius Capitulum altiùs legit; cui reſponſo per Chorum *Deo gratias*, duo illi Cantores inchoant Hymnum, & in fine Verſiculum dicunt. Deinde Hebdomadarius præintonatam ſibi Antiphonam Cantici repetit, quam præfati Cantores perficiunt, ac poſteà *Benedictus* incipiunt, ſignando ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus. Porrò cùm ad Canticum *Benedictus* deventum eſt, Campanulæ ſono omnibus in Conventu degentibus Orationis mentalis horam adveniſſe ſignificatur; cui Univerſi, quicumque illi ſint, qualibet occupatione ſepoſita, promtè obediunt; iis dumtaxat exceptis, qui aliquibus detenti negotiis, priùs a Superiore aliàs orandi facultatem ac benedictionem impetrarunt. Infirmi verò, & Impotentes eo ſaltem tempore, quoad licuerit, jaculatoriis Orationibus devotè utantur. Diebus autem Feſtis Solemnioribus, & quatuor ultimis Feriis Majoris Hebdomadæ quilibet ſeorſim totum ſeſe Orationi mentali, ſacriſque contemplationibus addicat.

7. Repetita igitur Antiphona Cantici *Benedictus*, Hebdomadarius dicit *Dominus vobiſcum*, tùm *Oremus* ac competentem Orationem; in cujus fine repetit *Dominus vobiſcum*, deinde ſubdit ℣. *Benedicamus Domino*, ac denique *Fidelium Animæ...* graviori voce. Si quæ autem occurrant Commemorationes, legunt eas unà cum Verſiculis Cantores, & ante cujuslibet Orationem præmittitur ſemper *Oremus*. Dicto ſecretè *Pater noſter* poſt ℣. *Fidelium Animæ...*, idem Hebdomadarius mediocri voce dicit ℣. *Dominus det nobis ſuam pacem*, ſi tunc diſcedendum ſit a Choro, alioquin in fine ultimæ Horæ, niſi ſequatur Miſſa, aut Litaniæ &c. Deinde ſtans ibidem, vel genuflectens juxta regulas Breviarii incipit Antiphonam

nam B. M. V., ac dicto a Cantoribus Verſiculo, Orationem ſubjungit ſemper ſtans cum ℣. *Divinum auxilium* graviori voce. Quo finito, dicuntur alternatim flexis genibus Pſalmi *Deus miſereatur noſtri*... & *De profundis*... cum ſolitis Precibus, & Oratione pro Benefactoribus vivis & mortuis, exceptis dumtaxat Solemnitatibus primæ ac ſecundæ claſſis. Sequitur poſteà Oratio *Sacroſanctæ* pro remiſſione defectuum & culparum ex humana fragilitate contractarum in Divino perſolvendo Officio. Tamdem pro Orationis mentalis præparatione dicitur Oratio *Actiones noſtras*, vel *Veni S. Spiritus*; & Superior, vel alius cui demandatum fuerit, ex pio aliquo libro Lectionem ſacram, quæ meditandi materiam præbeat, præmittit; abſolutaque Meditatione ſubditur ℣. *Non nobis Domine*... cum Oratione *Suſcipe*, *Clementiſſime Deus*..., deinde in ſilentio diſcedunt, præmiſſo *Adoramus te Chriſte*....

8. Hìc notandum quòd ex Conſtit. Urban. in cap. 3. Reg. tit. 1. num. 15. Matutinæ Laudes iis diebus, quibus cantari in Noſtris Eccleſiis ſolemniter ſolent, devotè ſunt cantandæ. In Feſtis primæ Claſſis nona ſaltem Lectio, *Te Deum*, Capitulum, Hymnus, & *Benedictus* cantentur. In aliis Feſtis duplicibus, & Dominicis, nona Lectio, & *Te Deum* (cujus ℣. *Per ſingulos dies* duo Cantores concinent, continuato Hymno prædicto in proprio tono) cui Organum intermiſceri poterit cum regula aliàs tradita. In Dominicis verò Adventus & Quadrageſimæ, nona Lectio cum Reſponſorio, Capitulum, Hymnus, & *Benedictus* decantentur abſque Organo. Si quæ autem laudabiles conſuetudines in aliquibus Noſtri Ordinis Eccleſiis reperiuntur, ſervari poterunt. Tertia item, Veſperæ, & Completorium in Inſignoribus Conventibus cantentur.

9. Cùm Officium ſub ritu ſemiduplici celebratur,

tur, Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, Hymni, Verſiculi, Reſponſoria tertium, ſextum, & octavum, vel loco illius nonum, ſi dicendum ſit, Canticum item *Benedictus* cum ejuſdem Antiphona in fine, necnon Commemorationes ab uno & altero Cantore ſimul dicuntur. Quoad Antiphonas autem, Pſalmos, ac cætera Reſponſoria, iſte ſervatur ordo. Prima Antiphona primi Nocturni a ſecundo Cantore intonatur in principio tantùm ad duo, vel tria ad ſummum verba, & Pſalmus a primo Cantore inchoatur. Quo finito idem ſecundus Cantor integram repetit Antiphonam, & alter qui eſt in primo Choro, ſubſequentem Antiphonam intonat; qui verò eſt in ſecundo Choro, Pſalmum. Atque hoc modo, expleto ſecundo Pſalmo, primus Cantor totam ſuam Antiphonam reſumit quam intonaverat; & ſecundus Cantor incipit eam, quæ tertio præcedit Pſalmo, quem ſtatim primus Cantor intonat: & ſic deinceps intonantur, ac reſumuntur Antiphonæ & Pſalmi, incipiendo vice verſa in ſecundo Nocturno; itaut primus Pſalmus in ſecundo Nocturno a Cantore ſecundo, & in tertio Nocturno a primo Cantore inchoetur. Reſponſoria autem ſic diſtribuuntur: primum a primo Cantore dicitur, & Verſus a ſecundo, atque ita ſecundum Reſponſorium vice verſa: ultimum verò cujuslibet Nocturni ab uno & altero Cantore ſimùl legitur. In ſecundo autem Nocturno primum Reſponſorium ab oppoſito recitatur a ſecundo Cantore, & Verſus a primo; ſecundum verò Reſponſorium a Cantore primo, & Verſus a ſecundo. In tertio tandem Nocturno primus Cantor primum dicit Reſponſorium, & ſecundus Verſum, uti dictum eſt de primo Nocturno.

10. In Simplicibus & Feriis Cantores nihil omninò proferunt ſimul, ſed Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, Hymni, Verſiculi, *Benedictus* cum ejus Antiphona, Commemorationes & Suffragia a primo & ſolo Cantore

 tore

tore dicuntur. Antiphonæ verò, ac Pſalmi eo ordine, quo diximus de Semiduplicibus, diſtribuuntur: Et cùm plures reperiantur Pſalmi ſub unica Antiphona, primo Pſalmo a Cantore competenti intonato, reliqui ab ea parte inchoantur, ubi ℣. *Gloria Patri* fuit prolatus. Primum Reſponſorium legit primus Cantor, & Verſum ſecundus, atque ita ſecundum Reſponſorium vice verſa, & tertium ut primum. Repetita a primo Cantore Antiphona poſt *Benedictus*, dicuntur Preces flexis genibus, ſi dicendæ ſint, & Hebdomadarius gravi ac demiſſa voce incipit *Kyrie eleiſon*, tum *Pater noſter* totum clara voce, deinde Verſiculos. Ad *Dominus vobiſcum* ante primam Orationem, idem Hebdomadarius ſolus aſſurgit, ac vocem altiùs elevat; tum dicto poſt ultimam Orationem ℣. *Benedicamus Domino*, ſurgunt omnes, & ſubjungitur Officium Defunctorum, vel Pſalmi Pœnitentiales, ſi dicendi ritus ferat; alioquin Matutinum perficitur ut ſuprà. Pſalmi autem Graduales, & Matutinum B. M. V. præponuntur Officio diei.

11. Prima in Inſignioribus quibuſcumque Conventibus, & in aliis omnibus, ubi congruus Fratrum numerus reperitur, a Matutinis Laudibus diſtincta, orto jam Sole, recitatur. Reliquæ verò Horæ juxta Sacros Romanæ Eccleſiæ Ritus, temporum varietate, & concionandi occaſione (ſi aderit) ut in Rit. Rom. ordinatur, diligenter attenta, celebrantur. Recurrente Officio duplici, Hymni, Pſalmi, Antiphona poſt Pſalmos (quæ ſub finem Hymni præintonata fuit Hebdomadario) nec non Reſponſoria brevia cum Verſiculis ab uno & altero Cantore conjunctìm dicuntur. Quem ritum in Semiduplicibus pariter obſervant, hoc tantùm habito diſcrimine, quòd primus Pſalmus ab utroque intonatur, reliqui verò ab uno dumtaxat, juxta ordinem ſuperiùs præſcriptum. Chorus ad Pſalmos ſolummodò tecto capite ſedet.

Digitized by Google

ſedet, ad reliqua diſcoopertus ſtat. In Simplicibus & Feriis primus Cantor ſupradicta omnia ſolus peragit; & dicto Reſponſorio, Hebdomadarius graviori voce preces genuflexus ſubdit, quas poſt ℣. *Benedicamus* ſequitur Officium parvum B. M. V. ſi juxta Rubricas ſit dicendum.

12. Ad Primam hæc inſuper ſunt notanda. In principio dicitur *Pater*, *Ave*, *&* *Credo*. Ad Pſalmum *Deus in Nomine tuo*... omittitur ſignum Crucis, prout etiam ad *Deus in adjutorium* poſt *Pretioſa*, & ad *Adjutorium noſtrum*, nec non *Benedicite* poſt Lectionem brevem. Ad Symbolum S. Athanaſii *Quicumque*, erecti omnes, ac diſcooperti conſiſtunt. Poſt Reſponſorium breve Hebdomadarius humiliori voce ſubdit Preces. Ad ℣. *Adjutorium noſtrum* ante Confeſſionem, ad *Indulgentiam* & *Dominus nos benedicat* in fine Primæ, ſignant ſe omnes ſigno Crucis a fronte ad pectus. Cùm Hebdomadarius & Chorus alternis dicunt *Confiteor*, profundè ſe inclinant uſque ad *Miſereatur* incluſivè; terque ſibi pectus ad *Mea culpa* percutiunt. Poſt Orationem *Domine Deus omnipotens*, vel ſi dicenda ſit Prima B. M. V. poſt illius Orationem, dicto *Benedicamus*, in Choro legitur Martyrologium; deinde dicitur *Pretioſa* cum reliquis.

13. In Veſperis idem reſpectivè cùm ab Hebdomadario, tum a Choro & Cantoribus ſervatur, ac in Matutinis Laudibus. Verùm cùm in Inſigniorum Conventuum Eccleſiis Veſperæ ſemper ſint decantandæ: alibi verò, ubi ſufficiens Fratrum numerus non reperitur, ſaltem a Capitulo & deinceps, hæc animadvertenda veniunt. Duo Cantores, genuflexione facta in locis ſuis, ad Hebdomadarium propiùs accedunt; eique unus a dextris cum debitis reverentiis præintonat Antiphonas primi Pſalmi, & Cantici *Magnificat*, reliquas diſtribuen-

do ab utraque parte ſui ordinis. Quibus præintonatis, mox redeunt ad medium, ubi Pſalmos omnes cum Cantico in Duplicibus ſimul præcinunt, & Antiphonas in fine repetunt, niſi cantentur. Hymnum quoque cum Verſiculo, Verſus Commemorationum, & *Benedicamus* unà dicunt. In Semiduplicibus autem ſecundus Pſalmus a ſecundo tantùm Cantore intonatur, tertius a primo, & ſic de aliis. Antiphonæ pariter ab uno alternatim repetuntur, ſed primus Pſalmus, Hymnus, *Magnificat*, & Verſiculi ab utroque Cantore ſimul dicuntur. In Feriis tandem, & Simplicibus, primus Cantor Antiphonas ſolus Hebdomadario præintonat; ſolus item primum Pſalmum, Hymnum, Canticum, & Verſiculos decantat. Poſt Antiphonam ad *Magnificat* dicuntur Preces flexis genibus, ſi dicendæ ſint, & poſt ultimam Orationem, dicto ℣. *Benedicamus*, ſubduntur Veſperæ Defunctorum juxta Rubricas Breviarii; ſed Veſperæ B. M. V. præponuntur Officio diei.

14. Completorium a Veſperis diſtinctum recitatur, & in præcipuis Cœnobiis, vel ubi congruus Fratrum numerus reperitur, ante Solis occaſum hoc modo cantatur. Primus Cantor, dato a Superiore ſigno, abſolutè incipit in tono Lectionum *Jube Domne benedicere*; deinde inclinat ſe profundè versùs Hebdomadarium, qui eidem reſpondet ſtans detecto capite: *Noctem quietam....* Dicto a Choro *Amen*, idem Lector erectus proſequitur *Fratres ſobrii eſtote...*, & ad *Tu autem Domine*, ſi recedit a medio, genuflectit; ſin autem, caput inclinat. Tum reſponſo per Chorum *Deo gratias*, Hebdomadarius graviori voce ſubdit *Adjutorium noſtrum*, ſignans ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus, deinde *Pater noſter* totum ſecretò, poſtea *Confiteor*, ut ſupra. Quo abſoluto, altiori voce intonat *Converte nos..*, formans interim ſibi Crucis ſignum ſuper pectus pollice dexte-

dextero; & eadem voce proſequitur *Deus in adjutorium*, ſignando ſe a fronte ad pectus, more ſolito.

15. Duo Cantores, dicto ℣. *Gloria Patri*, Hebdomadarium adeunt, eique primus Antiphonam *Miſerere* vel *Alleluja* cum debitis reverentis annuntiat, redeuntes ſtatim ad medium, ubi Pſalmum *Cùm invocarem* ſimùl intonant in Duplicibus & Semiduplicibus; quod pariter obſervant ad Antiphonam *Salva nos*, & ad Canticum *Nunc dimittis*. Inchoato primo Pſalmo, Chorus tunc & non priùs tecto capite ſedet uſque ad Hymnum excluſivè. Reliqui Pſalmi in ſemiduplicibus ab uno tantùm intonantur Cantore; ſed Hymnus, Reſponſorium breve, Antiphona finalis B. M. V. cum Verſiculo ejuſdem, Pſalmus item *Cùm invocarem*, & Canticum *Nunc dimittis*, ut ſupradictum eſt, ab utroque Cantore ſemper dicuntur, ſive Officium ſit Duplex, ſive Semiduplex. In Simplicibus autem, & Feriis, omnia primus & ſolus Cantor peragit, exceptis Pſalmis, qui ab ea parte intonantur, ubi præcedens finierit. Poſt Antiphonam *Salva nos*, dicuntur Preces flexis, vel erectis genibus juxta Rubricas, ſi dicendæ ſint, & quidem humiliori voce. Quibus finitis, Hebdomadarius ſolus aſſurgit ad *Dominus vobiſcum*, quod altiùs profert unà cum Oratione, & ℣. *Benedicamus Domino*. Mox ſurgunt omnes, & graviori voce dicitur Completorium B. M. V. ſi Rubrica præſcribat, in cujus fine, poſt Orationem dicitur *Benedicat & cuſtodiat nos* .... cum ſigno Crucis; tum Antiphona finalis ejuſdem B.M.V. ℣. *Divinum auxiliùm*, *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Sacroſanctæ &c.*

16. Completorio abſoluto, fit Oratio mentalis, ut ſuprà dictum eſt, per horam integram, vel ſaltem dimidiam, exceptis ſolemnioribus Diebus, quibus ſeorſim peragenda eſt; & ejuſdem ſignum datur campanulæ ſono ad Canticum *Nunc dimittis*. Deinde (ultrà pri-

privatum conſcientiæ examen ſemel ab unoquoque faciendum ante prandium) ſingulis diebus (ſexta Feria excepta, quando Conſcientiæ examen ante ſolitum Diſciplinæ exercitium fieri ſolet) poſt Completorium, Oratione mentali expleta, ſpecialiter ad hoc dato ſigno, Superior, vel alius intelligibili voce dicit *Fratres præparate...* poſteà *Fiat examen conſcientiæ*. Quo peracto, quinque dicuntur *Pater* & *Ave*, pro conſecutione Indulgentiarum; & Superior ipſe ter *Agnus Dei...* cum Oratione *Ineffabilem...* ſubjungit, diſcedentes inde cum ſilentio.

17. Cantores Pſalmos, Hymnos, Verſiculos, Antiphonas, & quid ſimile dicturi, ſtent ſemper in medio, nudo penitùs capite; accedentes verò ſimul ad intonandum, & recedentes, Altari vel Cruci ſemper genuflectant, poſteà Celebrantem ac ſe invicem ſalutent, advertentes ne ſibi ipſi terga vertant receſſuri ad ſedilia ſua. Intonent voce quoad fieri poteſt, Choro & Hebdomadario concordi. Quòd ſi Pſalmodia depreſſa nimis ſit, vel elevata, modeſtè provideant, ut ad competentem tonum reducatur. Prævideant diligenter quæ cantanda, vel legenda ſunt, ne errent: legant Rubricas, & Officium Feſti; vocemque ſuam ita temperent, ut æqualitas illius ſemper ſervetur, neque unus altiùs alio decantet; & ſimul pauſent, quando opus eſt, nec unus præveniat alterum, ita ut videantur ambo unius & ejuſdem eſſe vocis.

18. Sicuti principio Matutini præmittitur Oratio præparatoria *Aperi Domine*; ita congruum videtur, ut hæc eadem, vel ſaltem alia brevior *Actiones noſtras*, ad animum Deo præparandum, ab omnibus ſimul de Choro alta voce ante inchoationem aliarum Horarum, quando dicuntur ſeparatæ a Matutino, devotè recitetur.

CA-

CAPUT VIII.

De privata Horarum Canonicarum recitatione.

1. REligioſus Divinum Officium ſeorſim recitaturus Rubricas primùm, ac Directorium currentis Anni ſedulò percurret; tum loco & hora competenti dicet Orationem *Aperi Domine*, cæteraque attentè, clarè, ac devotè abſolvet. Ad Antiphonas tantùm, Pſalmos, Lectiones, Reſponſoria, & Benedictionem ſecundam ac tertiam cujuslibet Nocturni tecto capite aſſidebit, ſi voluerit: ad alia verò, de quibus accuratè in cap. 12. hujus 4. part., nudo capite ſtabit omninò, vel genuflectet. Ritus pariter ſignandi, inclinandi, vel diſcooperiendi caput &c. ibidem inſinuatos exactè ſervabit.

2. Clerici non Diaconi, quin vel ipſi Diaconi, præſente Sacerdote (niſi permiſerit) haud dicent ℣. *Dominus vobiſcum*, ſed loco illius ℣. *Domine exaudi orationem meam*. Si plures Officium ſimul perſolvant, alternis pſallent abque confuſione, perfectumque efficient Chorum; & unus ex illis Hebdomadarii munus exercebit, ſolusque de more ad Primam & Completorium Confeſſionem faciet. Antiphonæ ac Reſponſoria viciſſim dicentur, etiamſi Officium ſub ritu duplici celebretur.

CAPUT IX.

De Lectione Martyrologii ad Primam.

1. SIngulis Anni diebus, excepto Triduo ante Paſcha, legitur in Choro ad Primam ante ℣. *Pretioſa*... Martyrologium, juxta noviſſimam Editionem a Benedicto

cto Papa XIV. auctam & caſtigatam: pro cujus accurata Lectione ſequentes obſervantur regulæ.

2. Dicto ℣. *Benedicamus Domino*, ac reſponſo a Choro *Deo gratias*, primus Cantor, is nimirùm quì eſt a parte Chori, detecto capite in medio conſiſtens abſolutè legit, vel cantat in tono conſueto Lectionem illam, quæ memorias Sanctorum ſequentis diei continet, præponendo Kalendas, Nonas, vel Idus, & quantitatem Lunæ ejuſdem ſequentis diei (excepta die Paſchatis, quæ ante Kalendas annuntiatur); & Chorus interim tecto capite ſedet, pronunciato eo Sancto, de quo in diem ſequentem fiet Officium.

3. Sancti, de quibus eo die fit Officium, vel ex uſu Romanæ Eccleſiæ, vel ex conceſſionibus Summorum Pontificum, aut Sacræ Rituum Congregationis, vel ex approbata conſuetudine particularium Eccleſiarum, aut Locorum, ſemper primo loco ponuntur. Quod ſimiliter ſervandum eſt in Feſtis Mobilibus, & in Officiis Votivis de Apoſtolicæ Sedis benignitate reſpectivè recitandis. Alii verò Sancti, de quibus non fit Officium, ſed ſola Commemoratio, ſi fiat Officium de Feria, pronuntiantur primo loco; ſed ſi de Sancto, ponuntur ſecundo loco. Quòd ſi de iiſdem neque Officium, neque Commemoratio peragatur, memoria tamen eorum in aliquibus Eccleſiis & locis, in quibus competit, habeatur, Nomina eorum proferantur ſuo loco & ordine, videlicet Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores, & Virgines poſt Virgines. Beati autem, niſi de illis ex Apoſtolico Indulto fiat Officium, vel Commemoratio, pronuntiari debent poſt cæteros Sanctos.

4. Si dies Octava occurrat in Feſto primæ vel ſecundæ Claſſis, vel Dominicis privilegiatis extra Quadrageſimam & tempus, quo Octavarum ritus excluditur, dies Octava pronuntiatur ſecundo loco. Vigiliæ item quæ-

quæcumque Sanctorum tam univerſalis quàm particularis Eccleſiæ ſemper primò appellantur. Et anticipata Vigilia in Sabbato, non prævenitur ejus Lectio in Martyrologio, licet anticipetur Officium, ſeu Commemoratio cum jejunio; ſed pronuntiatur in eodem Sabbato pro die Dominico: ſecùs verò in Vigilia S. Joannis Baptiſtæ, quando occurrit in Feſto Corporis Chriſti; tunc enim ſolum jejunium anticipatur in Feria quarta præcedenti abſque Officio vel Commemoratione ejuſdem Vigiliæ, quamvis de ea in ipſa Feria quarta primo loco legatur ante indictionem Feſti Corporis Chriſti; quod in ſimilibus ſervandum erit.

5. Feſta toties pronuntiantur, quoties deſcribuntur in Martyrologio Romano; & ſi in alteram diem ea perpetuò aſſignentur, tunc bis annuntiari poſſunt: prima vice in eorum die Natali ſuo loco, Martyres ſcilicet poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores &c. indicando quonam die eorum Feſtivitas celebretur cum hac vel ſimili verborum formula: *Ejus tamen Feſtum*, vel *Natalis dies*, vel *&c. apud Nos* (Kalendarum dies notetur & Menſis) *celebratur....* Secunda vice & primo loco ſimpliciter abſque Elogio (niſi ſint Feſta peculiaria Ordinis) pronuntiari debent ea die, quæ pro eorumdem Officii celebratione aſſignata eſt; addendo quando eorum Natalis dies evenerit, ſi Officii celebratio poſtponatur, vel eveniet, ſi anteponatur, exempli gratia: *Cujus Natalis memoria* (dies dicatur & menſis) *recolitur ....* Quod autem ſupra dictum eſt pro prima vice, ut Martyres poſt Martyres, Confeſſores poſt Confeſſores &c. ponantur, intelligi debet de Sanctis, qui in Martyrologio Romano non ſunt adhuc deſcripti, ſed ab Apoſtolica Sede pro eis indultum Officium, aut Commemoratio: illi verò, qui in eo deſcripti ſunt, abſque mutatione pronuntiari debent eo loco in quo ponuntur. Translato autem Feſto alicu-

Digitized by Google

alicujus Sancti accidentaliter tantùm & per Annum, non ſit translatio de eodem in Lectione Martyrologii (niſi in caſibus in Martyrologio expreſſis) ſed ſemper nominatur ea die in qua habetur in ipſo Martyrologio.

6. In pronuntiandis Nominibus Sanctorum, quorum nulla eſt mentio in Martyrologio, brevis admodùm adhibeatur enunciatio; quare præter Nomen Sancti, Locum, & diem Obitus, ſeu Paſſionis (ſi fuerit Martyr) nihil aliud ſuperaddatur, atque omninò abſtineatur ab Elogiis inconſulta Sac. Rit. Cong.

7. Completa Lectione Martyrologii, Lector in fine ſemper ſubdit: *Et alibi aliorum plurimorum....* & Chorus reſpondet *Deo gratias*. Inde ſurgunt omnes nudo capite, & Hebdomadarius proſequitur *Pretioſa* &c. Poſt Orationem *Dirigere & Sanctificare...* idem Lector Benedictionem ſupplex poſtulat dicens: *Jube Domne...* qua obtenta ſtans recitat Lectionem brevem ad Abſolutionem Capituli; & in fine dicturus *Tu autem Domine...* caput inclinat, vel genuflectit, ſi a medio diſcedat. De ſpeciali ritu ac ſolemnitate, qua prædictum cantari debeat Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini, fusè differitur in tertia parte hujus Cæremonialis capite ſecundo.

8. Poſtquàm S. Canutus pro Ordine Benedictino fixè eſt repoſitus ad diem 20. Februarii, poteſt pridie hoc Elogium legi in Martyrologio: *S. Canuti Regis & Martyris VII. Idus Januarii*; non variata tamen diſpoſitione Martyrologii Romani. S. R. C. 5. Maii 1736. Idem in ſimilibus obſervandum eſt.

9. Feſta illa, quæ a die Obitus aliquorum Sanctorum translata, ſortita ſunt alium diem fixum, annuntianda ſunt iiſdem diebus & verbis in Martyrologio Romano deſcriptis. Quòd ſi eorum transferantur Officia pridie quàm celebrentur, poteſt nuntiari Feſtum illius San-

Sanċti de quo ſequenti die agetur ſolemnis memoria. S.R. C. 5. Maii 1736.

10. Feſta, quæ perpetuò in aliam diem tranſlata ſunt, pronuntiari debent in Martyrologio, eo ipſo quo celebrantur, non eo die quo notantur. S.R.C. 2. Sept. 1741.

CAPUT X.

De Officio parvo B. M. V., Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus.

1. OFficium parvum B.M.V., Pſalmi Graduales, ac Pœnitentiales ſingulis Anni temporibus juxta Rubricas Breviarii recitari debent in Choro, ex priſco & laudabili Religionis more a S. Pio V. confirmato. Extra Chorum nunc nemo tenetur: proponit tamen idem Summus Pontifex recitantibus diċtum Officium cùm intrà, tum extra Chorum Indulgentias 100. dierum, & pro memoratis Pſalmis 50. dierum.

2. Officium Beatæ Mariæ toties in Choro recitatur, quoties Officium fit de Feria vel Vigilia: exceptis tamen Vigiliis Epiphaniæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes & Nativitatis Domini, necnon Feriis Hebdomadæ Majoris, ac infra Oċtavas Paſchæ & Pentecoſtes, quibus diebus omittitur a primis Veſperis, & in Vigilia Nativitatis a Matutino.

3. In perſolvendo diċto Officio B. M. V. ritus idem ac in Officio Feriali ſervatur, ſed quaſi alta voce legitur. In Matutinis & Veſperis præponitur Officio Diei, in aliis verò Horis poſtponitur, ſtatim ac ab Hebdomadario diċtus fuit ℣. *Benedicamus Domino*. Prima dicitur poſt ℣. *Benedicamus*, antequam legatur Martyrologium. In principio omnium Horarum, & in fine ultimæ (quan-

do non conjunguntur cum Officio Divino) dicitur Salutatio Angelica tantùm. Quando autem uniuntur cum Officio Diei, præmittitur ad Veſperas *Pater* cum *Ave*, & *Credo* ad Matutinum, & terminantur more ſolito cum prolixa concluſione ad Orationes.

4. Tempore Paſſionis nulla fit detractio, ſed dicitur ℣. *Gloria Patri* in Invitatorio ac tertio Reſponſorio, ut in Feſtis Sanctorum. Tempore item Paſchali tres dicuntur Antiphonæ in Nocturno more conſueto, quin Invitatorio, Antiphonis, Verſibus aut Reſponſoriis addatur *Alleluja*. In Adventu autem dicitur Officium ut ibi, & ad Lectiones ſtant omnes, quia ſunt de Evangelio. Translato juxta Rubricas Feſto Purificationis B. M. V., non ideò protrahitur mutatio Officii parvi ejuſdem, ſed ſtatim poſt diem ſecundam Februarii recitatur illud, quod præſcribitur a die poſt Feſtum Purificationis ad Veſperas uſque Sabbati ante primam Dominicam Adventus.

5. Extra Chorum dicitur pro opportunitate temporis; & ſi Matutinum dividatur a Laudibus, in fine illius ac initio Laudum dicitur Salutatio Angelica. Bulla Pii V. ann. 1575. prohibentur Officia B. M. V. vulgari ſermone edita.

6. Pſalmi Graduales dicuntur in Choro qualibet Fer. IV. Quadrageſimæ non impedita Feſto novem Lectionum, includendo etiam Fer. IV. Cinerum: omittuntur tamen in Hebdomada Majori. Ante Matutinum etiam Officii parvi B. M. V. recitantur humiliori voce, & quidem licitè Fer. III. poſt Completorium, ſi adſit conſuetudo. Extra Chorum dicuntur pro opportunitate temporis abſque obligatione. Hebdomadarius abſolutè incipit primum Pſalmum *Ad Dominum cùm tribularer*; & reliqui ſucceſſivè inchoantur ab ea parte ubi non finierit Pſalmus præcedens, ordine ſervato ut in Nocturnis Officii. Primi quinque Pſalmi dicuntur ſine ℣.

Glo-

Gloria Patri, & in fine ultimi tantùm additur *Requiem æternam dona eis*... reliqui verò ſinguli concluduntur cum ℣. *Gloria Patri*. Preces dicuntur flexis genibus, ſolo Hebdomadario ad Orationes ſtante.

7. Pſalmi denique Pœnitentiales cum Litaniis, Precibus, & Orationibus dicuntur in Choro flexis genibus qualibet Fer. VI. Quadrageſimæ, in qua Officium fit de ea, excepta Fer. VI. Majoris Hebdomadæ. Recitantur autem poſt Matutinum & Laudes diei, dicto ℣. *Benedicamus Domino*, vel etiam Fer.V. poſt Completorium, ubi eſt conſuetudo. Extra Chorum dicuntur pro opportunitate temporis ad libitum. Hebdomadarius gravi & humili tono incipit Antiphonam *Ne reminiſcaris*; & in fine legit Litanias, inde Verſiculos & Orationes, ad quas tantùm aſſurgit, cæteris remanentibus genuflexis. Primus Cantor inchoat primum Pſalmum eadem gravi voce; cæteri autem intonantur ab ea parte ubi non finierit Pſalmus præcedens, & in fine cujuslibet dicitur ℣. *Gloria Patri*. Sede Vacante omittuntur ſemper ℣℣. *Ut Domnum Apoſtolicum*.... *Oremus pro Pontifice noſtro* N. cum Oratione de eodem. Quòd ſi Litaniæ ſeparatim a Pſalmis Pœnitentialibus dicendæ ſint, ut contingit in Feſto S. Marci, ac tribus Feriis Rogationum, quibus diebus etiam privatim recitandæ ſunt de præcepto; tunc dicto poſt Laudes diei ℣. *Benedicamus Domino*.... mox eæ perſolvuntur; nam ℣. *Fidelium Animæ*... dicitur in fine Litaniarum.

8. Pſalmi Graduales & Pœnitentiales dicuntur licitè, ubi eſt conſuetudo eos dicendi, pridie Veſperi Fer. IV. & VI. poſt Completorium. S.R.C. 2. Aug. 1603.

9. Commemoratio Sanctæ Mariæ in Suffragiis Sanctorum debet fieri in Eccleſiis eidem dicatis, etiamſi ejus Officium parvum in Choro recitatum fuerit. S.R.C. 10. Jan. 1604., 17. Junii 1684., 14. Aug. 1691., & 23. April. 1695.

10. Ser-

10. Servanda eſt antiqua & laudabilis conſuetudo ubi recitatur in Choro Officium parvum B.M.V. etiam in Semiduplicibus & Dominicis, non obſtante Rubrica Breviarii. S. R. C. 1. Sept. 1607.

11. Ad Invitatorium, Antiphonas, Reſponſoria, & Verſiculos in Officio parvo B. M. V. tempore Paſchali non additur *Alleluja*. S. R. C. 28. Mart. 1626.

12. In Officio Fer. IV. Cinerum relinquendo Commemorationem Octavæ debent Privilegiati dicere Preces, Pſalmos Graduales &c., & ſervare omninò Rubricas dictæ Fer. IV. Cinerum. S. R. C. 24. Jan. 1682.

13. Perſolventes Divinum Officium extra Chorum non tenentur ad Pſalmos Graduales, nec Pœnitentiales, nec ad Officium parvum B. M. V., nec Defunctorum; quæ quidem Officia & Pſalmi ſunt onera tantummodo ex præcepto adimplenda in Choro. S. R. C. 2. Septemb. 1741.

CAPUT XI.

De Diſciplina in Choro ſervanda.

1. DAto Divini Officii ſigno Cœnobitæ univerſi ad Eccleſiam ſe conferent munia ſua acturi. Cùm ad Altare pervenerint, debitam illi reverentiam exhibebunt, ac deinde ad loca ſua accedent, ubi genuflexi manebunt orantes, donec a Superiore detur ſignum ſurgendi, & incipiendi Officium.

2. Si quis autem, inchoato jam Officio vel Miſſa, ad Chorum acceſſerit, ante Aram primò genuflexus brevì orabit; tum aſſurgens debitam iterum Altari peraget reverentiam; ac poſtea Chorum hinc inde ſalutabit, qui pariter ei reſpondebit detecto capite. Poſtremò ad Stallum ſuum perget, & Cantum vel Pſalmodiam cum

cum aliis proſequetur, opportunè poſteà quæ omiſerit recitaturus. At ſi diceretur tunc *Deus in adjutorium*, vel *Gloria Patri*, aut Hymnus, vel Oratio, aut Evangelium, vel denique ſacrum quid aliud perageretur, ad quod Chorus vel ſtat, vel eſt inclinatus, vel genuflectit per aliquam moram, expectabit reſpectivè ſtans, vel inclinatus, vel genuflexus ſeparatim in medio, prout ipſe Chorus, donec ea perficiantur; mox factis reverentiis & ſalutationibus, ut ſupra, ibit ad locum ſuum.

3. Qui neceſſitate coactus egreſſurus erit è Choro, licentiam primò a Superiore petet; qua obtenta Altari genuflexionem, & Choro reverentiam exhibebit ac diſcedet, quamprimùm poſteà reverſurus. Illud autem præ cæteris attendatur, ne quis in Eccleſia, vel Sacrario, aut Clauſtro, ſeu in eorum vel Conventus januis, dum Divina celebrantur, commoretur, ſtet, confabuletur, ſeu deambulet. Abſentis verò, aut legitimè impediti Religioſi vices illicò ſuppleat junior.

4. Obſervandum inſuper, quòd in reverentiis peragendis haud attenditur ſemper Perſonæ Dignitas, ſed ut plurimùm gradientis commoditas. Unde regulariter reverentia priùs fit ei (licet inferiori) a quo quis diſcedit, mox Altari ante quod tranſit, ac tandem ei ad quem accedit. Et ſi plures in eodem loco adſint Prælati, Majori tantùm ex illis, & Celebranti reverentia exhibetur.

5. Inviolabile in Choro ſervetur ſilentium, nec ulla ibi niſi ex gravi neceſſitate fiant colloquia. Nemo quid acturus ſit quærat clamando, ſibilando, aut deſiſtat cum ſcandalo; ſed omnia opportunè prævideat, vel ab eo, ad quem pertinet, leviſſimo aliquo ſigno admoneatur. Errata, ſi quæ in ipſo actu eveniant, vel modeſtè ac leniter corrigantur, vel prudenti ſilentio, maximè ſi levia fuerint opportuno tempore admonenda, prætermittan-

Digitized by Google

mittantur. In ſuis Subſelliis religioſè omnes conſiſtant, pedibus ſimul junctis, manibus intrà manicas complicatis, mente in Cœlos, & oculis in terram vel Librum defixis. Non ſit qui riſu, aliòve incompoſito, ſeu minùs modeſto actu Rem Divinam perturbet. Non qui cum cæterorum ſcandalo dormiat, vel litteras, aut alias Scripturas legat; quinimo nec ipſum Breviarium, vel Diurnum præ manibus habeat, in quibus privatim Horas recitet, ſed illas alta voce unà cum Choro dicat aut cantet, & ad id unicè Librum habere ei permittitur. Nemo geſtum aliquem ab aliis diverſum demonſtret, ut cùm alii ſtant, ipſe ſedeat, vel genuflectat, aut econtra; ſed omnes uniformi ritu attentè, devotè, ac reverenter Divinis aſſiſtant, eaque toto cordis affectu admirentur & contemplentur.

6. In demittendis, attollendiſque ſubſelliis, vel per Chorum incedendo, aut aliud peragendo, a ſtrepitu caveant Religioſi. In pſallendo item & concinendo debitus ſervetur modus, non acceleratè nimis, non perturbatè, ſed reverenter, attentè ac devotè, cum pauſa ad Aſteriſcum Divinæ Laudes celebrentur. Ad Librum, ſeu Legile magnum, cùm opus fuerit, non tumultuariè, ſed reverenter, modeſtèque omnes accedant. In Choro nec Pileum, nec Pallium, nec Chirotecæ deferantur.

CAPUT XII.

De Cæremoniis in Choro obſervandis tempore Divini Officii.

1. A Principio cujuslibet Horæ ad intonationem uſque primi Pſalmi ſtandum in Choro nudo penitùs capite. Item ad Invitatorium cum Pſalmo *Venite*, ad

ad Hymnos; a Verſibus Nocturnorum incluſivè ad initium uſque primæ Lectionis, ad Textum Evangelii ante Homiliam, & dum Celebrans paratus ultimam decantat Lectionem. Cantores prætereà, vel Lectores, dum aliquid cantant, vel legunt, continuò ſtant nudo capite. Inſuper ad *Te Deum* Chorus aſſurgit, ad intonationem Antiphonarum, ad Capitula, Reſponſoria brevia, Cantica Evangelica, Orationes, Commemorationes, & Suffragia Sanctorum, ad Incenſationem, ad Symbolum *Quicumque*, ad Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domini uſque ad illa verba: *In Bethleem Judæ* excluſivè, ad Lectiones in Officio parvo B. M. V. in Adventu, ad Antiphonas finales ejuſdem Beatæ Mariæ, ad *Pater*, *Ave*, *Credo* in fine Completorii, nec non ad Salutationem Angelicam, quæ dicitur mane, Meridie, & Veſpere, toto tempore Paſchali, & diebus Dominicis a primis Veſperis. Standum item ad omnes Horas, cùm recitantur coram SS. Sacramento publicè expoſito, niſi ratione prolixitatis earumdem, vel alia rationabili de cauſa ſedendum videatur; quo caſu caput nullimodè operietur. Quoties item in proſpectu Chori elevatur, oſtenditur, adminiſtratur, vel circumfertur idem SS. Sacramentum, dummodo Chorales actiones non perturbentur.

2. Ad Officium Defunctorum ſtant univerſi, donec inchoatus ſit primus Pſalmus; item ad *Magnificat*, & *Benedictus*, & dum in Matutinis recitatur Oratio Dominica ante Lectiones. Ad Orationes hujuſmodi Officii ſolus Celebrans ac Ceroferarii conſiſtunt, cæteri genuflectunt. Superiori inſuper, (Generali præſertim Miniſtro, ac Provinciali Diœceſano) Prælato, aut Perſonæ Inſigni Chorum ingredienti, vel egredienti aſſurgendum, nec priùs illo ſedendum: Omnes autem promtè, ac ſine mora ſurgant ſimul. Et ſi quis cum aliis ſtare, ſeu genuflectere, aut caput diſcooperire nequiverit, diſpenſet Superio-

perior in eo quod æquum fuerit, & diſpenſatio aliis etiam innoteſcat, ne occaſionem ſcandali inde ſumant.

3. Genuflectendum verò ab omnibus quoties accedunt, vel recedunt, aut tranſeunt ante Altare SS. Sacramenti; & ſi illud fuerit publicè expoſitum ſive in Pyxide, ſive in Oſtenſorio, ſive etiam ſuper Altare poſt Conſecrationem in Miſſa, tunc utrumque genu flectunt, uti obſervatur a S. R. E. Cardinalibus in Cappella Pontificia. Genuflectendum item in loco ſuo, donec detur a Superiore ſignum ſurgendi, & incipiendi Officium: qui verò inchoato jam Officio advenit, ante Altare parumper orat genuflexus, ut dictum eſt, ac deinde ſedem ſuam petit. Genua inſuper flectere debent Religioſi ad hæc verba *Venite adoremus*... in Pſalmo *Venite*, ad *Te ergo quæſumus*... in Hymno *Te Deum*.., ad *Veni Creator Spiritus*..., *Ave Maris Stella*..., *O Crux ave*..., etiam tempore Paſchali, ad *Tantum ergo Sacramentum*..., ſi coram SS. Sacramento etiam in Tabernaculo incluſo Officium recitetur, aliàs non. Genuflectunt autem a principio ad finem uſque Metri; Celebrans verò nonniſi poſt intonationem. Cantaturus in medio Chori Lectiones, accedens & recedens a Legili genuflectit: quod in ſimilibus ſemper ſervatur.

4. Flexo item poplite orandum ad Preces Horarum tempore Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, & Vigiliarum, uſque ad *Benedicamus* incluſivè poſt ultimam Orationem, ad Preces Officii Defunctorum, & Pſalmorum Gradualium, ad integros ſeptem Pſalmos Pœnitentiales, & ad Litanias cum Verſiculis & Orationibus. Hebdomadarius tamen aſſurgit a ℣. *Dominus vobiſcum* ante Orationes uſque ad finem, excepto Triduo ante Paſcha, in quo ipſe & alii genuflexi remanent ab intonatione ℣. *Chriſtus factus eſt*, uſque dum Officium compleatur. Item in Vigilia Nativitatis Domini ab illis ver-

verbis Martyrologii : *In Bethleem Judæ* uſque ad illa : *Nativitas D. N. J. C. ſecundùm carnem* incluſivè genuflectitur. Denique ad *Angelus Domini* ... & ad Antiphonas finales B. M. V. ad finem uſque Officii flexis genibus orandum, extra tempus Paſchale, ac dies Dominicas.

5. Illud verò notandum, quòd ſi genuflexio per aliquod temporis ſpatium peragenda ſit, tunc unum & alterum genu flectitur, ſed priùs in plano fit genuflexio: quæ iterùm repetitur, cùm facta Oratione diſcedendum erit. Quod intelligitur, ſi locus genuflexionem requirat, alioquin ante & poſt Orationem profunda tantùm Cruci exhibetur inclinatio. Porrò genuflexio ſemper fit dextero non ſiniſtro genu, in plano, capite aliquantulùm inclinato, demiſſiſque oculis, quin genua extendantur nimis, aut corpus indecorè curvetur.

6. Quoties profertur Nomen *Jeſu*, *Mariæ*, & Sancti, de quo fit Officium, vel Commemoratio, caput inclinatur, prout ad Nomen *S. Franciſci*, & Papæ viventis: ſed ad Nomen *Jeſu* tantùm, non autem *Chriſti* profundiùs inclinatur, ſicuti etiam ad Nomen tantùm *Mariæ*. Item ad ℣. *Gloria Patri* uſque ad *Sicut erat*, & quoties SS. Trinitatis expreſſa fit mentio, præſertim per enumerationem Divinarum Perſonarum, tam in fine Hymnorum & Orationum, quàm in Antiphonis, Reſponſoriis, Lectionibus &c. quo tempore incedentes per Chorum ſiſtere debent, atque versùs Altare inclinare ſe. Prætereà ad Verſus ſequentes : *Sit Nomen Domini benedictum* ; *Benedicat nos Deus*, *Deus noſter*, *benedicat nos Deus*; *Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu*; aliaque hujuſmodi. Item ad Benedictionem in Prima & Completorio, ad *Sanctus* alternatim in Hymno *Te Deum*, & parimodo ad *Confiteor* uſque ad *Miſereatur*. Ex priſco etiam more Religionis, Novitii ſaltem, ac Profeſſi inclinati manent ad *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, & Orationes.

 7. Si

7. Si Epiſcopus Diœceſanus, vel S. R. E. Cardinalis, aut alius Prælatus in loco ſuæ juriſdictionis Divinis interſit, Celebrans, ſeu Hebdomadarius initio Officii dicturus *Deus in adjutorium* ... & ad Primam ac Completorium *Dominus nos benedicat*... *Benedicat & cuſtodiat nos*... ipſi Prælato inclinabit ſe, quaſi licentiam ab eo petens. Et Confeſſionem ſolus ac primus faciet dictus Prælatus ad Primam, & Completorium, ſubdens inde *Miſereatur*..... *Indulgentiam*..... Quod pariter obſervari poterit, præſente Generali Miniſtro, aut Provinciali Diœceſano tantùm.

8. Lector poſt *Jube Domne benedicere* inclinabit ſe profundè versùs Hebdomadarium, ita tamen ut terga Altari non vertat, & ſic inclinatus manebit ad finem uſque Benedictionis. Ad *Tu autem Domine* poſt Lectionem, ſi a medio non diſceſſerit, caput profundè inclinabit. Ad verba item *In Nomine Jeſu omne genu*...., *Et Verbum Caro factum eſt*, *Et procidentes adoraverunt eum*, *Et procidens adoravit eum*, aliaque hujuſmodi, in quibus genuflectitur in Miſſa, in Officio fiet ſola inclinatio. Inſuper ad Incenſationem, & Antiphonarum præintonationem, mutua exhibebitur reverentia. De aliis tandem inclinationibus ſæpiùs ante Altare & Celebrantem peragendis, ſuis in locis habetur. Porrò dictæ inclinationes graviter & modeſtè fiant, ſervata inter eas proportione.

9. Quoad converſiones ad Altare vix certa regula poteſt aſſignari propter varias Eccleſiarum conſuetudines, & ſitus. Convenit tamen ut omnes ſe convertant ad illud, ab Oratione Dominica ante initium Horarum uſque ad *Alleluja*, vel *Laus tibi Domine* incluſivè. Item a Capitulis Veſperarum & Laudum uſque ad *Deo gratias* incluſivè. Quòd ſi Hymni incipiant per invocationem, ſtant converſi ad initium hujuſmodi Hymnorum.

Ad

Ad alias verò Horas converſi remanent a Capitulo uſque ad finem Officii. Prætereà ad Preces, Orationes, & Verſus qui dicuntur poſt Hymnos Veſperarum ac Laudum, ad Pſalmum *Venite exultemus...* a Verſiculo cujuſque Nocturni uſque ad finem Benedictionis incluſivè, ad Primam a ℣. *Pretioſa in conſpectu Domini* uſque ad finem; & tandem ad Antiphonas finales, Verſus, & Orationes Beatæ Mariæ Virginis cum *Pater*, *Ave*, & *Credo*. Advertatur autem ut in his converſionibus uniformitas ab omnibus ſervetur.

10. Hebdomadarius ac Univerſi de Choro ſignabunt ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus initio omnium Horarum ad hæc verba *Deus in adjutorium*, non autem quando repetuntur in Pſalmis, aut Precibus Ferialibus, nec quando ter dicuntur poſt Martyrologium. Item ad Antiphonam *Afferte Domino* pro inito Matutini Epiphaniæ *, & in principio cujuslibet Horæ ultimi tridui Hebdomadæ Majoris. Inſuper ad *Adjutorium noſtrum* ante Confeſſionem in Prima & Completorio, ad *Indulgentiam*, ad *Dominus nos benedicat* in fine Primæ, & ad *Benedicat, & cuſtodiat nos* in fine Completori. Similiter ad Cantica Evangelica *Benedictus*, *Magnificat*, & *Nunc dimittis*.

11. Gratìs autem, ac præter Rubricam ſignant ſe nonnulli ad *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis*, & in fine ejuſdem Pſalmi ad *Benedicat nos Deus*, *Deus noſter*. Item ad *Deus in Nomine tuo ſalvum me fac*, necnon *Adjutorium noſtrum*, & *Benedicite* in Officio Primæ. Similiter ad verba illa *Declinate a me maligni*, *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, *Dominus det nobis ſuam pacem*, *Divinum auxilium... Benedictio tua ſit ſuper nos ſemper* in Oratione Completorii *Viſita quæſumus....*, aliaque ſimilia, de quibus nulla apud Rubriciſtas fit mentio.

12 Ri-

12. Ritus verò ſignandi ſe ſigno Crucis iſte eſt. Siniſtra manus extenſa cum digitis & pollice ſimùl junctis infrà pectus tenenda eſt, ità ut ſit extra Crucis limites: dextera autem erecta & extenſa, ejus digitis ſimùl etiam cum pollice junctis, a fronte ad pectus, & ab humero ſiniſtro ad dexterum, ſignum Crucis efformare debet, non inflectendo digitos, nec caput inclinando; & poſt ſignum formatum dextera manus nec pectori, nec ori admovenda eſt, ſed ſtatim ſub Caputio reponenda. Cùm autem Celebrans Pluviali indutus ſe aut aliquid aliud ſignat, Miniſter a dexteris ejus Pluvialis fimbriam aliquantulùm elevat; & cùm intonat *Deus in adjutorium meum intende*, ad unumquodque verbum dextera tangit primò frontem, deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum, ultimò dexterum, & in fine jungit manus ante pectus.

13. In principio Matutini ſignatur os ad *Domine labia mea aperies* pollice dextero, reliqua manu mediocriter extenſa, ſiniſtra verò pectori admota. Similiter ſignatur pectus eodem pollice dextero, initio Completorii ad hæc verba *Converte nos Deus ſalutaris noſter*.

14. Ad Antiphonas, Pſalmos, Lectiones, Reſponſoria, Benedictionem ſecundam & tertiam cujuslibet Nocturni, necnon ad Martyrologium Chorus tecto capite aſſidebit, exceptis tamen excipiendis, uti pluries dictum eſt. Quoties autem ſtandum, vel genuflectendum, aut inclinandum erit, caput omninò diſcooperietur. Celebrans ac Miniſtri parati ſolo Amictu & nunquam Pileolo operientur. Cæremoniarius verò, & Acolythi detecto penitùs capite ſtabunt in præſentia Celebrantis: quod pariter Clerici ſemper & ubique obſervabunt. Advertat autem qui e Sede ſua ſurgit, ut caput priùs detegat, deinde aſſurgat, & e converſo priùs ſedeat, poſteà caput operiat. Poſtremò percutiendum ſibi pectus

Digitized by Google

pectus ter ad *Agnus Dei* in Litaniis, ſicut in Miſſa, & ad *Mea culpa* in Confeſſione ad Primam & Completorium.

CAPUT XIII.

De Decr. Sac. Rit. Congr. Divinum concernentibus Officium.

1. AD Horas omnes, quæ recitantur in Choro, ardeant in Altari duæ ſaltem Candelæ. Sac.Congr. 7. Aug. 1595.

2. Completo Officio poteſt recitari aliquis Pſalmus, Oratio, vel Collecta; quia hoc non eſt Officio addere. Sac. Congr. 12. Jan. 1600.

3. Cùm Antiphonæ præintonantur, omnes ab utroque latere Chori ſurgere debent juxta Cæremoniale, nonobſtante conſuetudine. Sac. Congr. 23. Mart. 1602.

4. Qui ſunt de gremio alicujus Eccleſiæ debent recitare Officium quod in Choro dicitur, licet morentur alibi. S. R. C. 30. Aug. 1602.

5. Tertiarii S. Franciſci degentes in Sæculo, qui fuerint de gremio alicujus Eccleſiæ, & illius Choro obligati, debent recitare Officia particularia illius Eccleſiæ; ſecùs autem, ſi ſint de gremio, & nullatenùs Choro intervenire debuerint. S. R. C. 28. Sept. 1602.

6. De Sancto cujus habetur Reliquia inſignis, fieri poteſt Officium duplex minus in ejus Feſto. S. R. C. 23. Nov. 1602.

7. Oratio, quæ dicitur in Feſto SS. Fabiani & Sebaſtiani, non eſt alteranda; ita ut de S. Sebaſtiano tantùm recitetur, etiam in propria Eccleſia eidem dicata. S. R. C. 6. Sept. 1603.

8. Regularibus non convenit continuò Officium & Horas Canonicas cum Canonicis & Clericis Sæcularibus in Choro decantare. S. R. C. 15. Nov. 1603.

9. Non eſt relinquendum Officium debitum Brevia-

viarii pro Officio devotionis. S. R. C. 29. Novembris 1603.

10. Dedicationis Feſtum extra actum Conſecrationis non poteſt ampliùs mutari ab Epiſcopo, inconſulta Sede Apoſtolica. S. R. C. 16. Oct. 1604.

11. Si Eccleſiæ Dedicatio accidat in Feſto Nativitatis B. M. V., Officium fieri debet de Dedicatione, & duæ Miſſæ poſſunt eadem die cantari. Infrà Octavam verò fiat de Digniori. S. R. C. ut ſupra.

12. Epiſcopus Regularis debet recitare Officium juxta ritum ſuæ Diœceſis, non verò ſui Ordinis. S. R. C. 11. Jun. 1605.

13. Ubi viget conſuetudo immemorabilis, poteſt recitari Officium de Communi pro Sanctis etiam non Canonizatis. S. R. C. ut ſupra.

14. Magiſter Cæremoniarum non poteſt alterare, ſeu mutare conſuetudinem circa præintonationem Antiphonarum ad Veſperas. S. R. C. 26. April. 1607.

15. Chorus univerſus ad Primam & Completorium debet replicare *Miſereatur* & *Confiteor*. S. R. C. 19. Maii 1607.

16. Conſuetudo, ut Hebdomadarius ad Veſperas capiat Pluviale ad Capitulum, & non a principio Veſperarum, ſervari poteſt. S. R. C. 1. Sept. 1607.

17. Antiphonæ Feriales ad Laudes ante Nativitatem omitti poſſunt in Feſto Solemniter celebrato, ut contingit in Feſto S. Thomæ: Sed Antiphonæ Majores ante Nativitatem, etiam in Feſtis Solemnioribus dicendæ ſunt ad *Magnificat*. S. R. C. 17. Novem. 1607.

18. Uſus Miſſalis & Breviarii Romani ſemel introductus in Eccleſia, quæ habebat particulare Miſſale & Breviarium, confirmandus eſt, nec licet redire ad uſum antiqui Miſſalis & Breviarii. S. R. C. 15. Mart. 1608.

19. Uſus ſemel introductus & receptus in Eccleſia celebrandi Feſtum ſolemniter de aliquo Feſto tamquam de Patro-

Patrono, continuandus eſt, licet non ſit de antiquis Patronis Eccleſiæ, vel in Breviario Romano de eo non fiat Officium. S. R. C. ut ſupra.

20. Duplex Officium eſt recitandum de Sancto, cujus habetur inſignis Reliquia, ubi aſſervatur, vel ſit Corpus integrum, aut magna pars ejuſdem, aut caput, & ſit ex Sanctis approbatis, & poſitis in Martyrologio Romano. S. R. C. 3. Junii 1617.

21. Sub nomine Feſti novem Lectionum, venit etiam Dominica. S. R. C. 12. Mart. 1618.

22. De Reliquia inſigni Officium eſt ſolùm recitandum in Eccleſia ubi aſſervatur; nec aliæ Eccleſiæ debent ſe uniformare cum Cathedrali, ſeu Matrice. S. R. C. 12. Maii 1618.

23. Commemoratio de Cruce ordinaria ſufficit in Eccleſiis dicatis in honorem SS. Crucis, pro Commemoratione Tituli Eccleſiæ. S. R. C. 30. Mart. 1621.

24. Feſtum S. Joſeph eſt de præcepto ubique. S. R. C. 8. Maii 1621. Ita pariter Feſtum S. Annæ. S. R. C. 24. April. 1622.

25. Octavarium Romanum a Gavanto pro celebrandis cum Octava Feſtivitatibus jam pridem elaboratum, ac referente Card. Bellarmino, a Sac. Rit. Congr. non ſemel laudatum, probatumque, ut recitari poſſit; ne diutiùs Religioſi Viri deſiderarent, eadem Congr. poſſe imprimi ſeorſum a Breviario, unanimi Illuſt. Patrum conſenſu decrevit die 26. Febr. 1622.

26. Si Dies Octava occurrat in Dominicis primæ vel ſecundæ Claſſis, in quibus de Octava facienda eſt tantùm Commemoratio, Veſperæ dicendæ ſunt (niſi concurrant cum alio præcedenti) de Officio ſequenti cum Commemoratione Diei Octavæ, ut in primis Veſperis Feſti; quia cùm Dies Octava non habeat Officium in die ſequenti, nec etiam convenit habere primas Veſperas in prece-

denti, ut in ſimili caſu dicitur de concurrentia Officii num. 10. S. R. C. 9. Nov. 1622.

27. Symbolum S. Athanaſii, quod dicitur ad Primam, laudabiliùs in Choro recitatur ſtando. S. R. C. 23. Decembr. 1624.

28. Prima Sedes in Choro conceditur Hebdomadario parato tantùm. S. R. C. 22. Aug. 1626.

29. Non poſſunt Locorum Ordinarii tam Sæculares quàm Regulares addere Kalendariis etiam propriis Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ a Breviarii Romani Rubricis, vel a S. R. C. ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur; neque propria auctoritate, & quovis prætextu poſſunt mutare ritum, qui habetur in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere conceſſa Officia de loco in locum. S.R.C. 8. April. 1628.

30. Inſignes Reliquiæ, quarum ratione recitari poteſt Officium ſub ritu duplici minori, ſunt Caput, Brachium, Crus, aut illa pars Corporis, in qua paſſus eſt Martyr; modò ſit integra & non parva, & legitimè ab Ordinariis approbata. S. R. C. ut ſupra.

31. Celebrari non poteſt per totam Civitatem vel Diœceſim, etiam de cujuſcumque Ordinarii auctoritate, Feſtum cum Officio de Sancto, eò quòd in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, vel Abbatialis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in Eccleſia ipſius Sancti Titularis, ſeu ubi aſſervatur Corpus, aut inſignis Reliquia, & non alibi. S. R. C. ut ſupra.

32. De Sanctis Epiſcopis Locorum, Martyribus, Civibus, & aliis Feſtis, de quibus in Kalendario Romano, ſeu Rubricis Breviarii nihil habetur, uti etiam de Beatis nondùm canonizatis, nihil propria auctoritate ſtatuatur, ſed omninò conſulatur S. R. C. ut ſupra.

33. Officia non approbata damnantur. S. R. C. ut ſupra.

34. Fe-

34. Feſtum Patroni Principalis Loci tenentur omnes cum Officio de eodem etiam Regulares celebrare; ſed iſti ad Octavam non tenentur. S. R. C. 27. Maii 1628.

35. De Titulis Altarium, niſi ſint in Kalendario Romano, vel proprio, nullum recitetur Officium. S.R.C. 28. Aug. 1628.

36. Solemniter conſueviſſe fieri Officium, de quo Rub. Brev. Rom. ſub tit. 1., ſignificat Feſtum Populi, aut Cleri cum pompa exteriori, apparatu, concurſu &c. S.R.C. 28. Oct. 1628.

37. Officia de Epiſcopis Sanctis Locorum poſſunt continuari de Communi, ſi conſtaret illos fuiſſe canonizatos, vel per tempus immemorabile celebratum fuiſſe de illis Officium & Miſſam. Sac. Rit. Congr. ut ſupra.

38. De Sancto Canonizato non poteſt fieri Officium extra propriam Eccleſiam ſine novo Decreto. S.R.C. 9. Dec. 1628.

39. Moniales in Confiteor ad Primam & Completorium, ne dicant *Tibi Mater*, nec *Vobis Sorores*, ſed ut in Breviario. S. R. C. 18. Aug. 1629.

40. Feſtum Dedicationis aliarum Eccleſiarum a Cathedrali celebrandum eſt tantùm in ea Eccleſia, ubi conſecrationis dies peragitur. Non poteſt tamen celebrari Feſtum Conſecrationis illius Eccleſiæ, quam certum eſt non fuiſſe conſecratam, vel dubium eſt; Si autem conſtet de Conſecratione, & ignoretur Dies, poteſt Ordinarius aſſignare diem pro Feſti prædicti celebratione. S. R. C. ut ſupra.

41. Sacra Rituum Congregatio annuente Urbano VIII. in electione Patronorum mandavit infraſcripta in poſterum ſervari debere, declarans quòd aliter facta electio nulla ſit ipſo jure. Primò quòd eligi poſſint in Patronos ii ſolùm qui ab Eccleſia univerſali titulo Sanctorum

coluntur, non autem Beatificati dumtaxat. Secundò quòd de Patrono Civitatis electio fieri debeat per ſecreta ſuffragia a Populo, mediante Concilio Generali Civitatis, vel Loci, non autem ab Officialibus ſolùm, & quòd accedere debeat conſenſus Epiſcopi & Cleri illius Loci; idemque ſervari debeat in Patrono Regni, qui pariter eligi debet per ſecreta ſuffragia a Populo ſingularum Civitatum Provinciæ. Et quòd Repræſentantibus Regnum, Civitatem, Provinciam nulla competat facultas eligendi Patronos, niſi ad hoc habeant ſpeciale mandatum, & ulteriùs conveniat conſenſus Epiſcopi, & Cleri dictarum Civitatum. Tertiò quòd cauſæ electionis novorum Patronorum debeant in Sac. Congreg. deduci, & ab ea examinari, ac demùm cauſa cognita, ab eadem Congr. approbari & confirmari. S. R. C. 23. Mart. 1630.

42. In Eccleſia SS. Nazarii & Celſi, transferendum eſt Feſtum SS. Victoris & Innocentii in primam diem non impeditam (poſt Feſtum SS. Nazarii & Celſi) ſub ritu ſemiduplici, ſed cum Evangelio & Oratione eorumdem, in qua omittuntur Socii. S. R. C. 12. Februarii 1633.

43. De Principaliori dumtaxat Patrono celebrandum eſt Feſtum cum Octava. S. R. C. 28. Mart. 1639.

44. De Protectore Principali Civitatis debet celebrari Officium cum Octava per Civitatem & Diœceſim, ſub ritu duplici primæ Claſſis tam apud Sæculares, quàm apud Regulares utriuſque ſexus, ſed iſti ſine Octava. S. R. C. 23. Maii 1639.

45. Dum aliqua Legata reliquuntur cum onere celebrandi Officium alicujus Sancti ſub altiori ritu, quàm qui a Sede Apoſtolica ei præſcribitur, licitum erit hujuſmodi Officia ſolemniùs celebrare quoad pompam extrinſecam, non autem quoad Ritum Eccleſiaſticum. S. R. C. 14. Maii 1644.

46. Ad

46. Ad Hebdomadarium in Matutinis & Veſperis ſpectat primam Antiphonam intonare, Initia Hymnorum, Antiphonas ad *Benedictus* & *Magnificat*: Cantores verò tenentur eidem facere præintonationem, dum eſt paratus. S. R. C. 5. Jul. 1653.

47. Feſtum quod in aliqua Eccleſia celebratur ratione Corporis, vel inſignis Reliquiæ, non habet Octavam, niſi ſpecialiter concedatur a Sede Apoſtolica. S. R. C. 14. Aug. 1653.

48. Feſtum SS. Patronorum principalium Civitatis a Clero Sæculari Civitatiſmet celebrandum eſt cum Octava; a Regularibus verò ſine Octava. In Diœceſi autem, ubi non adſit proprius Loci Patronus, ſimiliter cum Octava: at ubi colitur Feſtum peculiaris Patroni, nihil de Patrono Civitatis, vel attenta conſuetudine ſub duplici majori tantùm ſine Octava. S. R. C. 28. Septembris 1658.

49. Epiſcopi Regulares, qui ex Indulto Sedis Apoſtolicæ gaudent Privilegiis ſuæ Religionis, de quibus ſunt capaces pro eorum conditione, non poſſunt de Beatis ſuæ Religionis recitare Officium, & in propriis Cathedralibus Miſſam celebrare, & Altare Beatis prædictis erigere. S. R. C. 17. April. 1660.

50. Epiſcopus non poteſt ſtatuere diem Dominicam ad celebrandum Feſtum alicujus Sancti Martyris, de quo aſſervatur Reliquia inſignis in aliqua Eccleſia, nec de eo celebrari debere Officium & Miſſam ipſa die ſui Martyrii, niſi Reliquia ſit de Sancto deſcripto in Martyrologio Romano, & niſi conſtet de identitate Reliquiæ ejuſdem Sancti. Tibia autem non eſt Reliquia inſignis. S. R. C. 3. Jan. 1662.

51. Regulares tenentur quidem celebrare Feſtum de Dedicatione Eccleſiæ Cathedralis, ſed ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, & ſine Octava. Sac. Rit. Cong. 2. April. 1662.

52. An-

Digitized by Google

52. Anniverſaria dies Dedicationis Eccleſiæ, dum Epiſcopus in Conſecratione ejuſdem non elegerit diem, ſed conſecravit Eccleſiam die &c. Menſe &c. debet celebrari in futurum die, quo hactenùs in præteritum conſuetum eſt celebrari. S. R.C. 20. Nov. 1662.

53. Hebdomadarius in decantandis in Choro Horis Canonicis, & ſua Officia peragens, non debet uti Stola. S. R. C. 4. Aug. 1663.

54. Dedicatio Baſilicæ SS. Salvatoris extra almam Urbem non habet integras ſecundas Veſperas, ſi concurrat cum ſequenti Officio duplici minori. S. R. C. 12. Jul. 1664.

55. Recitantes ex legitima conceſſione Officium SS. Corporis Chriſti in qualibet Feria quinta per Annum non impedita Feſto novem Lectionum, illud perſolvere debent, ut in die ejuſdem Solemnitatis: Miſſam verò debent celebrare, quæ eſt Votiva de SS. Sacramento. S.R.C. ut ſupra.

56. Secundæ Veſperæ de Die Octava non privilegiata concurrentes cum primis Veſperis Feſti duplicis debent dimidiari, & fieri a Capitulo de Feſto ſequenti. S. R. C. ut ſupra.

57. Lectiones primi Nocturni in Officio de Feſto duplici majori, ſumendæ ſunt ex ejus Communi, ſi ex conceſſione non habentur propriæ. S.R.C. ut ſupra.

58. In Officiis Sanctorum conceſſis Regularibus infra Annum, putà Conceptionis B.M.V. Ordini S. Franciſci, ſicut etiam in Officiis Translationum &c. octava Benedictio erit *Cujus Feſtum colimus &c.* S. R. C. 13. Febr. 1666.

59. Nulla diſparitas adeſt inter translationem Feſtorum Apoſtolorum & illam Evangeliſtarum, ſed occaſione dictæ translationis faciendum eſt Officium, quod priùs in Kalendario proponitur. S. R. C. 18. Sept. 1666.

60. Ra-

60. Ratione communicationis Privilegiorum non poteſt recitari peculiare Officium conceſſum illis Ordinibus Regularibus, de quorum Privilegiis facta fuit communicatio. S. R. C. 15. Sept. 1668.

61. Si Feſtum Dolorum B.M.V. occurrat in aliud Feſtum altioris ritus, transferatur in Sabbatum ſequens; ſi verò concurrat cum Feſto Annuntiationis ejuſdem B. M. V., Veſperæ dicuntur de Annuntiatione ſine Commemoratione de Septem Doloribus. S. R. C. 3. Sept. 1672.

62. Quamvis S. R. C. die 18. Julii 1671. annuente Clemente X. die 16. Sept. ejuſdem anni, ad dubium an de Sanctis ad libitum fieri poſſit translatio, ſicut fit de aliis Sanctis, qui non ſunt ad libitum, ſimiliter translatis, reſponderit affirmativè: nihilominùs eadem Sac. Congr. habita die 2. Decemb. currentis cenſuit, prædicto Decreto non obſtante, in futurum Officia Sanctorum ad libitum non eſſe transferenda, quando dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti Dominico, aut aliquo die Feſtorum mobilium. S. R. C. 20. Decem. 1673.

63. Habetur in aliquibus Eccleſiis Reliquia inſignis alicujus Sancti, qui cum Socio eſt in corpore Breviarii, & uterque habet Feſti Simplicis ritum, veluti contingit in Feſto SS. Gervaſii & Protaſii, quorum duæ Lectiones vitam, amborumque mortem enarrant; in quo caſu ſi Lectiones disjungi commodè poſſunt, legenda eſt illa de Sancto, cujus Officium fit duplex propter Reliquiam inſignem in ſecundo Nocturno; & hæc erit quarta Lectio: quinta & ſexta ſumendæ ſunt de Communi, altera verò Lectio disjuncta poni poterit pro nona Lectione in tertio Nocturno tanquam de Sancto Simplici de quo fieri debet etiam Commemoratio ad Laudes. Si verò non poſſunt commodè disjungi, utraque ponenda eſt in ſecundo Nocturno pro quarta & quinta Lectione; & ſexta legen-

da

da eſt de Communi, in quo caſu Lectio nona pro Simplici repetenda non eſt: fieri tamen debet de eo Commemoratio. S. R. C. 16. Jan. 1677.

64. Feſtum Duplex occurrens ante Octavam non Privilegiatam, ſi eſt transferendum, transferri debet in diem infra Octavam. S. R. C. 30. Sept. 1679.

65. Regulares propter communicationem, ſeu participationem Privilegiorum Mendicantibus, ſive aliis Religionibus conceſſam, recitare non poſſunt Officia ſpecialiter conceſſa alicui Religioni, ut de Corpore Chriſti &c. & quatenùs extenſio petatur, omninò quoad tempus Adventus & Quadrageſimæ non eſt concedenda. S. R. C. ut ſupra.

66. Cùm in omnibus Dominiis Imperio ſubjectis, recitetur ex Indulto Apoſtolico Officium proprium SS. Angelorum Cuſtodum cum Octava Menſe Septembri, non eſt de eis recitandum etiam ſecunda die Octobris. S. R. C. ut ſuprà.

67. Feſtum Semiduplex incidens in Feſto Duplici infra Octavam non privilegiatam transferendum eſt in diem immediatè ſequentem Feſto novem Lectionum non impeditam, ut fit de Semiduplici occurrente in Dominica infra Octavam non privilegiatam. S. R. C. ut ſupra.

68. Communicatio etiam ampliſſima Privilegiorum unius Religionis alteri facta, non ſe extendit ad Officia Sanctorum. S. R. C. 16. Decem. 1679.

69. Occurrentibus eodem die tribus Officiis ejuſdem ritus, quorum unum eſt de Ordine, aliud de Kalendario Eccleſiæ Univerſalis, & aliud de aliquo Sancto, cujus habetur Reliquia inſignis in propria Eccleſia, faciendum eſt Officium de Digniori, ſeu Solemniori; quæ verò ſunt minoris Dignitatis, ſeu Solemnitatis transferenda ſunt. S. R. C. 7. Dec. 1680.

70. Of-

70. Officium particulare alicujus Diœceſis, vel Religionis, quod occurrit die 25. Febr. eſt transferendum in Anno Biſſextili ad primam diem non impeditam Officio novem Lectionum (niſi eſſet Feſtum Tituli, ſeu Patroni Eccleſiæ) ut fiat Officium S. Matthiæ Apoſtoli: & Officium S. Bartholomæi Apoſtoli, & S. Ludovici Regis ſunt aſſignata Romæ diebus 25. & 26. Auguſti. S.R.C. ut ſupra.

71. Occurrente Officio novem Lectionum plurium Sanctarum Virginum, & Martyrum cum alio Simplici ejuſdem qualitatis, ſervanda eſt pro Commemoratione Simplicis Antiphona *Iſtarum eſt enim Regnum....* ut in Feſto SS. Perpetuæ & Felicitatis. S. R. C. ut ſuprà.

72. Dies Octavarum Aſſumptionis, Nativitatis, aliarumque Feſtivitatum B. M. V. Octavam habentium, concurrentes cum Officio Duplici minori habere debent integras Veſperas, ut videtur diſponere Rubrica ex ordine hujus Sac. Cong. ultimò poſita in Officio Octavæ Conceptionis, ſi concurrat cum S. Lucia. S. R. C. 1. Mart. 1681.

73. Si eadem die occurrant duo Officia, quorum unum ſit particulare Ordinis, alterum ſit deſcriptum in Kalendario Eccleſiæ Univerſalis, & utrumque ſine Solemnitate, cum eodem ritu transferendum eſt Officium de Kalendario, & recitandum eſt Officium Sancti proprii. S. R. C. ut ſupra.

74. Officia conceſſa ſemel in Hebdomada, ut de Conceptione B. M. V. in Sabbato, vel de SS. Corpore Chriſti in Feria quinta, non impeditis ab Officio novem Lectionum occurrente, ſeu tranſlato, non ſunt celebranda in Adventu, Quadrageſima, Quatuor Temporibus & in Vigiliis. S. R. C. ut ſupra.

75. Dies Octava cujuslibet Feſti, quia non transfertur, excludit & transferri facit quodlibet Feſtum Du-

 plex

plex ſive majus, ſive minus, ſoliſque cedit Feſtis Solemnibus primæ vel ſecundæ Claſſis, niſi ſit Octava privilegiata, qualis eſt Octava Epiphaniæ. S. R. C. ut ſupra.

76. Quotieſcumque in Sabbato ante Dominicam privilegiatam Officium fuerit de ſeptima die infrà aliquam Octavam, Pſalmi Veſperarum erunt de Pſalterio, Capitulum de Dominica ſequenti cum Commemoratione ſola de die Octava. S. R. C. ut ſupra.

77. Officia Sanctorum ad libitum, etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum alicujus Religionis, vel Diœceſis ex vi Kalendarii proprii a Sede Apoſtolica approbati, quamvis ſub ritu ſemiduplici celebrandis, non ſunt transferenda, ſed omitti debent. Si autem occurrant eodem die in quo aliàs aliquod Feſtum translatum poni deberet, tunc liberum erit eadem Officia ad libitum recitare, & Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre; prout etiam omiſſo Officio, quod ſemel per Hebdomadam, aut per Menſem ex Apoſtolico Indulto recitari conceſſum eſt, Officium ad libitum, eodem die occurrens recitari poterit. Et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, ſervari mandavit S. R. C. 24. Jan. 1682.

78. Si Officium ad libitum non potuerit celebrari, & habuerit etiam ritum ſimplicem de præcepto, eo anno non omittatur, ſed celebretur ritu ſimplici. S.R.C. 13. Jun. 1682.

79. Religioſi tenentur celebrare ſub ritu duplici primæ claſſis cum Octava Feſtum tam de Dedicatione, quàm de Titulari Eccleſiæ illius Conventus, in quo morantur; & ſub eodem ritu duplici primæ Claſſis tenentur recitare de Patrono principali Loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis tantùm, ad Octavam autem non tenentur juxtà pluries reſoluta. De aliis autem Patronis

nis minùs principalibus non tenentur recitare, niſi ſint deſcripti in Kalendario Romano, vel in dictorum Religioſorum proprio. Cæterùm de Officiis, quæ ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel concedentur recitanda ad libitum a toto Clero tam Sæculari quàm Regulari utriuſque Sexus in aliquo Regno, Provincia, Diœceſi, vel Loco, in quibus dicti Religioſi morantur, poſſunt quidem ad libitum de ipſis recitare; ſed ſi aliquod ipſorum occurrat in die in eorum Kalendario impedita Feſto novem Lectionum, debent illud ad libitum omittere & recitare de Sancto in eorum Kalendario occurrente, ad formam Decreti declarativi alterius Decreti de Sanctis ad libitum non transferendis emanati die 24. Jan. 1682. S. R. C. ut ſupra.

80. In repoſitione duorum, vel plurium Feſtorum eundem ritum habentium, & diverſo die occurrentium, attendatur prioritas translationis, niſi attendenda ſit major Dignitas, quæ attendi debet in illis tantùm Feſtis, quæ exprimuntur in Rubricis Generalibus de Translatione Feſtorum num. 7. & de Concurrentia Officiorum ſub num. 2. ab illis verbis: *Inter Feſta æqualis ritus &c.* S.R.C. ut ſupra.

81. Quando contingit transferri Feſtum alicujus Sancti Confeſſoris a die ſui Obitus in diem proximè ſequentem, ſi fiat a Capitulo de ipſo, tunc in primis ſuis Veſperis dicitur in Hymno *Meruit beatas ſcandere ſedes*; & in reliquo Officio diei ſequentis debet continuari idem Verſus. S. R. C. ut ſupra.

82. Dies Natalitii ii omnes habendi ſunt, qui licet verè non ſint Dies Obitus, tamen ex Decreto Apoſtolico aſſignati ſunt Feſtivitati alicujus Sancti, veluti fixi, & veluti propria eorum Sedes. S. R. C. 28. Novemb. 1682.

83. Circa dubium Decreti ſub die 24. Jan. 1682.

 ema-

emanati, in quo habetur ut Officia Sanctorum ad libitum etiam ſub ritu Duplici in diebus Dominicis & Octavis occurrentia non poſſint transferri, ſed omitti debeant, quæſitum fuit: An illa verba *In Octavis* intelligi debeant de die proprio Octavæ, vel de tota Octava, & an de qualibet Octava, vel ſaltem de Octavis privilegiatis. Sac. Rit. Cong. reſpondit verba illa intelligenda eſſe de tota Octava, & de quacumque Octava, 28. Nov. 1682.

84. Ubi habetur quod prætermiſſo Officio ſemel in Hebdomada, vel in Menſe ex Indulto Apoſtolico recitando, recitari poſſit Officium ad libitum eadem die occurrens, quæſitum fuit an illud verbum *Prætermiſſo* intelligi debeat de intermiſſione illius diei quo occurrit, vel prætermittendum ſit omninò infra totum illum Menſem; & reſponſum fuit conſideranda eſſe verba Indulti Apoſtolici, eaque ſervanda, prout ſonant. S. R. C. ut ſupra.

85. Quando transfertur Officium Patriarchæ S. Joſephi & Annuntiationis B. M. V. ambo ſecundæ Claſſis, quocumque in contrarium non obſtante, priùs debet transferri, & recitari Officium de Annuntiatione, & poſteà de S. Joſepho. S. R. C. ut ſupra, & 14. Jun. 1692.

86. Regulares non poſſunt uti Kalendario Diœceſano, tenentur tamen ad recitationem Officii Patroni principalis Loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis; ſed ad eorumdem Octavas celebrandas non tenentur. S.R.C. 20. Mart. 1683.

87. Regulares poſſunt & debent recitare Officia ad petitionem Regum, & Principum recitari conceſſa in aliquibus Regnis, Provinciis, Ditionibus &c. a toto Clero tam Sæculari, quàm Regulari. S. R. C. ut ſupra.

88. Regulares tenentur celebrare ſub ritu Duplici primæ Claſſis Feſtum de Patrono principali Loci, ac Titularis Eccleſiæ Cathedralis, Patroni principalis Regni,

gni, Provinciæ, ſed ad Octavam non tenentur. S.R.C. ut ſupra.

89. In occurrentia aliquorum Officiorum, quæ recitari debent in aliquibus Regnis cum propriis Kalendariis Ordinis Regularis, ſervanda eſt Rubrica de Translatione Feſtorum in diſpari ritu, vel Dignitate. S.R.C. ut ſupra.

90. Si Officia quæ recitari debent in aliquibus Regnis ſint ejuſdem ritus & dignitatis, an ſit præferendum Officium Loci Officio in proprio Religionis Kalendario deſcripto? Reſponſum fuit præferendum eſſe Officium, quod cum majori Solemnitate & Populi concurſu celebratur, ad formam Rubricæ de Translatione Feſtorum num. *6.* S. R. C. ut ſupra.

91. Quando aliqua ex Officiis conceſſa ſunt recitanda in diebus Dominicis, ſi aliqua ex dictis Dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris ritus vel Dignitatis, in tali caſu dictum Officium ex ſuprà conceſſis non poteſt transferri ad aliam Dominicam, vel ad primam diem non impeditam, ſed debet omitti (quando nempe dicta Officia ſunt particularia, non verò univerſalia, aut de præcepto, vel pro aliquo Dominio, ſeu Statu). S. R. C. ut ſupra.

92. Diſponente Sac. Rit. Cong. quòd Regulares ad Octavas Patroni principalis non tenentur, quæſitum fuit an ly *Non tenentur* excludat etiam libitum; itaut Regulares non poſſint de dicta Octava recitare, ſi velint? Reſponſum fuit excludi etiam libitum, & non poſſe, niſi id ſpecialiter ipſis Regularibus indultum fuerit ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, vel Conſtitutionis Religionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. S.R.C. ut ſupra.

93. An per Decreta de non transferendis, ſed omittendis Officiis Sanctorum ad libitum, quando Dies eorum Feſtivitatum ſunt impediti alio Officio novem Lectio-

ctionum de præcepto, nempe Diebus Dominicis, Octavis, & Natalitiis Sanctorum &c. comprehendantur, & revocentur conceſſiones Officiorum ad libitum ab Apoſtolica Sede peculiariter factæ & fixæ diebus, qui ab eadem jam alteri Feſto, & Officio novem Lectionum in Kalendario Romano erant aſſignati? Sac. Rit. Congr. reſpondit, prout aliàs in Neapolitana die 28. Novem. 1682. non comprehendi. Verùm ſi prædictum Officium eo die juxtà Rubricas recitari nequeat, tunc eo caſu non eſſe transferendum, ſed omitti debere. S. R. C. 2. Octob. 1683.

94. Quando pro aliquo Feſto, vel Officio conceſſo, reperiatur ritus Duplex abſque expreſſione majoris, vel minoris, conceſſio intelligenda eſt de duplici minori, etiamſi ad honorem Deiparæ facta fuerit. S. R. C. 2. Oct. & 20. Nov. 1683.

95. Dum dicenda ſunt Suffragia Sanctorum in Locis gaudentibus duobus vel pluribus Patronis principalibus, facienda eſt Commemoratio tantùm de Patrono principaliori. S. R. C. 20 Nov. 1683.

96. Concurrente Sancto antiquiori Patrono Civitatis cùm alio Sancto recentiori pariter Patrono, nulla habenda eſt ratio de poſterioritate Patronatus, unde Veſperæ dimidiandæ ſunt. S. R. C. 17. Jun. 1684.

97. In Feſto SS. Nominis B. M. V. (quod ab Univerſis celebrari debet Dominica infrà Octavam Nativitatis ejuſdem B. M. V.) non eſt facienda Commemoratio de dicta Nativitate, & in ſecundis Veſperis de Nativitate eadentibus in Sabbato, non eſt facienda Commemoratio de prædicto SS. Nomine. S. R. C. 23. Sept. 1684.

98. In occurſu non licet transferre Officium proprium Ordinis, vel Diœceſis, cauſa faciendi ad libitum aliud. S. R. C. 2. Decem. 1684.

99. In die infrà Octavam non poteſt fieri Officium de Sancto ad libitum. S. R. C. ut ſupra.

100. Si

100. Si Feſtum SS. Nominis B. M. V. quod ſub ritu duplici majori celebrari debet Dominica infrà Octavam Nativitatis ejuſdem, occurrerit in die Octava dictæ Nativitatis, Officium erit de dicto SS. Nomine, omiſſa in utriſque Veſperis & Laudibus Commemoratione de prædicta Octava Nativitatis. S. R. C. 15. Sept. 1685.

101. In concurrentia plurium Officiorum æqualis ritus, ſive Martyrum, vel Confeſſorum, aut Virginum, vel Viduarum, minimè attenditur dignitas eorum, ſed præferenda ſunt Feſta poſteriorum, ſi celebrentur pompa ſolemniori, aut ſint ex illis Feſtis, quæ celebrantur in propriis Locis & Eccleſiis; & hoc juxta verba Rubricæ de Concurrentia Officii tit. 15. num. 2. *Inter Feſta æqualis ritus*. S. R. C. 20. Jul. 1686.

102. In die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum poteſt fieri Officium de Feſto Duplici minori etiam translato, ſed Miſſæ privatæ ſunt celebrandæ de *Requiem*. S. R. C. 5. Oct. 1686.

103. Feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ præferri debet Feſto Dedicationis Eccleſiæ, & habere integras ſecundas Veſperas cum Commemoratione tantùm ſequentis. In feſto autem Dedicationis Veſperæ ſunt dimidiandæ, & a Capitulo debet fieri de Sanctis Patronis cum Commemoratione Dedicationis, ut in utroque caſu præſcribitur in Rubr. de Concurr. num. 2. Verſu *Inter Feſta*. Ità pariter infrà Octavas dictorum Feſtorum, nempè S. Joannis Baptiſtæ & Dedicationis &c. faciendum eſt Officium de Octava S. Joannis Baptiſtæ cum Commemoratione Octavarum Dedicationis & SS. Patronorum, ſeu Titularium Eccleſiæ, ut in Tabella de Concurr. *num.* 7. & Gavantus in Rubr. *Sect.* 3. *cap.* 8. *num.* 6. Et occurrente Die Octava Dedicationis cum Feſto Viſitationis B. M. V. faciendum eſt Officium de Octava, translato Officio Viſitationis. S. R. C. 21. Aug. 1688.

104. Oc-

104. Occurrente eodem die Feſto novem Lectionum Kalendarii particularis cum altero Feſto Kalendarii univerſalis, quæ tamen ſint ejuſdem ritus & dignitatis, priùs recitari debet de Feſto Kalendarii particularis, & poſteà univerſalis. S. R. C. 22. Jan. 1689.

105. In Patronorum, ſive Protectorum præcedentia, ſervandus eſt ordo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, & inter ordinem Hierarchicum attendenda eſt anterioritas in electione. S. R. C. 11. Mart. 1690.

106. Non licet aliquid ex devotione, ſeu auctoritate privata miſcere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujuſvis diei; quia in Officiis Sanctorum nihil eſt addendum, vel immutandum, niſi a Sancta Sede Apoſtolica conceſſum fuerit. S. R. C. 10. Junii 1690.

107. Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeu inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debent de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis ſeu Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus: De cæteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus a S. Sede non fuerit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſæ celebrari non debent, nonobſtante quòd ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſia aſſerventur; quibus tamen ab Ordinariis Locorum approbatis, debita Fidelium veneratio (prout hactenùs ſervatum eſt) exhibeatur, ſed abſque Officio & Miſſa, ſub pœnis de non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione S. Pii V. contentis. S. R. C. 11. Aug. 1691. in Decreto Generali àpprob. Innoc. XII.

108. Quæcumque dies Octava B. M. V. debet habere integras utraſque Veſperas in concurrentia cum Officio Duplici minori. S. R. C. ut ſupra.

109. Of-

109. Officia ad libitum occurrentia infrà Octavas non privilegiatas, etiam particulares & propriæ Religionis omittenda ſunt. S. R. C. ut ſupra.

110. Ubi celebratur Feſtum SS. Gabrielis, vel Raphaelis Archangeli, ad octavam Benedictionem dicatur *Cujus Feſtum colimus*, non verò *Quorum Feſtum*.... S. R. C. 13. Sept. 1692.

111. Quæſitum fuit a Sac. Rit. Congr. declarari, ſi Officium Duplex Romanum de præcepto cadat in die, quo fit Officium de Sancto proprio alicujus Diœceſis, vel Religionis, & tale Officium propriam habeat Octavam, utrùm Romanum transferendum ſit poſt Octavam Officii proprii, vel de eo fieri infrà Octavam, & ei aſſignari dies fixus? Si Romanum ſit Semiduplex ad libitum, utrùm tranferri poſt Octavam, vel locus fixus infrà Octavam ei aſſignari poſſit? Si Romanum & proprium ſint ejuſdem Claſſis, & neutrum habeat Octavam, de quo fieri debeat Officium, de Romano, vel de proprio, ſi occurrat eodem die? Sac. autem Congr. reſpondit in occurrentia Officii Duplicis Kalendarii Romani cum Officio proprio habente Octavam, de eo (ſcilicet de Duplici Romano) fieri debere infrà Octavam prima die alio Feſto Duplici, vel Semiduplici non impedita, juxtà Rubr. 11. Brev. Rom. *de Oct. n.* 3. & 10. *de Translat. Feſtorum num.* 3. Quoad ſecundum, de Officio Semiduplici fieri debere die immediatè ſequenti, ſcilicet ſecunda die infrà eandam Octavam; quæ ſi fuerit alio Feſto Duplici, vel Semiduplici impedita, prædictum Officium transferendum eſſe poſt Octavam juxtà Rubr. 10. *de Translat. num.* 5. Neutrum tamen transferri debere in diem fixum, niſi aliter indultum fuerit a Sede Apoſtolica. Officia autem ad libitum ſive ſub ritu Semiduplici, ſive Duplici infrà dictam Octavam occurrentia non poſſe transferri, ſed debere omitti ex Decreto Generali de Of-

Digitized by Google

ficiis Sanctorum ad libitum non transferendis, edito ſub die 24. *Jan.* 1682. Si Officium Romanum & proprium ſint ejuſdem ritus, ſervari debere Rubr. 10. *de Tranſlat. Feſtorum num* 6. S. R. C. 10. Jan. 1693.

112. Quæſitum fuit an Officium Translationis Patroni, de quo fit, ut de Apoſtolo, & de quo ſit Duplex per Annum, præferri debeat alteri Duplici per Annum, & habere Veſperas integras in concurſu? Et reſponſum fuit exprimi caſum, & doceri de Indulto recitandi Officium Tranſlationis Patroni. S. R. C. ut ſupra.

113. Cùm præter Eccleſiæ propriæ Dedicationem fieri debeat Officium Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in Urbe cum Octava, extra Urbem ſine Octava, quæſitum fuit utrùm extra Urbem in Eccleſia, quæ propriam non habet Dedicationem fieri debeat Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis? Et reſponſum fuit negativè, & Regulares degentes in Civitate debere recitare Officium Dedicationis Cathedralis ſub ritu Duplici tantùm (ſecundæ Claſſis) ſine Octava, ex Decreto edito 1. *April.* 1662. extra Civitatem non teneri neque ad recitationem Officii in die Feſto, ut aliàs pluries. S. R. C. ut ſupra.

114. Quæſitum fuit ſi uno die occurrant plures Martyres, quorum Officium unum ſit Semiduplex, & aliud Simplex, utrùm in Veſperis pro Commemoratione Simplicis dicenda ſit Antiphona *Gaudent in Cœlis* de ſecundis Veſperis, ut exemplum eſt 16. Sept. & utrùm detur ibi regula, vel exceptio regulæ Rubr. *de Commem. num.* 8. Et reſponſum fuit ſervandam eſſe Rubricam 9. *de Commem. num.* 8. niſi aliter aſſignetur in propriis Locis, ut ibi docet eadem Rubrica. S. R. C. ut ſupra.

115. Utrùm in Officio Martyris, qui Sanguinem non fudit, ſemper pro ſecundo ℟. dicendum ſit *Domine prævenisti*, quæcumque occurrat Feria; vel tantùm dùm occurrit Feria ſexta? Et reſponſum fuit dicendum eſſe

℟. *Do-*

℟. *Domine prævenisti* in quocumque Officio Martyrum, qui perierunt non effuſo Sanguine. S. R. C. ut ſupra.

116. Occurrente in die Octava Sancti proprii Feſto Præſentationis B. M. V., transferendum eſt dictum Feſtum Præſentationis juxta *Rubr.* 10. *de Translat. Feſtorum num.* 2. & in Tabella *de occurrentia*. S. R. C. ut ſupra.

117. Tertiarii S. Franciſci degentes in Sæculo poſſunt uti Breviario Ordinis Minorum, & illius Kalendario conformari. S. R. C. 7. Aug. 1694.

118. Octava Omnium Sanctorum tanquam dignior præferenda eſt Octavæ Dedicationis Eccleſiæ. S.R.C. 5. Mart. 1795.

119. In Eccleſiis B. M. V. ſub quocumque Titulo, ſive Aſſumptionis, Conceptionis &c. dicatis, debet fieri Commemoratio de eadem tanquam de Titulari juxta Rubricas, etiamſi ejuſdem Officium parvum in Choro fuerit recitatum; & ſufficit conſueta Antiphona *Sancta Maria ſuccurre Miſeris*. S. R. C. 23. April. 1695.

120. Cùm nonnullorum non ritè ſenſum Generalis Rubricæ Brev: Rom. *tit.* 10. *num.* 7. *de Translat. Feſtorum* percipientium obrepſerit opinio, quòd de Feſto transferendo, quod poteſt in ſequentem diem immediatè transferri, ſit recitandum Officium ante alia æqualis ritus priùs translata, Sac. Rit. Congr. ſupradictam Generalem Rubricam omninò ſervandam, & quocumque alio Decreto in contrarium nonobſtante in caſu propoſito (ſervato ſemper ordine Kalendarii) Officium de primo translato priùs recitandum eſſe declaravit. Ità tamen, ut per hanc declarationem nihil penitùs circa Semiduplicia infra Octavas occurentia veniat immutandum, pro quibus prædictam Generalem Rubricam *tit.* 10. *num.* 5. pariter omninò ſervandam eſſe cenſuit, & ità ſervari mandavit S.R.C. 22. Decem. 1696.

121. Officium ſemel in Hebdomada conceſſum

recitari poteſt die Sabbati, ſi tota Hebdomada ſit impedita, & in tali caſu omittendum Officium B. M. V. in Sabbato. Prima item die Menſis non impedita Feſto Duplici vel Semiduplici, & in qua occurrit recitari Officium Defunctorum, poteſt recitari ſupradictum Officium ſemel in Hebdomada conceſſum, transferendo, vel etiam aliquando omittendo Officium Defunctorum. S.R.C. 27. April. 1697.

122. Conſuetudo 30. annorum non habet vim ad hoc ut continuari poſſit recitatio Officii de aliquo Sancto in Eccleſia, in qua aſſervatur ejus Corpus, niſi doceatur an ſit deſcriptus in Martyrologio Romano, & de ejus identitate conſtet. S. R. C. 5. Jul. 1698.

123. Quando in Menſe Novembri ſunt eadem die ponenda plura Initia Prophetarum, dicenda eſt tantùm unica Lectio. Item non poſſunt poni plura tribus Initiis Prophetarum unica die. S. R. C. ut ſupra.

124. ubi ſunt plura Officia habentia primas Lectiones proprias poſſunt omitti aliqua ex dictis Initiis Prophetarum, occurrente legitima cauſa. S.R.C. ut ſupra.

125. Commemoratio de S. Dominico ex conceſſione Clementis X. a Minoribus facienda, quando fit Officium de S. Franciſco, fieri debet tantùm in Officio S. Franciſci, quod ſemel in Menſe ab iiſdem recitatur, poſt alias Commemorationes. Et in Officiis per Annum ſemel in Menſe recitandis de SS. Bonaventura, Antonio Patavino, & Clara, non debet attendi ordo Dignitatis. S. R. C. 27. Sept. 1698.

126. Feſtum SS. Fabiani & Sebaſtiani unà ſimùl celebratur in illis Locis, in quibus S. Sebaſtianus eſt Patronus minùs Principalis. S. R. C. 22. Nov. 1698.

127. Feſta Duplicia & Semiduplicia translata præferenda ſunt Officiis per Annum ſemel in Hebdomada vel Menſe conceſſis. S. R. C. 7. Febr. 1699.

128. Offi-

128. Officium ſemel in Hebdomada conceſſum non poteſt recitari in Vigiliis ordinariis & Quatuor Temporibus, juxta alia Decreta jam emanata. S. R. C. ut ſupra.

129. Officium ſemel in Hebdomada conceſſum recitari valet in Sabbato, quando fieri deberet de S. Maria in Sabbato. S. R. C. ut ſupra.

130. Si in Dominica infrà Octavam Nativitatis B. M. V. in qua celebratur Feſtum SS. Nominis ejuſdem B. M. V. ſub ritu Duplici majori, occurrat alicubi Dies Octava, translato Feſto dicti SS. Nominis, agendum eſt de Die Octava in ipſa Dominica. S. R. C. 19. Jun. 1700.

131. Feſtum Semiduplex incidens in Dominicam infrà Octavam non privilegiatam, debet transferri immediatè in Feriam ſecundam non impeditam, licet ſit reponendum quodcumque Officium etiam ex ſolemnioribus. S. R. C. 19. Jul. 1700.

132. In Officio pro Sanctis Confeſſoribus quoties eiſdem fixa dies eſt aſſignata, quæ non eſt Dies obitus eorum, recitari non debet ad Hymnum *Meruit beatas ſcandere Sedes*. Quæ regula etiam ſervanda eſt, ſi transferatur Feſtum S. Confeſſoris ad diem, quæ non ſit ſui obitus. S. R. C. 11. Jun. 1701.

133. Declatio S. R. C. quòd ſcilicet Regulares non poſſint recitare Officium de Octava Patroni Principalis ſine ſpeciali Indulto ejuſdem Sac. Congr. comprehendit etiam Moniales. S. R. C. 11. Febr. 1702.

134. Moniales Ordinariis ſubjectæ non debent recitare Officium de Octava Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, nec poſſunt ad libitum, & tantùm tenentur recitare Officium prædictum ſub ritu Duplicis ſecundæ Claſſis ſine Octava. S. R. C. ut ſupra.

135. In occurrentia Feſti Kalendarii particularis, & Feſti Kalendarii univerſalis cum paritate ritus, & ſine excellentia majoris Dignitatis, faciendum eſt

eſt Officium de primo, translato ſecundo. S. R. C. 12. Julii 1704.

136. Non ſunt omittendæ in ſuffragiis Communibus Commemorationes SS. Salvatoris, nec SS. Crucis in eorum Eccleſiis Titularibus. S. R. C. 23. Aug. 1704.

137. Sub Nomine Patroni Loci, de quo juxta Bullam Gregorii XIII. Regulares tenentur recitare Officium ſub ritu Duplici primæ Claſſis, non venit Patronus Parochiæ, in qua commorantur. S. R. C. 14. Februarii 1705.

138. Officia Sanctorum ad libitum ſive Duplicia, ſive Semiduplicia occurrentia in die quo fieri debet Officium de Dominica anticipanda ante Septuageſimam, vel ante Dominicam 24. poſt Pentecoſten, non ſunt recitanda cum Commemoratione dictæ Dominicæ, neque tranſferenda, ſed potiùs omittenda. S. R. C. 4. April. 1705.

139. Cùm multis Religionibus, Congregationibus, ſive Eccleſiis, vel Nationibus conceſſum ſit ab Apoſtolica Sede, ut ſemel vel pluries in ſingulis Hebdomadis, vel Menſibus celebrentur varia Officia per Annum v. g. de SS. Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo Feſto Duplici, vel Semiduplici, hujuſmodi Indulta non habent locum in Feriis Adventus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Vigiliarum ſive cum jejunio, ſive abſque jejunio, nec in Feria ſecunda Rogationum, nec in alia Feria, in qua ſecundùm Rubricas ſit reponendum Officium Dominicæ. S. R. C. 20. Mart. 1706.

140. Dies impeditus Feſto Duplici vel Semiduplici pro Officiis ſemel in Hebdomada vel in Menſe recitandis, intelligitur etiam dies, in quo ponendum eſt Officium de Feſto Duplici, vel Semiduplici tranſlato; necnon dies Octavæ eſt dies impeditus reſpectu talium Officiorum. S. R. C. ut ſupra.

141. Si

141. Si Feſtum S. Marci Evangeliſtæ occurrat in Feriam ſecundam poſt Dominicam Reſurrectionis, & ſimiliter Feſtum SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi in Dominica in Albis, ac propterea juxta Rubricas utrumque ſit transferendum, priùs transferri & reponi debet Officium S. Marci. S. R. C. 17. Jul. 1706.

142. Non licet Regularibus facere ac continuare, ubi eſt conſuetudo, Officium Patroni principalis Parochiæ, in qua morantur. S. R. C. 28. Aug. 1706.

143. Quando plura Officia de præcepto eodem die in aliquibus Locis ita fixè occurrant, ut translatio alicujus ſeu aliquorum ſit perpetua, tunc prima dies proxima non impedita aſſignanda cenſeatur in perpetuum pro die propria Feſti translati reſpectivè. S.R.C. ut ſupra.

144. In ſecundis Veſperis de SS. Angelis Cuſtodibus fieri debet tantummodo Commemoratio, non verò a Capitulo de Translatione S. Claræ apud Franciſcanos. S. R. C. 14. Maii 1707.

145. Sancti Martyres in concurrentia Officii Duplicis cum Sancto Confeſſore, non debent habere integras Veſperas propter majorem dignitatem & nobilitatem, quam habet Martyr præ Confeſſore; neque hæc major Dignitas & nobilitas tribuenda eſt Confeſſori concurrenti cum Virgine. Sic in concurrentiis Officiorum æqualis ritus, quæ poſſunt accidere, Sanctus Confeſſor non habet integras Veſperas: aliter enim fit in prædictis caſibus, quàm fiat in concurrentia Feſtorum Domini, B. M. V., Angelorum, & Apoſtolorum, unde in ante dictis primis concurrentiis ſtandum eſt præſcriptioni Rub. Brev. Rom. *de Concurr. Offic. num.* 2. quæ dicit: *Regulariter ſit a Capitulo de ſequenti*. S. R. C. 14. Decemb. 1709.

146. In Feſto SS. Cornelii & Cypriani die 16. Sept.

Sept. pro Commemoratione SS. Euphemiæ & Sociorum dicatur in primis Veſperis Antiphona *Gaudent in Cœlis*, & in Laudibus Antiphona *Iſtorum eſt*. Prædictæ tamen Antiphonæ dicendæ non ſunt, quando Officium SS. Cornelii & Cypriani transfertur, ex quo occurrat in Dominica; tunc enim in primis Veſperis Dominicæ dicenda erit Antiphona pro dicta Commemoratione *Iſtorum*, & in Laudibus Antiphona *Veſtri capilli*. S. R. C. ut ſupra.

147. De Patrono ſeu Titulari propriæ Eccleſiæ debet fieri Officium ſub ritu duplici primæ Claſſis cum Octava, etiamſi Eccleſia non fuerit conſecrata, ſed tantùm benedicta. S. R. C. 21. Jun. 1710.

148. Omnibus Fratribus, & Monialibus Ordinis Minorum S. Franciſci indulgetur atque conceditur, ut in recitatione Officii Deſponſationis B. M. V. cum S. Joſepho, fiat ab ipſis Commemoratio ejuſdem S. Joſephi (ante omnes alias occurrentes) tùm in utriſque Veſperis, tùm in Laudibus, & reſpectivè etiam in Miſſa cum Antiphonis, & Oratione ſub die 19. Marr. pro Eccleſia univerſali approbatis. S. R. C. 1. Jul. 1713.

149. Decretum a Sac. Rit. Cong. anno 1680. editum, quo permittitur poſſe in Eccleſiis recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, vel Reliquiæ Inſignes in iiſdem aſservantur, intelligendum eſt de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodo conſtet de identitate Corporis eorumdem, vel Inſignis Reliquiæ, ſecùs verò de Sanctis in eodem Martyrologio non deſcriptis; quorum tamen Corporibus, & Reliquiis ab Ordinariis Locorum approbatis debita Fidelium veneratio exhibenda eſt, ſed abſque Officio & Miſſa, ſub pœnis non ſatisfaciendo præcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtit. S. Pii V. contentis. S. R. C. 15. Sept. 1714.

150. Officium proprium SS. Nominis Jeſu ab omni-

omnibus Chriſtifidelibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, etiam Fratribus Minoribus (exceptis tamen Obſervantibus, eorumque Miniſtro Generali ſubjectis) ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, non verò 14. Januarii, recitari & Miſſam reſpectivè celebrari debere indulſit. S.R.C. 29. Nov. 1721. & 28. Nov. 1722.

151. Sancti etiam ſub ritu duplici, qui in fine Anni ſuperſunt, non ſunt transferendi ad Annum ſequentem; ſed quoties toto Anni decurſu de illis celebrari non valeat, tunc in illo Anno diebus eorum propriis conſiderandi ſunt tanquam Simplices, faciendo illorum Commemorationem, ut fit in Semiduplicibus, ſcilicet in utriſque Veſperis & Laudibus, cum nona Lectione ad Matutinum compoſita ex omnibus eorum Lectionibus propriis ſecundi Nocturni ad modum unius. S.R.C. 26. Novem. 1735., 8. Mart., 21. Jun., & 6. Sept. 1738.

152. Lectiones primi Nocturni de Exodo, quæ leguntur in Dominica quarta Quadrageſimæ, quoties iſta ſit impedita aliquo Feſto primæ Claſſis, reaſſumendæ ſunt intrà illam Hebdomadam in Feſto occurrente carente Lectionibus propriis primi Nocturni, quæ deſumerentur de Scriptura occurrente, ſi Feſtum illud extra Quadrageſimam incidiſſet. S. R. C. 26. Nov. 1735.

153. Si die 21. Januarii occurrat in aliquibus Locis Feſtum alicujus Sancti particulare ſub ritu duplici, faciendum eſt Officium de tali Sancto, & transferendum eſt Officium S. Agnetis, quod occurrit eadem die; cui aſſignari debet aliqua dies fixa, quæ tamen non ſit dies 28. Januarii, ne Feſtum SS. Nominis Jeſu, quod celebratur Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, aliquando occurrat in eadem Dominica, quæ eſt Septuageſimæ; ideoque ne illud Feſtum celebretur intrà Quadrageſimam (quod non conveniret) erit relinquenda vacua dies 28. Januarii, in quam id

Ppp tunc

tunc erit transferendum. Quando autem agetur Feſtum S. Agnetis ſecundò, fiet de eo Commemoratio tanquam de Simplici, nullo habito reſpectu, quòd Feſtum ejuſdem Solemne priùs non fuerit celebratum. S. R. C. 5. Maii 1736., & 7. Maii 1746.

154. In tertio Nocturno pro Feſto S. Joannis Nepomuceni tam intrà, quàm extra Tempus Paſchale ſemper dicatur Evangelium *Nihil eſt opertum* cum ſua Homilia. S. R. C. 5. Maii 1736.

155. Ubi celebratur Feſtum S. Barbaræ ſub ritu duplici, etiamſi ſine ſpeciali ſolemnitate, fiet de illa Officium, aſſignando aliam fixam & perpetuam diem S. Petro Chryſologo. S. R. C. ut ſupra.

156. Pro Translatione Feſtorum talis ratio habeatur, ut priùs fiat Officium de priùs deſcripto in Kalendario, nullo habito reſpectu, quòd Officium translatum ſit Eccleſiæ particularis, Ordinis, ſeu Religionis, Diœceſis, Nationis, & Eccleſiæ univerſalis. S. R. C. ut ſupra.

157. Quando occurrit Feſtum aliquod in Diœceſi, quod ſit de præcepto quoad forum, Regulares de eo debent Officium facere, niſi apud ipſos occurrat eadem die aliud Feſtum, quod ſit ejuſdem claſſis, ritus, & majoris Dignitatis. S. R. C. ut ſupra.

158. Quando in primis Veſperis S. Hermenegildi Martyris, Hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus eſt in Matutino, & Hymnus Matutini ſubſtituendus eſt in Laudibus. S. R. C. ut ſupra.

159. In Feſto S. Margaritæ Scotorum Reginæ ab aliquibus Breviariis expungi debent ultima verba Lectionis: *Cujus Feſtum ab eodem Pontifice conceſſum Innocentius XI. ad octavum Idus Julii transferri juſſit*. S. R. C. ut ſupra.

160. In die Octava Dedicationis ſemper ſunt repe-

repetendæ Lectiones in primo Nocturno, quæ jam lectæ fuerint in primo Nocturno Officii de ipſomet Feſto Dedicationis. S. R. C. ut ſupra.

161. Quando Dies Octava impeditur per Feſtum majoris ritus, & in ea occurrat Dominica, vel concurrat in primis aut ſecundis Veſperis Semiduplex, Commemoratio diei Octavæ facienda eſt ante Commemorationem Dominicæ occurrentis, & Semiduplicis cujuſcumque concurrentis. S. R. C. ut ſupra.

162. Non poſſunt transferri Officia illa affixa certis diebus, quæ ſunt conceſsa pro Locis & Eccleſiis particularibus ad eorum inſtantiam; at quando Officia prædicta ſint de præcepto pro aliquo Statu, ſicuti ſunt Officia plura B. M. V. conceſſa a Benedicto XIII. pro Statu Eccleſiaſtico affixa certis diebus, transferantur. S.R.C. ut ſupra.

163. Quæſitum fuit, an ſi per Dedicationem Eccleſiæ, vel aliud Feſtum cadens in Dominica, impediatur Initium Scripturæ talis Dominicæ, & per Octavam non ſit locus pro ea, eò quòd omnes dies ſint dies infra Octavam, præter unam fortè, quæ tamen habet Lectiones de Communi aſſignatas, tunc tale Initium ſit omittendum, vel potiùs reponendum in illo Feſto, & quid ſi illud ſit Duplex majus? Et reſponſum fuit: Initium Scripturæ aut transferendum eſt ad diem liberam, etiamſi poſt Octavam hoc eveniat, aut anticipatè legendum, ſed in Officio pro quo aſſignatæ ſunt Lectiones de Communi, illæ ſunt legendæ. Quod faciendum eſt etiam in Duplici majori juxta Rubr. Brev. de Lectionibus. S. R. C. ut ſupra.

164. Ubi Feſtum SS. Trinitatis eſt Titulus Eccleſiæ, non eſt dicendum per totam Octavam, ſive Officium fiat de Octava, ſive de alio Feſto occurrente, Symbolum S. Athanaſii, ſed ſolùm in Solemni Feſto

SS. Trinitatis, & in die Octava ejuſdem. S. R. C. ut ſupra.

165. Feſtum principalis Patroni alicujus Diœceſeos a Regularibus eſt celebrandum ſub ritu duplici primæ Claſſis, & Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis ſub ritu duplici ſecundæ Claſſis, ſine Octava: & degentes extra Civitatem non tenentur ad Dedicationis Officium. S.R.C. ut ſupra.

166. Si in Dominica quarta poſt Paſcha legantur Lectiones Initii Epiſtolæ B. Jacobi Apoſtoli, in Feſto SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi legendæ ſunt Lectiones ejuſdem Epiſtolæ, quæ occurrent dicendæ in illa Feria. S. R. C. ut ſupra.

167. Cùm ſæpè contingat ut in Diœceſi celebretur unum & idem Feſtum, & alii in tertio Nocturno aſſignent unum Evangelium, alii verò aliud, Religioſi ſequi debent ordinem proprii Breviarii. S.R.C. ut ſupra.

168. In Dominica in Albis poteſt legi nona Lectio de Simplici Feſto occurrente. S. R. C. ut ſupra.

169. Quando Feſtum SS. Philippi & Jacobi celebratur extra Tempus Paſchale, omitti debent omnia *Alleluja* (quæ congruunt Tempori Paſchali) Aſteriſci verò non tolluntur. S. R. C. ut ſupra.

170. Quando October habet tantùm quatuor Dominicas, ſervetur omninò diſpoſitio Breviarii Romani, & in Feria quinta, ſexta, & Sabbato Hebdomadæ quartæ legantur Lectiones de Dominica quinta continentes Hiſtoriam Martyrii SS. Machabæorum. S.R.C. ut ſupra.

171. Quando in Feſto aliquo Lectiones aſſignantur legendæ ſive propriæ, ſive de Communi, omittitur etiam Initium Scripturæ, quod reponendum eſt infrà Hebdomadam in Officio ritus inferioris, minoris dignitatis & ſolemnitatis, etiamſi tale Feſtum habeat Lectiones proprias, aut ſint de Communi. S. R. C. ut ſupra.

172. In

172. In Feſto S. Joannis Chryſoſtomi quoad Lectiones in primo Nocturno legendas, ſervetur Rubrica Romani Breviarii: unde extra Quadrageſimam dicantur Lectiones de Scriptura occurrente, intrà Quadrageſimam verò recitentur Lectiones de Communi Doctorum. Pro S. Joanne de Matha idem ſervandum, & in Quadrageſima dicantur Lectiones de Communi, ſcilicet *Beatus Vir*. S. R. C. ut ſupra.

173. In Feſto S. Caroli Borromei 4. Novembris in primis Veſperis pro Commemoratione SS. Vitalis & Agricolæ Martyrum Antiphona erit *Iſtorum eſt* cum ℣. *Lætamini*, & ad Laudes ſubſtituetur ℣. *Exultent juſti* poſt Antiphonam *Veſtri capilli*. S. R. C. ut ſupra.

174. Feſtum Lanceæ, quod eſt approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur Feria ſexta poſt Dominicam in Albis, ſi ob occurrentiam alicujus Feſti novem Lectionem impediatur, transferri debet ad aliam Feriam ſextam intrà Tempus Paſchale tantùm. S. R. C. ut ſupra.

175. Quando Antiphonæ & Verſus in Veſperis variandi ſunt pro Commemoratione alicujus Simplicis facienda, tunc ad Veſperas primò accipienda eſt Antiphona cum Verſu Laudum. Si verò plures ſint Commemorationes Simplicium, tunc ſecunda Commemoratio ſumetur ex ſecundis Veſperis cum Verſu ſecundi Nocturni; tertia verò Commemoratio fiet, deſumendo Antiphonam primam ex tertio Nocturno cum Verſu ejuſdem Nocturni. Ad Laudes prima Commemoratio cum Verſu erit propria ex primis Veſperis; ſecunda Commemoratio fiet cum Antiphona tertii Nocturni & Verſu aſſignatis jam in primis Veſperis. Tertia autem Commemoratio fiet, deſumendo Antiphonam & Verſum dicto ſecundo loco in primis Veſperis, nempe Antiphonam ſecundam Veſperarum, & Verſum ſecundi Nocturni. S. R. C. ut ſupra.

176. Quan-

176. Quando ob Feſtum SS. Nominis Jeſu contingat transferri aliud Officium duplex ſecundæ Claſſis inferioris Dignitatis, de eo debet fieri prima die non impedita. S. R. C. 23. Jun. 1736.

177. In occurrentia Feſtorum ejuſdem ritus, & aliàs quomodocunque parium, talis ordo ſervetur, ut primum locum habeat Officium Eccleſiæ particularis, ſecundum Ordinis, tertium Diœceſis, quartum Nationis, quintum Eccleſiæ univerſalis. S. R. C. ut ſupra, & 22. Aprilis 1741.

178. In Officio Votivo Immaculatæ Conceptionis, in Antiphona quæ dicit: *Poſt partum*, *Virgo*, *inviolata permanſiſti*, dici non poteſt *Immaculata*. S. R. C. 23. Junii 1736.

179. Feſtum Inventionis SS. Crucis cadens in Dominica, in qua celebratur Feſtum Dedicationis Eccleſiæ, non poteſt transferri in diem immediatè ſequentem, ſi hæc ſit Feſto Duplici vel Semiduplici impedita, ſed debet reponi prima die non impedita. S. R. C. ut ſupra.

180. In primis & ſecundis Veſperis Feſtivitatis Omnium Sanctorum Ordinis, facienda eſt Commemoratio de Feſto antecedente & ſubſequente, ſi ritus id permittat, nulla habita ratione, quòd ſit etiam ipſe unus ex Sanctis iiſdem Ordinis, quorum Feſtus dies celebratur. S. R. C. ut ſupra.

181. Quæſitum fuit an occurrente Feſto Duplici ſecundæ Claſſis Octavam habente cum Dominica Septuageſimæ, ſi ſequentibus Feriis occupatis, transfertur ad ſequens Sabbatum, ſecundæ Veſperæ erunt ut in primis, aut in ſecundis Veſperis Feſti cum Commemoratione Dominicæ in Sexageſima, aut erunt de Pſalterio a Capitulo Dominicæ cum Commemoratione Diei Octavæ; & quid ſi Dies Octava habeat Orationem propriam?

S.R.C.

S. R. C. reſpondit ſecundas Veſperas Feſti fieri debere cum Commemoratione Dominicæ in Sexageſima; & in Die Octavæ eſſe recitandam Orationem propriam. Eadem S. R. C. 15. Sept. 1736.

182. Feſta Diœceſana occurrentia eodem die cum Feſtis Romanis, præponenda ſunt Feſtis Romanis ejuſdem ritus & Solemnitatis. S. R. C. 16. Febr. 1737.

183. Serventur Rubricæ Miſſalis, Breviarii, & Cæremonialis Epiſcoporum, ſic tamen ut quando in Choro cantantur aliqua verba genuflexionem requirentia, ſi mora præſcriptæ genuflexionis eſt brevis, hæc fiat, etiam a Cantantibus ad Ambonem, ſeu a regentibus Chorum, dum ipſa verba cantantur, quæ genuflexionem requirunt: quando autem mora genuflexionis eſt longa, ut ad verba Pſalmi Invitatorii *Venite adoremus & procidamus ante Deum*, ad verba Symboli *Et incarnatus eſt*, & ad alia ſimilia; ne plurium vocum uniſona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur ſub fine verborum. S. R. C. 8. Martii 1738.

184. Officia conceſſa ſub his verbis *Recitari poſſe*, *fieri poſſe* &c. non reputari debent tanquam mera Officia ad libitum, ſi fuerint acceptata, ſed de præcepto; adeòque omninò ſunt transferenda, ſi occurrant diebus impeditis. S. R. C. 6. Sept. 1738.

185. In Commemorationibus Communibus, ſive Suffragiis Sanctorum per annum, dùm ſit de aliquo Sancto Principali, cujus Antiphonæ habent in fine *Alleluja*, ſi contingant verba, quibus exprimantur gaudium, victoria, & ſimilia, debet hoc *Alleluja* recitari, alioquin omittatur. S. R. C. 29. Nov. 1738.

186. Non ſunt concinendæ Preces Feriales ad Veſperas & Laudes in diebus jejuniorum per depreſſionem vocis a *Fa* ad *Re*, ſed utendum tono ac voce uniformi per ſimplicem *Fa*. S. R. C. 9. Maii 1739.

187. Ad.

Digitized by Google

187. Adveniente notitia alicujus Officii recitandi a Sac. Rit. Cong. recenter conceſſi, ſi talis notitia ita opportunè perveniat, ut prædicti Officii recitatio evenire poſſit tempore congruo, ſcilicet vel die a Sac. Congreg. pro tali recitatione præſcripto, vel diebus poſt illum vacantibus, quibus juxta Rubricarum Regulas hujuſmodi Officium recitari poſſit, recitetur quidem: Si autem talis notitia non ita opportunè pervenerit, ut prædictis diebus impleri potuerit Officii recitatio, pro præſenti anno omittatur. S. R. C. 11. Jul. 1739.

188. Transferendum eſt Officium cadens in die aſſignata, & recitandum eſt de aſſignato, cùm hujuſmodi Feſtum non debeat conſiderari ut translatum, ſed immutatum in aliam diem ſimiliter ſibi propriam perpetuò aſſignatam. S. R. C. ut ſupra, & 1. Octob. 1740.

189. Non licet abſque Pontificio Indulto aſſumere in Titularem propriæ Eccleſiæ Beatum. S. R. C. 23. Jan. 1740.

190. Titulum Eccleſiæ aſſumtum de Beato ſupprimi debet, & alium pro eo de Sancto jam canonizato ſubſtitui. S. R. C. 23. Jun. 1740.

191. In Officio votivo SS. Sacramenti quod recitatur ex Indulto Apoſtolico, in Reſponſoriis ad Matutinum, Reſponſoriis brevibus Horarum, Verſiculis ad *Magnificat* & Laudes, non debet recitari *Alleluja*, prout dicitur in Officio feſtivo diei Solemnitatis Corporis Chriſti. S. R. C. 10. Decem. 1740.

192. Occurrente quocumque Officio novem Lectionum etiam translato, omiſſa recitatione Officii SS. Sacramenti per annum, faciendum eſt Officium ea die occurrens, etiamſi dies ſit infrà Octavam. S. R. C. 1. Octob. 1740.

193. Aſſignatio alterius diei Officio perpetuò impedito fieri poteſt Sac. Rit. Cong. inconſulta, abrogando alia

alia Decreta contra hoc emanata 28. Nov. 1682., & 22. Aug. 1722. ſed confirmantur illa 18. Octob. 1696., 2. Jul. 1712., & 20. Nov. 1717. huic Decreto concordantia. S. R. C. 22. April. 1741.

194. Officium a Benedicto XIII. conceſſum univerſo Dominio Regis Sardiniæ de Sancta Sindone habet locum in qualibet Feria Sexta a Duplici vel Semiduplici non impedita, & ſpecialiter in Quadrageſima, non verò Adventus, Vigiliarum, & Quatuor Temporum. S. R. C. 8. Jul. 1741.

195. Obligatio audiendi Sacrum non reddit Solemnitatem majorem, ſed relinquit Officium in ſuo ritu: quare reponendum priùs erit Officium altioris ritus præ alio minoris, quamvis iſtud haberet annexum præceptum audiendi Sacrum; cùm ſit peculiaris tantùm prærogativa Feſti Annuntiationis B. M. V. & S. Joſeph ex Decretis tum Alexandri VIII. tum Clementis XI. quòd iſta Feſta ſic translata quibuſque aliis Feſtis tam translatis quàm occurrentibus præferantur, quando cum illorum Officio transfertur ſimùl obligatio audiendi Sacrum. S. R. C. 2. Sept. 1741.

196. Officia translata, quæ tantùm ſunt ejuſdem ritus & Dignitatis, reponuntur non die immediatè ſequenti libera, ſed juxta ordinem translationis, ut ſcilicet priùs celebretur Officium ab anteà translatum, deinde fiat de alio ſecundo loco translato, & ſic ſucceſſivè. Ab hac tamen regula excipitur Semiduplex occurrens in Feſto habente Octavam, vel in Dominica infrà Octavam, vel in Feſto Duplici infrà Octavam; quod Semiduplex in præfatis tribus caſibus transfertur in diem immediatè ſequentem, in qua agendum eſſet de Octava, protrahendo ad aliam diem non impeditam aliud quodcumque Duplex, etiam primæ claſſis priùs translatum. S. R. C. ut ſupra.

197. Feſta Duplicia, quæ coluntur a Populo de præcepto, retinent eundem ritum, quem aliàs haberent ſecluſa hac qualitate præcepti, nec ſunt Duplicia majora. S. R. C. ut ſupra.

198. Duplicia majora habent Lectiones primi Nocturni vel proprias, vel de Communi, non autem de Scriptura occurrente. S. R. C. ut ſupra.

199. Qualitas Feſtivitatis non eſt ratio, quòd Veſperæ ſint & dicantur integræ de tali Feſto, niſi hoc Feſtum fruatur ſimùl qualitate vel majoris Dignitatis, vel ritus. S. R. C. ut ſupra.

200. Secundæ Veſperæ Annuntiationis concurrentes cum primis diei Feſti S. Marci, recitantur integræ de Annuntiatione ob præſtantiam Dignitatis, non propter qualitatem præcepti. Idem dicendum de Feſtis Domini. S. R. C. ut ſupra.

201. Officia Sanctorum ad libitum incidentia in die impedita in perpetuum, non poſſunt figi ſeu locari perpetuò in alia die ab Ordinariis Locorum deſignanda, Sacra Congregatione inconſulta; nec circa hoc verificatur Decretum de Anno 1703. revocans in hoc aliud Decretum generale de Anno 1682. S. R. C. ut ſupra.

202. Hymnus *Iſte Confeſſor*, quando Feſtum alicujus Confeſſoris habens Octavam transfertur, ſed non ultra octo dies, dicendus eſt cum ℣. *Meruit beatas ſcandere ſedes*, ab iis tantùm, quibus a Breviarii Rubrica injunctum eſt: nec prædicta mutatio fiet, quando Officium Feſtivum Sancti habentis Octavam, non ultra Octavam transfertur, quia tota Octava nihil aliud eſt, quàm extenſio ipſius Feſti; & ideò Verſus idem per reliquos Octavæ dies, qui fortè ſupererunt, retinebitur. S.R.C. ut ſupra.

203. Ubi Feſtum S. Petri ad Vincula, vel Converſionis S. Pauli eſt Titulus Eccleſiæ, ſemper per Octavam

vam facienda eſt Commemoratio diſtincta alterutrius prout in Die Feſto, non autem unica communis per Antiphonam *Petrus Apoſtolus*. S. R. C. ut ſupra.

204. In Feſto S.Thereſiæ Lectiones primi Nocturni ſunt de Scriptura, non verò de Communi. S.R.C. ut ſupra.

205. In die Octava Dedicationis Eccleſiæ Lectiones primi Nocturni ſunt de Communi, & non de Scriptura. S. R. C. ut ſupra.

206. Feſta Sanctorum, quibus conceſſa eſt Octava, perpetuò translata, & ab aſſignato cuilibet illorum die perpetuò amota, celebranda ſunt ſine Octava, ſi de ea nihil remaneat, vel cum reſiduo illius, ſi de ipſa aliqui tantummodò dies ſupererunt. S.R.C. 16. Septembris 1741.

207. Translato Feſto unicè quoad Officium, non transfertur Indulgentia tali Feſto conceſſa. S.R.C. ut ſupra.

208. Decreta, quæ ſtatuunt non eſſe transferendos ad Annum ſequentem Sanctos illos qui in fine Anni ſupererunt, intelligenda ſunt non ſolùm de Semiduplicibus, ſed etiam de Duplicibus, ſive ab accidentali, ſive a perpetuo occurrenti impedimento eorum celebratio fuerit impedita. S. R. C. ut ſupra.

209. Non eſt omittendus in fine cujuſvis Horæ ℣. *Fidelium Animæ*, quando poſt eam immediatè dicitur Miſſa, ſed ſervandus adamuſſim textus Rub. 30. Brev. Rom. ſub num. 3. S. R. C. 14. April. 1742.

210. Feſta, quæ ſunt ritus duplicis, non celebrantur ſub alio ritu, quàm ritu duplicis minoris, niſi conſtet de diverſa conceſſione. Feſta tamen ſecundaria Patronorum minùs principalium, ſi celebrentur cum Solemnitate, habent in ſe naturam Duplicis majoris, & qualitatem Duplicis minoris, ſi abſque Solemnitate peragantur. Symbolum autem in Miſſis recitandum non eſt niſi in iis Eccleſiis, in quibus aut Sacrum eorum Corpus, aut inſi-

Digitized by Google

inſignes Reliquiæ aſſervantur. S. R. C. 1. Dec. 1742.

211. Attenta Dignitate Perſonæ, licet æqualitas ritus ſit inter Feſtum S. Marci & SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, & S. Joſeph; Officium tamen de S. Joſeph eſt recitandum, ſi cum prædictis Solemnitatibus occurrat. S. R. C. 11. Maii 1743.

212. Concurrente S. Joſeph cum S. Marco & SS. Apoſtolis Philippo & Jacobo, Veſperæ non ſunt dimidiandæ, ſed perſolvendæ integræ de S. Joſeph, attenta illius Dignitate. S. R. C. ut ſupra.

213. Primaria Feſta S. Joannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri & Pauli, attentis rationibus per Patrem Merati *Sect.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. innixis Decreto hujus Sac. Congr. in Aquilejenſi 21. Aug. 1638. excludunt omnia alia Feſta in ipſis occurrentia, excepta Solemnitate Corporis Chriſti. S. R. C. ut ſupra.

214. Regulares debent celebrare Feſta perpetuò translata in illis diebus in Kalendario Diœceſis *auctoritate Ordinarii* aſſignatis tanquam propriis, quando in illis diebus non occurrat Feſtum ſui Ordinis. S. R. C. 7. Decem. 1743.

215. Feſta perpetuò translata, etiamſi ſint Semiduplicia, transferri poſſunt in dies infrà Octavas non privilegiatas, in quibus fieri deberet de Octava, tanquam in dies proprias. S. R. C. ut ſupra.

216. In fixatione Feſtorum attendi debet quod præcipitur a *Rubr.* 10. *Brev. Rom. ſub n.* 7. *de Transl. Feſtorum*, ut ſcilicet priùs agatur de Duplici, poſteà de Semiduplici, & inter plura Duplicia quod eſt magis Solemne ſemper priùs celebretur, ſive ex ritu, ſive ex Dignitate majoritas iſta Solemnitatis proveniat: alioquin ſi ſint omninò æqualia, unum ante aliud reponatur, & ordine quo erant celebranda in propriis diebus; eadem enim militat ratio in fixatione, quæ probaret in Translatione, S.R.C. ut ſupra.

217. Oc-

217. Occurrente Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cum primis Veſperis Dedicationis Eccleſiæ, totum erit de Digniori cum Commemoratione minùs Digni, ſcilicet totum de Dedicatione cum Commemoratione SS. Apoſtolorum; quodque ſervandum eſt in prælatione Octavarum juxtà Rubricas generales. S.R.C. 16. Maii 1744.

218. Prima dies proximè non impedita aſſignanda eſt cuilibet Feſto a ſua die ob perpetuum impedimentum translato; ita ut dies illa in poſterum ſit tanquam dies propria & fixa Feſti translati. S. R. C. 22. Auguſti 1744.

219. Uſus celebrandi quàmplura Feſta ſub ritu Duplicis majoris, ex eo quia ſunt celebria in Populo, ſustineri non poteſt. S. R. C. ut ſupra.

220. Feſta per annum Duplicia, quæ ſolemniter celebrantur a Choro, & in Populo ſunt de præcepto, in concurrentia cum æqualibus quoad ritum & Dignitatem, poſſunt habere integras Veſperas ad ſenſum *Rubr. XI. Brev. Rom. num.* 2. S. R. C. ut ſupra.

221. Moniales Ordinariis Locorum ſubjectæ non tenentur recitare Officia particularia Diœceſum, tenentur tamen recitare de Patrono Principali Loci, & de Titulari Eccleſiæ Cathedralis, necnon de ejuſdem Eccleſiæ Dedicatione, non verò de eorundem Feſtorum Octavis, niſi id ſpecialiter ipſis Indultum ſit ex vi conceſſionis Apoſtolicæ, vel propriæ Conſtitutionis ab Apoſtolica Sede approbatæ. S. R. C. ut ſupra.

222. Moniales Ordinis S. Claræ, ut petitum fuit in Januenſi a dictis Monialibus, novum Breviarium & Kalendarium pro Patribus Conventualibus editum poſſunt aſſumere, petita venia ab hac Sac. Rit. Congr. Eadem S. R. C. ut ſupra.

223. Non dedecet aſſignari Feſtis etiam Semiduplicibus a propria die ob aliquod impedimentum perpetuò tranſ-

translatis, dies illos infrà Octavam non privilegiatam ab alio occurrenti Feſto non impeditos, qui dies habentur, & ſint in poſterum ſedes fixa talium translatorum. S. R. C. ut ſupra.

224. Cùm aliquod Feſtum jam translatum iterùm moveri ex neceſſitate contigerit a die ſibi ſemel aſſignata, non eſt opus ut cætera alia Feſta poſt ipſum tranſlata a diebus ſibi reſpectivè aſſignatis denuò removeantur, niſi fortè nova Kalendarii conſtructio ex integro aſſumeretur. S. R. C. ut ſupra.

225. Occurrente Feſto Dedicationis propriæ Eccleſiæ in die S. Silveſtri, Officium S. Silveſtri non eſt tranſferendum ad Annum ſequentem, ſed celebrandum in ipſomet die Dedicationis cum Commemoratione ejuſdem S. Silveſtri. S. R. C. 23. Jan. 1745.

226. Quando plura Officia de præcepto eadem die in aliquibus Locis ita fixè occurrunt, ut translatio alicujus ſeu aliquorum ſit perpetua; tunc prima dies proximè non impedita aſſignata cenſetur in perpetuum pro die propria Feſti reſpectivè translati. S. R. C. 15. Maii 1745.

227. Feſta plura de præcepto eadem die occurrentia poſſunt ſtabiliri infrà illas Octavas, quæ hujuſmodi Feſta occurrentia non excludunt, licet excludant translata, ut eſt Octava Corporis Chriſti, quæ admittit Duplicia occurrentia, non autem translata. Stabiliri autem non poſſunt infrà eas Octavas, quæ hujuſmodi Feſta occurrentia excludunt, juxta Regulas præſcriptas in Rubr. *de Octavis num.* 3. S. R. C. ut ſupra.

228. Semel & pro ſemper aſſignare poteſt Ordinarius diem non impeditam extra Dominicam & Octavas Sanctorum Feſtis Sanctorum ad libitum, non immutata tamen lege Sanctorum ad libitum. S. R. C. 7. Maii 1746.

229. Feſta Simplicia perpetuò impedita, itaut de illis ne quidem Commemoratio perpetuò fieri poſſit, non po-

poteſt Ordinarius Loci aſſignare certam diem aliam illis Feſtis impeditis. S. R. C. ut ſupra.

230. Conſuetudo antiqua & immemorabilis dicendi Officia de aliquo Sancto ſufficit ad licitè continuandum ut illud recitetur, dummodò immemorabile reſpiciat Feſtum in Romano Martyrologio deſcriptum, ſin minus negativè. S. R. C. ut ſupra.

231. Officium SS. Sacramenti quod recitatur ex Privilegio in Feria quinta non impedita per Annum a Feſtis Duplicibus vel Semiduplicibus, demtis quoque Feriis Adventus, Quadrageſimæ &c. ſi concurrat in Veſperis cum alio Officio Semiduplici, dividit Veſperas a Capitulo. S. R. C. 1. Jul. 1747.

232. Quando Feſtum Purificationis B.M.V. occurrit in Dominica privilegiata, ejus Officium transferri debet in Feriam ſecundam immediatè ſequentem, quocumque Feſto etiam æqualis, non tamen altioris ritus in eam incidente; & idem ſervandum mandavit, quando Feſtum Annuntiationis occurrat in Dominica privilegiata: quòd ſi in Hebdomada Majori, vel Paſchali, tunc Annuntiationis Officium pari cum Privilegio in Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis transferri voluit, atque hoc Decretum Generalibus Kalendarii Romani Rubricis adjici præcepit S. R. C. 20. Jul. 1748.

233. Die 2. Auguſti, & non alio tempore faciendum eſt Officium cum Miſſa de S. Maria Angelorum, etiamſi fuerit Titularis, prout in Feſto ad Nives, & non prout in Communi Dedicationis, præter Lectiones ſecundi Nocturni, quæ ſumendæ ſunt ex ſecundo Nocturno Nativitatis ejuſdem B.M.V. mutato verbo *Natali* in *Feſtivitate*, juxta Decr. 10. Jun. 1690. in una Ord. Min. de Obſerv. S.R.C. 7. Sept. 1748.

234. Dedicatio Eccleſiæ Cathedralis, ad quam Regulares intrà eandem Civitatem conſtituti ſub ritu Duplici ſecundæ Claſſis ſine Octava celebrandam tenentur, ultra

ultra illus Octavam transferri poteſt ab iiſdem Regularibus, ſi prima dies altiori Feſto, ſimulque tota reliqua Octava aliis novem Lectionum Feſtis impedita ſit. S. R. C. 11. Jan. 1749.

235. Feſtum Patrocinii S. Joſeph occurrens in Feſto altioris ritus transferri poteſt, nonobſtante Decreto 20. Mart. 1683. nam eadem Sac. Congr. Rit. die 26. Novembris 1735. hanc declarationem edidit. Cùm in tota Hiſpania ſit conceſſum ut in tertia Dominica poſt Paſcha celebretur Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſub ritu Duplici, quæſitum fuit, ſi cadat in illa die Feſtum majoris ritus, an Feſtum Patrocinii S. Joſeph ſit transferendum ad aliam diem? Et reſponſum ſuit transferri poſſe. Hæc declaratio facta pro Regnis Hiſpaniæ valet etiam pro aliis Regnis, quibus idem Officium conceſſum eſt. S. R. C ut ſupra.

236. Officia de præcepto, licet ſint fixa certis diebus, ſi in his impediantur, transferri poſſunt juxta Decretum Sac. Rit. Congr. 5. Maii 1736. Eadem S. R. C. ut ſuprá.

237. Octava non elevat ritum, in paritate autem ritus attendi debet tum major Dignitas, tum major Solemnitas celebrationis, & Populi concurſus. S. R. C. ut ſupra.

238. An ubi habentur inſignes Reliquiæ plurium Sanctarum Virginum & Martyrum e Societate S. Urſulæ, debeat de illis fieri Officium duplex 21. Octob. cum Commemoratione S. Hilarionis & SS. Urſulæ & Sociarum, vel poſſit aliis diſtinctis extra illum diebus de ſingulis illarum in particulari, prout hactenùs alicubi die 17., & 19. Decemb. obſervatum fuit, recitari Officium duplex? Quòd ſi primum fieri oporteat; quæritur adhuc an idem faciendum, ubi Feſtum SS. Urſulæ & Sociarum eſt Duplex vel Semiduplex, aut hoc potiùs in aliam diem non impeditam transferendum ſit? Reſponſum fuit fieri debere Officium duplex de SS. Urſula & Sociis cum ſola Commemoratione S. Hi-

S. Hilariōnis ; ſicuti fit Romæ in Patriarchali Eccleſia S. Mariæ Majoris ; ubi aſſervatur Caput unius ex Sociis S. Urſulæ. Et ita pariter fieri debet abſque ulla translatione in illis Eccleſiis , in quibus Feſtum SS. Urſulæ & Sociarum aliunde eſſet Duplex vel Semiduplex ; S. R. C. ut ſupra.

Finis Quartæ Partis.

Digitized by Google

CÆREMONIALIS

PARS QUINTA

De quibuſdam aliis Eccleſiaſticis Actionibus, & Miniſtris.

CAPUT I.

De eximio Concionatoris Officio.

PULPITUM in primis, in quo habebitur Concio in Eccleſiis Noſtris, a latere Evangelii, ſi fieri poterit, in loco ita congruo conſtructum erit, ut Concionator ab Univerſis commodè audiri valeat. Imago Chriſti e Cruce pendentis eidem Suggeſto ſuperponetur, illa ex parte qua ad Aram Principem vergit, ad vividiùs in Fidelium mentibus Dominicæ Paſſionis memoriam excitandam. Materia prædicti Ambonis erit ex marmore, vel lateritio lapide, aut ſectilibus tabulis, decenti opere, ac forma ut plurimùm ſphærica. Pallio laneo, vel ſerico Officio concolori circumtegetur (excepta Feria VI. in Paraſceve, in qua penitus denudabitur); & in Miſſis Defunctorum, vel pro Oratione funebri veſtimentis operietur nigris. In ſuperiori parte appendi poterit Umbella, ſeu Baldachinum fixum ejuſdem materiæ: mobile autem nullo pacto apponetur, niſi Concionator Epiſcopali fulgeat Dignitate, vel vocis ejuſdem exilitas id requirat; quo caſu ſimplex, & ad neceſſitatem erigetur.

2. Religioſus itaque Concionator debitis exornatus

Digitized by Google

natus dotibus, licentiiſque munitus ad Eccleſiam hora competenti, ac Socio comite ſe conferet, ubi brevi fuſa oratione, Suggeſtum conſcendet, Pallium deponet, atque Biretum, ſi fuerit Doctor, ſumet. (Quod Biretum, vel ipſum Presbyterale, ſeu Clericale interdicitur omninò quibuſcumque Religioſis Sacræ Theologiæ non Magiſtris in hac & quavis actione, tempore, vel loco. Nec ipſis Magiſtris permittitur, niſi in prædicto caſu, Scholaſticiſque Functionibus, ſalvis ſemper Privilegiis, ac peculiaribus Ritibus Sacroſ. Patriarch. Baſil. Aſſiſ. S.P. Franciſci). Mox SS. Sacramentum, vel Crucem Altaris genuflexione ſalutabit. Auditoribus inde debitam exhibebit reverentiam, ſed peculiarem Celebranti, atque Perſonis Inſignibus, ſi interſint: cæteris verò generatim ac ſine mora.

3. Poſtmodùm caput Bireto cooperiet, aliquantulùm in Sede quieſcet, ac ſe componet. Tùm detecto capite erigens ſe, manibus junctis, oculiſque ad Deum elevatis, ac Biretum præ manibus tenens, ſignabit ſe ſigno Crucis a fronte ad pectus, dicens ſubmiſſa voce: *In Nomine Patris*..., & manus junget ad *Amen*. (Quidam verò dicto Crucis ſigno aliud præmittunt ſuper os pollice dextero, ſecretò interim proferentes *Domine labia mea aperies*.... Et alii, præſertim Galli, facto ſibi Crucis ſigno dextera extenſa, dictoque intereà clara voce *In Nomine Patris*..., illicò Exordium incipiunt: quo expleto Salutationem Angelicam genibus flexis recitant, atque de more Sermonem proſequuntur). Mox versùs Altare genuflexus, Dominicis etiam diebus, voce Clara & devota Salutationem Angelicam recitabit, non *Regina Cœli lætare*... etiam Tempore Paſchali, ex Cærem. Epiſc. lib. 1. cap. 22. num. 3. Qua completa aſſurget, Textum incipiet, ſuamque Concionem operto capite proſequetur de more.

4. Cùm *SS. Jeſu* & *Mariæ* Nomina proferet, caput

caput diſcooperiet: parciùs tamen vocabulis illis utetur in ſignum reverentiæ, ſed potiùs Nomine *Chriſti*, vel *Dominæ noſtræ*, aut aliis conſimilibus. Item diſcooperiet ſe ad Nomina *S. Franciſci*, & Sancti de quo habebitur Oratio, ad Nomen Papæ viventis, & Cardinalis, vel Epiſcopi Ordinarii præſentis.

5. Coram Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento publicæ Fidelium adorationi propoſito, Sermo regulariter haud habebitur; ſecùs Religioſus concionaturus Stolam albi coloris ſuper Cottam induet, ſtabitque continuò detecto penitus capite, etiamſi Velum Sanctiſſimo opponatur; & brevì expediet ſe.

6. Si coram Cardinali, Legato Sedis Apoſtolicæ, Patriarcha, Archiepiſcopo, vel Epiſcopo in locis eorum jurisdictionis concionari contingat; tunc Sermocinaturus, comite Cæremoniario, ad Prælatum cum debitis reverentiis accedet, ejuſque manum genuflexus deoſculabitur. Exinde Benedictionem inclinato capite poſtulabit, dicens *Jube Domne benedicere*. Qua accepta, mox ab eodem adhuc genuflexus Indulgentias (ſi dandæ ſint) expoſcet, dicens *Indulgentias*, *Pater Reverendiſſime*, vel *Eminentiſſime*. Quibus habitis, cum debitis reverentiis diſcedet, ac Suggeſtum conſcendet. Ante incœptam Concionem, & poſt primam Periodum, peculiarem & profundam exhibebit ipſi Prælato reverentiam, quam in fine etiam repetet. In decurſu Orationis, cùm Sermonem ad Prælatum convertet, caput profundè inclinabit, ac deteget.

7. Concione expleta, ſi dandæ ſint Indulgentiæ, genuflexus ibidem expectabit, donec Diaconus Confeſſionem cantaverit. Qua finita aſſurget, ſtanſque in eodem Pulpito, nudo capite, publicabit Indulgentias in forma a *Cærem. lib.* 1. *cap.* 25. præſcripta. Quibus annuntiatis, Benedictionem Prælati in eodem loco genuflexus reci-

recipiet, ac poſteà recedet. Quòd ſi prædictæ non concedantur Indulgentiæ, vel ab alio publicentur, Concionator mox diſcedet, finita Oratione, quin Benedictionem Populo de more elargiatur. Præſente autem extero Prælato inſignis notæ, priùſquam aliis benedicat, eidem Prælato profundè inclinabit ſe, ac deinde converſus ad aliam partem Populo dextera benedicet.

8. Si habendus ſit Sermo extraordinarius, veluti ad publicandum Jubilæum, vel pro Gratiarum Actione ad Deum, aut publicatione fœderis, ſeu in adventu alicujus Maximi Principis, vel ex alia quacumque ſimili occaſione, non fiet infra Miſſam, ſed illa finita. Ita pariter ſi in Miſſa de *Requiem* Concio habenda ſit, vel Oratio in laudem alicujus Magni Viri Defuncti, tunc fiet ſtatim finita Miſſa ante Abſolutionem, in habitu ordinario, & in Pulpito panno nigro cooperto, quin petatur Benedictio. Aliàs verò Sermo regulariter infra Miſſam erit de Evangelio currenti.

9. Si inter Miſſarum Solemnia concionandum ſit, Sermo habebitur ſtatim cantato Evangelio, & incenſato Celebrante; dummodò ipſa Concio, ut ſuprà dictum eſt, ſit de Evangelio currenti, aliàs fiet extra Miſſam. Quòd ſi Concionator ad Altare verba facturus ſit, tunc ſuper Scabello nudo in cornu Evangelii ſupra Suppedaneum parato aſſidebit: Celebrans verò medius inter Diaconum & Subdiaconum erit in ſuo ornato Scamno a parte Epiſtolæ; Nec Cerei Altaris extinguentur. Decentius tamen erit, ſi aperto capite apud Altare continuò ſteterit Orator. In principio ac in fine Orationis peculiarem edet Celebranti & Miniſtris reverentiam, cui ipſimet correſpondebunt, diſcooperiendo ac modicùm inclinando caput. Et expleto Sermone, Orator abſtinebit a Benedictione, utpotè danda a Celebrante in fine Miſſæ. Quòd ſi ipſemet Celebrans Verbum Dei erit annuntiaturus,

14. Quando in Miſſa Solemni Concionator poſt Salutationem Angelicam ſalutat Miniſtros Altaris, ſeu facit reverentiam, non eſt incongruum ſi Miniſtri Altaris, & ipſe Celebrans correſpondeant ſalutationi Concionatoris diſcooperiendo caput. S. R. C. 20. Jul. 1686.

CAPUT II.

De Sacriſta, ejuſque Officio.

1. SAcriſtæ munus cùm maximi præ cæteris ſit momenti; ideò ad hoc fidelis ac verè idoneus Cœnobita eſt ſeligendus, qui in Magiſterii gradu, ſi fieri poſſit, vel ſaltem in Ordine Sacerdotali conſtitutus ſit. Eligatur autem ex Decr. Sac. Congr. Epiſc. & Regular. 3. April. 1733. per ſecreta Suffragia a Patribus de *Domo* nuncupatis; ſin minùs, a Capitulo Conventuali: atque ſic electus, ſi in Cœnobio de Menſa Miniſtri Generalis ſit, annuatim ab eodem Miniſtro Generali confirmationem obtineat: Si verò ad Conventum Miniſtri Provincialis pertineat, ab eodem Provinciali pariter confirmetur.

2. Ejus præcipua cura erit, ut ea, quæ ad Sacroſanctæ Euchariſtiæ cultum ſpectant, nitidè conſerventur; locuſque, ſeu Tabernaculum, in quo cuſtoditur, diligentiſſimè ac fidis clavibus obſeretur. Item ut Lampades ante illam perpetuò ardeant, ac ſemel ſaltem in Hebdomada mutetur & renovetur, debitaque cum reverentia ad Infirmos Religioſos, vel etiam Sæculares, ſi Eccleſia annexam habuerit curam Animarum, deferatur.

3. Pariter circa Fontem Baptiſmalem, Chriſmatis, aliorumque Sacrorum Oleorum conſervationem, omnem adhibeat diligentiam juxtà præſcriptam ſibi ab Epiſcopo, & aliis ad quos ſpectat, methodum; niſi Curatus ipſe hanc provinciam ſuſceperit. Et quod ad Sacrum Oleum Infirmorum

6. Studeat, quantùm in ſe eſt, ut Paramenta Sacra, Vaſa, Libri, Ornamenta Eccleſiæ & Altarium, ac denique tota Suppellex Eccleſiaſtica ſana, integra, & munda conſervetur; eaque cùm attrita, vel lacera erit, omnino renovari, aptarique curet. Eccleſia item in omni ejus parte, tum in pavimento, tum in parietibus, columnis, fornicibus, & laquearibus, ac ſingula ejus Sacella, Pulpita, Confeſſionalia, Altaria, aliaque hujuſmodi munda ſemper, ac nitida ſint præſertim a pulvere, & telis aranearum; & peculiariter Sepulturæ cuſtodiantur, ne fœtor Cadaverum nauſeam Fidelibus pariat. Maximam inſuper adhibeat diligentiam, ne a Sæcularibus, vel aliis quibuſcumque vana, prophanaque colloquia, indecentes actiones, deambulationes, ſtrepitus, clamores, aliave hujus generis Sacras Fidelium, Religoſorumque Orationes turbantia fiant; nevè Domus Dei, quam maxima decet Sanctitudo, ejus permiſſu Domus negotiationis efficiatur.

7. In Sacriſtia pariter munditiam & nitorem perpetuò vigeat curet. Ab ea Laicorum frequentia, indecentes ſermones, jurgia, rixæ, actuſque prophani quàm longiſſimè juſſu ejus removeantur. Sacrarium nitidum ſemper & clauſum teneat, cujus fovea ſit ſubtùs terram, in quod effundat luſtralem Aquam veterem, aquam item poſt lotionem Corporalium, Purificatoriorum, Calicum, ac denique omnia, quæ Sacri Canones in illud immittenda ſtatuerunt. Manutergia pro abſtergendis Sacerdotum manibus in promptu habeat; eaque ſint munda, quemadmodùm Fontes ipſi, ac præcipuè illi, qui Aquam benedictam continent.

8. Ad eum etiam ſpectat, ut habita ratione loci, temporis, ac Feſti, indicentur Divina Officia, Miſſæ, elevatio SS. Sacramenti, ſeu *Sanctus* in Miſſa majori, & alia hujuſmodi. Ut Matutino, Meridiano, ac Veſpertino

tempore, ſingulis diebus Salutationis Angelicæ ſignum detur. Item ut Eccleſia tuta ſit a Furibus, debitiſque horis claudatur & aperiatur.

9. Obſervet ut pro tempore, Dierumque Feſtorum qualitate, Eccleſia ac ſingula illius Sacella & Altaria decenter ornentur, prout fuſiùs in cap. 1. part. 4. dictum eſt. Cùm Miſſæ & cætera Divina Officia ſolemniter celebranda erunt, ipſe peculiarem curam gerat, ut Ara Princeps, Abacus, Sedes, Chorus, & Sacriſtia neceſſariis rebus ac ornamentis opportunè inſtruantur, ne eorum aliqua deeſſe contingat, in quibus perquirendis & expectandis, indecenter atque incommodè tempus teratur. Paramenta pretioſa ab aliis minùs pretioſis ſeparata conſervet; eaque juxta diverſos colores in diſtinctis Armariis collocet, ut faciliùs inveniantur; neque ea, quoad fieri poteſt, plicet, ſed extenſa reponat. Thymiamata, paſtillas, herbas, & aquas odoriferas pro Feſtis Solemnioribus, & qualificatis Perſonis, apud ſe retineat, eiſque linteamina aſpergat. Res quaſcumque Sacras, ſive Sacro cultui dicatas oppignorare, alienare, vel etiam aliis accommodare non præſumat. Utque nihil Eccleſiaſticæ Suppellectilis depereat, Indicem ſeu Inventarium habeat, cujus tranſumptum in Archivio Conventus aſſervetur, in quo omnia præſertim pretioſiora deſcripta ſint.

10. Quod verò ad Miſſarum celebrationem pertinet, (in quo ſua & Superioris conſcientia ſpecialiter oneratur) quàm maximam adhibeat diligentiam, ut Populis, piiſque Benefactorum voluntatibus fiat ſatis. Habeat itaque in loco conſpicuo Sacriſtiæ Tabellam univerſarum obligationum, in qua Altarium nomina, & obligationum cauſæ deſcribantur. Alium inſuper retineat Librum, in quo Miſſæ ſingulis diebus celebrandæ notentur: deſcribantur autem Sacerdotum nomina, Altaria ubi celebrandum erit, obligationes quibus ſatisfaciendum erit,

erit, & an pro Vivis, vel pro Defunctis offerendum ſit, & qualitas Miſſæ. In altero item Libro eleemoſynas pro Miſſis Votivis quotidiè obvenientes, & Sacerdotes iiſdem ſatisfacientes fideliter adnotet; & in Refectorio diebus ſingulis coram omnibus vernacula lingua ipſe, vel alius perlegat. Præfatos autem Libros cautè aſſervet, ut tempore Viſitationum Superiores Majores an ſatisfactum fuerit, necne, diſtinctè agnoſcere valeant. Miſſas ità diſtribuat, ut Populo commodè fiat ſatis; & ideò Sacerdotes ipſius evocati ſigno, vel juxta Tabellam in præcipuis Conventibus a Vicario quolibet Sabbato conficiendam, ad celebrandum promtè accedant. Si quis autem ex indiſpoſitione, vel gravi neceſſitate Sacrum facere nequeat, vel tali aſſignata hora, Sacriſtam opportunè præmoneat, ut in ejus locum ſufficere alium poſſit.

11. Dictas oblationes, quæ pro Miſſis celebrandis in dies deferuntur, parcè ità admittat, ut iis brevì, ideſt infrà duos Menſes ſaltem, ſatisfieri poſſit; aliàs vel non recipiat, vel aliis cum debita facultate eaſdem tradat. Si eleemoſynæ hujuſmodi quotidianæ exiguæ fuerint, ac inſufficientes, eas non accipiat; alioquin exiguitate non obſtante, ad ſatisfactionem vel reſtitutionem penitùs obligatur. Onus itaque ſibi injunctum conſideret, & fideliter adimpleat, ne ſanguis Animarum de manu illius requiratur; ideòque probatos hac in re legat Auctores, Sanctiones præſertim Conciliorum, Summorum Pontificum, ac Sacrarum Congregationum.

12. Nullum Presbyterum ſive Sæcularem, ſive Regularem, peregrinum, ac ſibi ignotum, ad rem Sacram peragendam admittat, niſi priùs commendatitias Ordinarii, vel ſui Superioris litteras recognoverit. Nulli extraneo permittat miniſtrare Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ extra Miſſam. Sacerdotes item ad Altare acccedere non ſinat cum calceis fœdis,

ocreis, aut cothurnis, vel ſine habitu convenienti, Bireto aut Collari. Iccirco habeat pro Presbyteris Sæcularibus Bireta Clericalia, Amictus breviores, & Tunicas ſaltem dimidias, ac pro quibuſcumque Sacerdotibus plura Crepidarum paria. Omnia demùm providere ſtudeat, quæ ſecundùm Eccleſiæ Ritum & conſuetudinem neceſſaria erunt. Verùm cùm omnibus vacare non poſſit Sacriſta, præſtò illi ſint Coadjutores plures vel pauciores pro Eccleſiæ neceſſitate: quibus, ac ipſi etiam Sacriſtæ præficiatur Cœnobita aliquis ex Dignioribus *Sacriſta Major* dictus, ut ſuprà electus.

CAPUT III.

De Vicario Chori.

1. IN ſingulis Eccleſiis, ſaltem Inſignibus Ordinis, a Superiore deputetur Religioſus, cujus præcipuum ſit Officium Chorum univerſum regere & gubernare. Is in primis Cantum firmum, ſeu Gregorianum, ac etiam, ſi fieri poſſit, figuratum apprimè calleat. Robuſti ſit pectoris, vocis plenæ, gravis & conſonæ, ut Cantum ac Pſalmodiam regere, moderari, & ſuſtentare poſſit. In Rubricis inſuper Miſſalis ac Breviarii Romani, aliiſque Cæremonialis, & Ritualis pariter Romani Sacris Ritibus quammaximè ſit verſatus, ut diebus ac horis a Superiore præſcriptis jejunos in his facultatibus Cœnobitas benignè erudire queat.

2. Quolibet Sabbato Tabellam in perſpicuo indè Sacrarii loco affigendam conficiat, in qua Sacerdotes præfixis horis celebraturi deſcribantur, quemadmodum & Hebdomadarius, Diaconus & Subdiaconus, aliique Officiales Eccleſiæ, & Viſitatores Infirmorum, Sacris autem recur-

currentibus extraordinariis Actionibus, aut Solemnitatibus, nonniſi conſulto ipſo Cæremoniarum Magiſtro, Miniſtros in Tabella deſignet. Aliam pariter Tabulam, ſingulis Menſibus diſponat, niſi adſit Directorium, in qua accuratè deſcribatur Ordo Divini Officii; eaque in Choro loco patenti affigatur.

3. Diu, noctuque Divinis Officiis, Miſſis, Proceſſionibus, aliiſque Sacris Functionibus continuò, excepta gravi neceſſitate, adſit; ideòque ab omnibus aliis curis ſit expeditus. Sedes illius in Choro ea ſit, quæ prima eſt in ordine Sedium inferiorum, ab ea parte ubi eſt *Chorus*, vel ex altera parte, ſi in priori ſedeat Hebdomadarius non paratus, utì omninò convenit. Præcipuam autem adhibeat diligentiam, ut diſciplina cantandi & pſallendi ab omnibus exactè ſervetur, maximè illa de debita pauſa in medio Verſuum, de ſummo conſenſu ac concordia Canentium, de tarditate, vel acceleratione, ſeu elatione, aut depreſſione vocis, pro qualitate Notarum, Ritus Officii, Solemnitatis Diei, & concurſus Populi; denique ut omnia ritè, moderatè, ac exactè fiant, ne, ſi fieri poſſit, error committatur. Licentiam etiam habeat ab una ad aliam Chori partem comiter transferendi Religioſos, ſi neceſſitas adſit, ut hinc indè æqualiter Cantus, vel Pſalmodia pronuncientur.

4. Quæ omnia ut ſine ſtrepitu perficiantur, Superioris cura erit omnes & ſingulos de Choro præmonere, ut ipſi Vicario, in his quæ ad munus ſuum ſpectant, ſine ulla contradictione pareant; ita ut præcipuè in aſcenſu aut deſcenſu vocis & Cantus, in feſtinatione aut protractione Pſalmorum vel Cantus, in pauſis & intonationibus, cæteriſque hujuſmodi ſe illi omninò conforment. Errantem quoque ipſe Vicarius modeſtè ac leniter verbis, ſolovè nutu corrigere poterit.

5. Vicarius, Magiſtri Seminariorum, ac Cæremonia-

moniarum inter ſe omninò conveniant, ne reprehendi ab aliis jure poſſint, qui docere & inſtruere omnes debeat. Quilibet igitur intrà limites ſui Officii ſe contineat, eique ſtudeat. Novitii, vel Profeſſi ab eorum reſpectivis Magiſtris dirigantur & corripiantur. Præſente Cæremoniario parato, Vicarius ad moderationem Cantus dumtaxat, vel Pſalmodiæ attendat.

CAPUT IV.

De Sacris Benedictionibus.

1. SAcerdos aliquid extra Miſſam benedicturus, Superpelliceum ſaltem, ac Stolam convenientis coloris induat. Secum habeat Miniſtrum Cotta pariter amictum, qui Vas luſtralis Aquæ cum Aſperſorio & Libro deferat, atque, cùm opus fuerit, reſpondeat. Benedictiones autem apud Altare regulariter in cornu Epiſtolæ fiant, duabus ardentibus Candelis. Nonnullæ tamen peragi queunt in Sacriſtia, vel Oratorio, aut alio loco decenti; & cùm iſtæ privatæ ſint, Sacerdos ſola poterit uti Stola abſque lumine.

2. Stans ſemper benedicat, & aperto capite, manibuſque junctis. In principio cujuslibet Benedictionis præmittat ℣℣. *Adjutorium noſtrum in Nomine Domini*, & *Dominus vobiſcum*. Subinde clara voce Orationem propriam, vel Orationes ex Pontificali, vel Rituali, ſeu Miſſali Romano deſumtas legat; ſignumque Crucis dextera extenſa producat, ubi hæc inſcribitur nota ✠. Completa Oratione, vel Orationibus, rem, vel Perſonam ter aſpergat Aqua benedicta, hoc eſt in medio, a dextris, & a ſiniſtris rei, nihil dicens; & ubi notatum fuerit, pariter incenſet.

3. Caveat ne quid indecens, veluti eſculenta Altari

tari ſuperponat, ſed quod ejuſmodi eſt, collocet a parte Epiſtolæ ſuper Abacum. Caveat item ne Benedictionis cauſa quicquam exigat, aut petat, ſed ſponte dumtaxat nomine eleemſynæ oblata accipere valeat.

4. Noverit inſuper Sacerdos quæ Benedictiones ad ipſum, & quæ ad Parochum, necnon Epiſcopum pertineant, ne falcem in meſſem alienam mittat. Quicumque igitur Sacerdos etiam ſimplex ac ſubditus benedicere poteſt luſtralem Aquam, Candelas, Cineres, Ramos, Agnum Paſchalem, Ova, Panem, novos Fructus, & quodcumque aliud comeſtibile, cùm in genere, tum in ſpecie; item locum, Thalamum, Peregrinos ad loca Sancta euntes, & ab eis redeuntes, Oleum ſimplex, novam Domum & Navim, necnon alias Domos extra Sabbatum Sanctum, Fruges, Vineas, Campos, Bombyces, Animalia in Feſto S. Antonii Abbatis, Guttura in die S. Blaſii, Ægrotos, & alia ſimilia, niſi obſtet legitima conſuetudo in contrarium. Ad Parochum autem ſpectat Benedictio Puerperarum, (niſi contraria alicubi adſit conſuetudo) Sponſorum, Aquæ in Sabbato Sancto intrà functionem, & Domorum in Vigilia Paſchæ.

5. Omnes Prælati Ordinis, Generalis videlicet, Provinciales, Cuſtodes, & Guardiani, eorumque Vicarii, ſeu Præſidentes, illis abſentibus per ſpatium ſaltem 24. horarum, ex ampliſſimis Sedis Apoſtolicæ privilegiis, ac præſertim ex conceſſione Sixti IV., & Leonis X. poſſunt per ſe Solemniter benedicere Eccleſias, Altaria, Oratoria, Cæmeteria, Miſſalia Indumenta, Corporalia, Pallas, Purificatoria, Pyxides, Planetas, ac denique omnia alia ornamenta ad Divinum cultum & Eccleſiæ miniſterium deſervientia, in quibus Sacra unctio non adhibetur, & pro uſu dumtaxat Eccleſiarum ſibi ſubditarum, ac conſequenter Tertiariorum & Monialium ſub regimine eorumdem exiſtentium.

6. Poſ-

Digitized by Google

6. Poſſunt iidem Prælati dictas Eccleſias ſeu Cæmeteria qualibet ſanguinis, vel ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, tum ante pollutionem conſecrata, tum dumtaxat benedicta reconciliare, quoties opus fuerit, Aqua per Epiſcopum Diœceſanum benedicta. Quòd ſi Epiſcopus per duas dietas, hoc eſt 40. milliaria Italica diſtaret, vel Sedes vacaret morte, aut renuntiatione, ſeu depoſitione, Aquam ab ipſis Minoritis benedici Leonina Conſtitutio permittit. Ex Privilegio item Pauli III. poſſunt Prælati Regulares benedicere Cruces, Imagines Sacras, Libros, Arma, Vexilla, & ſimilia.

7. Ad Epiſcopum tamdem Diœceſanum pertinet conſecrare Eccleſias, Altaria, Calices, Patenas, Campanas, ac alia hujuſmodi, in quibus Sacrum Chriſma adhibetur. Ubi verò Antiſtes tertiò cum humilitate & reverentia requiſitus, prædicta conſecrare recuſaverit, vel neglexerit abſque legitima cauſa, vel gratìs conſecrationem peragere noluerit; tunc poterunt Prælati Ordinis ex privilegiis Apoſtolicis quemlibet alium Catholicum Epiſcopum adire, atque ab eo præfata petere & recipere. Quod Privilegium adverſari non videtur Decretis Concil. Trid. ſeſſ. 6. de Reform. cap. 5. cùm Conceſſio prædicta in Concil. Lateran. facta a Leone X. multùm ſit conformis juri communi, & cap. 1. de ſupplenda neglig. Prælat. ubi Alexander III. in ſimili propoſito eadem ferè ſtatuit.

8. Abbates, & alii Prælati Regulares non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. S. R. C. 24. Aug. 1609.

9. Pyxis, Oſtenſorium, & Corporalia, quæ immediatè inſerviunt SS.Sacramento, debent benedici juxtà formam, quæ habetur in Miſſali, propriam. S.R.C. 16. Nov. 1649.

10. Præ-

10. Prælati Epiſcopis inferiores Eccleſiaſticam Suppellectilem pro ſervitio dumtaxat ſuarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum benedicere valent. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Sept. 1659. in Decreto Generali §. 18.

11. Modus benedicendi alios, vel rem aliquam debet eſſe cum manu recta, & digitis ſimul junctis & extenſis. S. R. C. 24. Jul. 1683.

12. Benedictiones Mulierum poſt partum, Fontis Baptiſmalis, ignis, ſeminis, ovorum, & ſimilium, non ſunt de juribus merè Parochialibus, ſed Benedictiones Mulierum, & Fontis Baptiſmalis fieri debent a Parochis. S. R. C. 10. Decemb. 1703.

13. Cruces Altarium & Proceſſionum non ſunt benedicendæ de præcepto, poteſt tamen ſimplex Sacerdos eas benedicere privatim & non ſolemniter. S. R. C. 12. Jul. 1704.

CAPUT V.

De Sacris Reliquiis, ac Imaginibus.

1. IN ſolemni Sacrorum Lypſanorum oſtenſione, ſtatuta die pro locorum conſuetudine peragenda, eminens quidam locus eleganter ornetur, ut a Populo commodè videri poſſint. Sacerdos Pluviale ſuper Albam & Stolam coloris rubei induat, Miniſtri verò ſolam Cottam, vel Dalmaticam cum Alba & Stola ejuſdem coloris ſine Manipulis. Duo ſaltem Acolythi cum Funalibus accenſis continuò adſint. Paretur item Cotta alius Sacerdos, qui ex eodem loco alta voce indicet vernacula lingua Nomen Sancti, cujus Reliquia Populo veneranda exhibetur. Oſtendantur autem abſque Benedictione; Salvatoris item Reliquiæ ſine Benedictione exhibeantur,

 ſed

ſed prævio ſuavi duplicium Campanularum ſonitu. Ultimò Sacerdos impoſito ac benedicto de more Incenſo, inſigniorem aliquam Reliquiam D. N. J. C. præſertim SS. Crucis triplici ductu ſtans thurificet, facta ante & poſt genuflexione, & cum illa genuflexum Populum benedicat. In privata autem oſtenſione, ac etiam publica expoſitione ſuper Altare, ſerventur ea, quæ dicta ſunt in cap. 2. num. 4. hujus 5. part.

2. Sanctorum Corpora nullo modo reponantur in Arca Cryſtallina ſuper Altare, cùm id a Ritu & Eccleſiæ uſu alienum ſit, quæ ſolet Corpora Sanctorum tenere ſub terra, vel intrà Altaria, ſupra quæ tremendum offertur Sacrificium. Proinde conſtruendum elegans Altare marmoreum, intrà quod ritè priùs conſecratum Corpora reponantur ſic, ut ea diſtinctim collocentur intrà tres arculas plumbeas; ſin verò aliter videatur intrà unam, ſeparatim tamen per intervalla, accedente præſentia Ordinarii a S. Sede delegati. Ipſa autem involvantur ſericis pannis coloris convenientis ordini eorum, putà Confeſſorum vel Martyrum; atque intrà eamdem capſam vel capſas lamina ænea cum litteris aptè ſculptis continens Sanctorum Nomina & tempus, quo illic fuere collocati, ac notitiam loci, ex quo translati fuere. Inſuper conſtruenda erit Tabula marmorea vel ænea, & loco Eccleſiæ conſpicuo affigenda, qua conſtet intrà ejuſmodi Altare eſſe Corpus, vel Corpora ejuſdem Sancti, vel Sanctorum, qui illuc translati ſunt, addito expreſsè id factum eſſe de licentia Suæ Sanctitatis. Poterunt autem particulæ modicæ Reliquiarum dictarum reſervari, ut hierothecis decentibus in eorumdem Sanctorum Feſtis, aliiſque Solemnitatibus Populo ſupra Altare venerandæ exponantur. Ita reſponſum a Sac. Cong. 1592. refert Benedictus XIV. lib. 4. de Canonizat. Sanctorum part. 2. cap. 25. num. 3.

3. Re-

3. Reliquiæ, quibus in Altaris conſecratione utitur Epiſcopus, debent eſſe Sanctorum ab Eccleſia approbatorum. Sac. Cong. 13. Sept. 1593.

4. Tolerari non debet quòd in locis publicis & ſordidis ſtent depictæ diverſæ Cruces, ac Sanctorum Imagines in deriſum Chriſtianæ Religionis. Sac. Cong. 22. Maii 1596.

5. Una Clavis Reliquiarum Sanctorum concedi poteſt Magiſtratui Sæculari. S. R. C. 8. Maii 1604.

6. Corpora Sanctorum nondum Canonizatorum non poſſunt poni ſub Altari. Sac. Cong. 16. Octob. 1604.

7. In Choro teneri non debent aliæ Imagines quàm Sanctorum. Sac. Cong. 7. Aug. 1609.

8. Reliquiam deferre in Proceſſionibus pertinet ad Superiorem Conventus, unde Reliquia aſſumitur, qui cum Miniſtris paratis ultimo loco incedere debet, ſed Regulares debent in dictis Proceſſionibus cedere digniorem locum Clero Sæculari. S. R. C. 23. Januarii 1610.

9. Imagines illorum, qui cum Sanctitatis, ſeu Martyrii fama deceſſerunt, non ſunt apponendæ in Oratoriis, vel Eccleſiis tam Sæcularibus quàm Regularibus, antequàm declarentur Beati; neque ad eorum Sepulchra accendendæ ſunt Lampades, aut Tabellæ affigendæ ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Non ideò tamen præjudicandum erit in aliquo illis, qui aut per communem Eccleſiæ conſenſum, vel immemorabilem temporis curſum, aut per Patrum, Virorumque Sanctorum ſcripta, vel longiſſimi temporis ſcientia, ac tolerantia Sedis Apoſtolicæ, vel Ordinarii coluntur. Sac. Cong. 13. Mart. 1625.

10. Spinæ de Corona D. N. J. C. inter Reliquias Inſignes computantur, & ſpeciali nota & cultu dignæ ſunt. S. R. C. 21. Jun. 1632.

11. Beatorum Imagines, etiam non principaliter, & utì ſupplices appoſitæ, Simulacra, picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara geſta repræſentantes, aut referentes, in Eccleſiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuſcumque, & præſertim in quibus Miſſæ Sacrificium, vel alia Divina Officia peraguntur, inconſulta Sede Apoſtolica nullo modo exponi debent. Item ubi indultum fuerit per Sedem Apoſtolicam, Imagines, Simulacra, pictaſque Tabellas in Eccleſia poni, & coli poſſe in pariete tantùm, non tamen ſupra Altare collocandi facultas tributa cenſetur. S. R. C. coram Alexandro VII. 27. Sept. 1659.

12. Ubi indultum fuerit, ut Miſſa de aliquo Beato celebretur, licitum eſt ejus Imaginem & Simulacrum ſuper Altari exponere, necnon votivas Tabellas illi appendere. S. R. C. 17. April. 1660.

13. Reliquiæ Sanctorum, quæ deferuntur in Proceſſionibus per Civitates & Oppida, non debent deferri ſub Baldachino. S. R. C. 23. Mart. 1686.

14. Ante Sacras Reliquias expoſitas ultrà Lampadem debent continuò ſuper Altare ardere duo ſaltem lumina; aliàs Reliquiæ non exponantur. S. R. C. 22. Januar. 1701.

15. Dedecet quod Sacra Corpora, & Reliquiæ SS. Martyrum, quorum Zelotypus eſt Chriſtus, & ſpecialiter Inſignes collocentur & conſerventur in Domibus privatis, & apud Laicos, cùm ſint cuſtodiendæ & adorandæ religioſè in Eccleſiis. In Alma Urbe non conceduntur Corpora integra, nec Reliquiæ Inſignes, niſi petentes deferant litteras Ordinarii Loci, a quo exponatur qualitas Eccleſiarum, in quibus debent collocari & decenter cuſtodiri. Excipiuntur tamen in hac prohibitione Magni principes & conſpicui Eccleſiæ Prælati. Et ne pietas aliorum Fidelium hiſce omninò privetur Sacris Theſauris,

ſauris, eis conceduntur Reliquiæ minùs Inſignes. Clemens XI. 19. Febr. 1704.

16. Ubi adeſt conſuetudo immemorabilis, licitum eſt Spinam D. N. J. C. præſertim in Paraſceve, capite aperto, ſub Baldachino proceſſionaliter deferre. S. R. C. 12. Jul. 1704.

17. Poſt expoſitionem Reliquiæ SS. Crucis, vel poſt ejus delationem in Proceſſione, benedicendus eſt Populus cum ipſa. S. R. C. 15. Sept. 1736.

18. Reliquia SS. Crucis non eſt incenſanda a Celebrante genuflexo. S. R. C. ut ſupra.

19. Non eſt genuflectendum a Clero proceſſionaliter tranſeunte ante Altare, in quo recondita eſt Reliquia SS. Crucis. S. R. C. ut ſupra.

20. Conſuetudo deferendi Reliquiam SS. Crucis manibus opertis cum Velo a ſpatulis pendente, poteſt retineri. S. R. C. 16. Sept. 1741.

21. Cùm Rubrica Miſſalis de Introitu num. 5. præſcribat, quòd incenſata Cruce, incenſentur & Reliquiæ, ſeu Imagines Sanctorum; quæritur an Imagines Sanctorum debeant habere incluſas Sanctorum Reliquias juxta Quarti part. 2. lib.4. de Introitu, & Merati tom.1. part. 2. tit. 4. Reſponſum fuit non eſſe de neceſſitate in ſculptis Sanctorum Imaginibus in Altari diſpoſitis ſacras includere Reliquias, ad hoc ut incenſata Cruce valeant illæ a Celebrante thurificari. S.R.C. 21. Mart. 1744.

22. Imagines Beatorum pingi, ornarique poſſunt laureolis, radiis & ſplendoribus, non autem Diademate juxta Decretum Sac. Rit. Cong. 19. Feb. 1658. ab Alexandro VII. confirmatum, quod rursùs a Benedicto XIV. die 6. Sept. 1744. renovatum fuit, ut in ejus Bullario.

23. Tranſeuntes ante expoſitam Reliquiam SS. Crucis, utrùm debeant genua uſque ad terram flectere, vel etiam an ſufficiat ſemigenuflexio; & utrùm eadem genu-

genuflexio facienda ſit ante prædictam Reliquiam SS. Crucis, quæ licet non ſit expoſita, aſſervatur tamen occluſa in aliquo Altari; aut etiam quando expoſita eſt, ſed non apparet, ex eo quod pars hæc, quæ reſpicit Populum, habeat figuram Chriſti Crucifixi? Et reſponſum fuit: Si in loco principe Reliquia SS. Crucis ſuper Altare fuerit expoſita, tunc tranſeuntes ante illam unico genu uſque ad terram flexo venerari debent, diverſimodè verò ſola capitis inclinatione, ſi præfata Reliquia recondita erit intrà cuſtodiam. S. R. C. 7. Maii 1746.

CAPUT VI.

De Proceſſionibus.

1. SUpplicationes, quibus ab antiquiſſimo Sanctorum Patrum Inſtituto Catholica Eccleſia vel ad excitandam Fidelium pietatem, vel ad commemoranda Dei beneficia, eique gratias peragendas, aut ad Divinum implorandum auxilium uti conſuevit, ea religione, ea modeſtia, eaque gravitate a Cœnobitis celebrentur, ut Populus etiam ad devotionem invitetur.

2. Proceſſionibus itaque cùm generalibus, tum particularibus interfuturi, in Eccleſiam ſeu Sacrarium mox ſe conferent Univerſi, audito Campanulæ ſigno. Præibit Cœnobita aliquis Superpelliceo indutus, qui medius inter Ceroferarios Crucem elatam deferet, cujus haſta pendenti Flamine, ſeu Velo Paramentis Proceſſionis concolori obducetur. Imago autem Crucifixi terga vertet Clero ſubſequenti, quaſi Chriſtus præire videatur: Solius enim Papæ eſt, ac Archiepiſcoporum Crucifixum in faciem reſpicere, ut illius aſpectu in maxima Animarum cura recreentur.

3. Thuriferarius quandoque, ut in Proceſſione Candelarum & Palmarum, ante Crucem procedet cum Thu-

Thuribulo fumigante: interdum etiam ipſa Crux a Subdiacono parato deferetur juxta Proceſſionum diverſitatem. Succedent inde Religioſi bini & bini per ordinem, pari paſſu, & æquali inter ſe ſervata diſtantia, demiſſis oculis, corpore erecto, manibuſque intrà manicas ſub Caputio aptè compoſitis. Si Candelas, vel quid aliud præ manibus habuerint, qui a dextris incedit, dextra; qui verò a ſiniſtris, ſiniſtra manu illud geſtabit, altera ſub Caputio infra pectus appoſita. Si præcedentium numerus fuerit impar, duo ultimi medium habebunt Digniorem: qui tamen ſolus, ſi ſit Superior, incedere valebit. Cæremoniarius a ſiniſtris Celebrantis regulariter incedet: Cantores verò in medio Proceſſionis, ut ab omnibus audiantur.

4. Omnium poſtremus erit Celebrans Pluviali paratus, cujus fimbrias hinc inde elevabunt Diaconus & Subdiaconus. Quòd ſi ipſe Subdiaconus Miſſæ Crucem deferat, a ſiniſtris tunc Celebrantis incedet Diaconus, quin pluvialis illius oram attollat. Celebrantem in Proceſſione parvam aliquam Crucem in manibus geſtare non convenit, cùm jam ab alio una deferatur. Sacram tamen Imaginem, aut Reliquam gerere poterit, dummodò ante illam immediatè procedant duo ad minus Acolythi cum Cereis ardentibus, & uno Thuriferario cum Thuribulo fumigante.

5. Paramenta Proceſſionis regulariter erunt coloris, quem Officium, vel Miſſa, Feſtum, vel inſignis Reliquia, aut publicæ extraordinariæ neceſſitates, pro quibus de Ordinarii licentia habetur Supplicatio, requirunt. Aſſiſtentes autem Dalmatica & Tunicella cum Alba ſine Manipulo ſemper induentur ex Rubrica Miſs. Verùm ſi Proceſſio immediatè ante vel poſt Veſperas ſolemnes peragatur, Miniſtri non ſecus ac Celebrans cum Pluvialibus Veſperis concoloribus incedere poterunt.

In

In Supplicationibus autem SS. Sacramenti quocumque tempore peragendis, Sacros Miniſtros uti convenit Dalmatica cum Stola, & Tunicella ſine Manipulis.

6. Si ante Altare in quo eſt, vel elevatur, aut miniſtratur SS. Sacramentum, vel ſolemniter expoſita eſt Reliquia, tranſire occurrat, debitam omnes illi reverentiam exhibeant, excepto Crucifero, ac Celebrante, ſi Reliquiam aut Statuam deferat. Quando verò ipſummet Sanctiſſimum in Proceſſione geritur, iter & miniſterium ſuum proſequantur omnes, omiſſa quacumque genuflexione, vel inclinatione. Porrò genuflexiones & inclinationes æqualiter fiant, nec in converſionibus dextera vel ſiniſtra unquam deſeratur. Si locus, per quem tranſeundum eſt, anguſtior ſit, junior præcedat, ſtatimque, utì priùs, jungant ſe.

7. Supplicationes priùs habeantur, quàm Miſſa ſolemnis decantetur, niſi aliter ob gravem cauſam interdum videatur Majoribus, ex Rit. Rom. tit. de Proceſſ. Viæ item Proceſſionis diligenter mundentur, atque Cantica lætitiæ, vel luctus cum ſonitu Campanarum pro qua litate Supplicationis continuò reſonent. In Proceſſionibus autem SS. Sacramenti Celebrans illud deferens non cantet, ſed Hymnos & Pſalmos ſubmiſſa voce cum ſuis Miniſtris recitet.

8. Si ad aliquam Eccleſiam in via ſit divertentendum, in ejuſdem ingreſſu Univerſi denudent capita, luſtralem Aquam accipiant (niſi in ſupplicatione deferatur SS.Sacramentum) ac debitas Euchariſtiæ, necnon Aræ Principi exhibeant reverentias, excepto caſu ſuperius expreſſo. Cantores veò intonent, ac cæteri proſequantur Antiphonam Sancti Patroni illius Eccleſiæ; qua expleta, ab iiſdem Cantoribus dicatur Verſiculus, & a Celebrante Oratio, Miniſtris hinc inde Librum ſuſtinentibus. Tum egredientes, reſumtis Precibus, eodem revertantur ordine

dine ad propria, ubi congruè terminetur Proceſſio cum aliqua Antiphona, Verſu, & Oratione. Quòd ſi immediatè ſubſequatur Miſſa, aut Officium, prædictis omiſſis, in Sacrarium mox ſe conferant, Paramenta dimiſſuri.

9. Si Clerus Sæcularis, vel Regularis ad Eccleſias Noſtras proceſſionaliter devenerit, Religioſi (ubi talis eſt conſuetudo) obviam ibunt ipſi Proceſſioni uſque extra portam Eccleſiæ; ibique in alas conſiſtentes eam excipient. Cœnobita aliquis paratus ingredientes Eccleſiam luſtrali Aqua aſperget; Digniori verò Proceſſionis Aſperſorium per contactum miniſtrabit (exceptis Supplicationibus, in quibus defertur SS.Sacramentum, vel Sacræ Imagines, aut Reliquiæ Sanctorum, quarum occaſione luſtralis Aqua non adhibetur). Et interim pulſabuntur Campanæ ac Organa, & ſex Cerei ſuper Altare Majus ardebunt. Si Proceſſioni interfuerint Epiſcopus, Canonici, & Magiſtratus, pro iſtis ornata Scamna cum Pulvinaribus parabuntur, pro Epiſcopo verò Genuflexorium convenienti itidem tapete obductum cum duobus Pulvinis; & ipſi intranti exhibebitur Aſperſorium cum ſolitis oſculis, quo ſeipſum primò, ac deinde alios aſperget, excepto caſu ſupradicto.

10. Semel in aliqua cujuslibet Menſis Dominica celebrabitur Proceſſio Cordigerorum, & in ea cantabitur Hymnus *Decus morum*. Cùm ad Altare *S. P. Franciſci* perventum fuerit, Vicarius intonabit Antiphonam *Salve Sancte Pater*; qua finita, duo Cantores dicent ℣. *Ora pro nobis*, & Sacerdos Orationem *Deus qui Eccleſiam tuam .....*, ac tandem Populum benedicet cum Statua vel Reliquia Seraphici S. Patris, quam in Proceſſione detulit.

11. In Inſignioribus Eccleſiis, ubi frequens accurrit Populus, a Veſperis illius diei ad finem uſque Proceſſionis, ad Scamnum ſeu locum, ubi Cordulæ bene-

 nedi-

nedictæ præcinguntur, cum Stola a collo pendente reſidebit Superior, vel alter Sacerdos ab ipſo electus, coram ſe habens Ciſtellam cum Cordulis intùs, & prope eam Vaſculum luſtralis Aquæ cum Aſperſorio, Tabellam benedictionis, & Librum, in quo Nomina deſcribentur in Societatem ingredientium. Ubi tandem fieri ſolet Proceſſio Generalis eorundem Cordigerorum ſemel in anno, ea Solemnitate celebrabitur, quam poſtulat locorum conſuetudo.

12. Qualibet item Feria Sexta (niſi obſtet magna diei Solemnitas) poſt Completorium habebitur Supplicatio ad Altare SS. Crucifixi, prout in Rituali Ordinis; eaque devotione ab omnibus peragetur, ut ad Chriſti Domini mortem compatiendam circumſtantes incitentur.

13. Sabbato inſuper pluribus in locis poſt Completorium proceditur a Choro ad Altare B. M. V. Ordinis Noſtri ſub Myſterio SS. Conceptionis perpetuæ Patronæ, cantando Antiphonam propriam de tempore, vel *Egredimini, & videte Filiæ Sion Reginam veſtram...* Qua completa dicuntur Verſus & Oratio conveniens cum *Pater*, *Ave* & *Credo*; inde a duobus Cantoribus, vel ad Organum decantantur Litaniæ B. M. V. cum Antiphona *Tota Pulchra es...*, ℣. *In Conceptione tua...*, & Oratione *Deus qui per Immaculatam...* Poſteà Cantor dicit *Jube Domne benedicere*, & Sacerdos Altare conſcendens Populum dextera benedicit, dicendo *Nos cum Prole pia benedicat Virgo Maria*; & reſponſo *Amen* datur ſignum Salutationis Angelicæ. Ubi verò laudabilis hæc conſuetudo non fuerit, quantùm fieri poterit, introducatur.

14. Prætereà in multis Eccleſiis immediatè poſt Veſperas Die Dominico ſolet Proceſſio fieri per Eccleſiam ad aliquod Altare devotionis cauſa, nempe ad Aram Immaculatæ Conceptionis, vel *S. P. Franciſci*, aut S. Antonii Patavini, recitando Hymnum *Ave Maris Stella*, vel *Decus*

Digitized by Google

Decus morum, aut ℟. *Si quæris*: quæ piæ ac laudabiles conſuetudines ſunt retinendæ.

15. Servandum eſt Cæremoniale Epiſcoporum etiam in Generalibus Proceſſionibus; ita ut Fratres, ſeu Monachi, vel Ordines Regulares antecedant, & Presbyteri, ſeu Clerici Sæculares ſubſequantur, & ultimum locum obtineant, nec mixtim cum Regularibus incedant. Superiores verò dictorum Regularium numerum debitum, decentem & conſuetum Fratrum ad eaſdem Proceſſiones mittant. S. R. C. 30. Aug. 1602.

16. Baldachini Haſtæ in Eccleſia deferendæ ſunt, ut dicitur in libro Cæremoniali Epiſcoporum lib. 1. cap. 4. S. R. C. 30. Aug. 1602.

17. Abuſus antiqui in Proceſſionibus tollendi ſunt cum magna cautela, ne majora ſcandala ſequantur. Sac. Congr. 13. Maii 1603.

18. Poteſt Epiſcopus compellere Regulares etiam per cenſuras, ut accedant ad publicas Proceſſiones. S.R.C. 27. Jul. 1609.

19. Presbyteri alicujus Eccleſiæ intrà limites propriæ Parochiæ non poſſunt propriam Crucem erigere, ſed debent incedere ſub Cruce Parochiæ, licet Parochia ſit Regularium. S. R. C. 12. Mart. 1616.

20. Regulares deferre debent Crucem in Proceſſionibus cum Velo pendente, ſeu Pallio. S. R. C. 14. Jan. 1617.

21. Cæremoniarum Magiſter in Proceſſionibus incedit apud Celebrantem & ejus Aſſiſtentes; & ubique diſcurrit, quando opus eſt, pro ordinanda Proceſſione. S. R. C. 8. Maii 1617.

22. Confraternitates Laicorum in Proceſſionibus procedunt ante Regulares, quas iidem Regulares ſequuntur; poſtremò digniorem locum obtinet Clerus Sæcularis. S. R. C. 7. Aug. 1621.

23. In Eccleſiis Regularium habentibus Clauſtra, fiant Proceſſiones intrà Clauſtra tantùm; ſi verò non habeant Clauſtra, fiant prope muros Eccleſiæ, ſive exeundo ab una porta, & intrando per aliam Eccleſiæ portam, ſive per eandem. S. R. C. 26. Febr. 1628.

24. Extra ambitum Eccleſiæ non licet Regularibus facere Proceſſiones, niſi de licentia, & conſenſu Parochi, ſalvis Privilegiis, ſi quæ ſunt. Proceſſiones verò Confraternitatum non debent extendi per vias, ſed circa muros Regularium, qui eas regunt. S. R. C. ut ſupra.

25. Non licet Mulieribus comitari Proceſſiones per Clauſtra Monaſteriorum Regularium, niſi adſit expreſſa licentia Sedis Apoſtolicæ. S. R. C. 30. Sept. 1628.

26. Mulieres de cætero non poſſunt occaſione Proceſſionum ingredi ſepta Monaſteriorum Religioſorum, ſub pœnis quibus comprehenduntur Regulares permittentes fœminas ingredi ſepta eorum Monaſteriorum. S. R. C. 5. Jul. 1631.

27. Regulares in publicis Proceſſionibus non poſſunt prohiberi a Clero Sæculari, quòd incedant ſub propria Cruce, nonobſtante contraria conſuetudine. S. R. C. 2. Aug. 1631.

28. In Proceſſione intrà Eccleſiam incedendum capite detecto, & extra eam cum Bireto in capite. Sac. Congr. 30. Mart. 1633.

29. Regulares qui ſunt in poſſeſſione præcedentiæ, præcedant in publicis Functionibus; & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedant ii, qui ſunt antiquiores in loco controverſiæ. Sac. Congr. 6. Oct. 1645.

30. Nullo modo ſunt permittendæ duæ Proceſſiones de eodem Feſto in eodem loco, eodem die. Sac. Congr. 9. April. 1663.

31. Poteſt Epiſcopus concedere, etiam contradicente Parocho, licentiam Regularibus in die Feſtivita-

tis

tis alicujus Sancti præcipuè Fundatoris faciendi Proceſſionem cum Reliquia ejuſdem Sancti, & cum Confraternitatibus erectis intùs Conventum, & extra Clauſtra dicti Conventus, & intrà limites Parochiæ dictorum Regularium. S. R. C. 13. Jun. 1976.

32. In Proceſſionibus, in quibus defertur SS. Sacramentum, vel Lignum Crucis, tam Clerus quàm Sæculares detecto capite incedere debent; in aliis verò Proceſſionibus, in quibus deferuntur Reliquiæ, vel Statuæ Sanctorum, Eccleſiaſtici qui eas deferunt, detecto capite; alii verò Clerici poſſunt incedere tecto capite cum Bireto. Quando verò non geſtantur Reliquiæ, Magiſtratus ad inſtar Cleri poteſt incedere capite cooperto. S. R. C. 18. Jun. 1690.

33. Poteſt permitti quòd Sacerdos poſt Proceſſionem in Feſto alicujus Sancti, ſtans ad Altare Majus benedicat Populum, habens tantùm Superpelliceum & Stolam, ſicut in aliis Proceſſionibus, in quibus circumferuntur aliquæ Reliquiæ cum Alba, Stola, & Pluviali. S.R.C. 5. Jul. 1698.

34. Regulares, obtenta a Locorum Ordinariis licentia oretenus, vel in ſcriptis faciendi Solemnes Proceſſiones extrà limites Conventuum ſuæ juriſdictionis, cum Statua, aut Reliquia alicujus Sancti, poſſunt uti Pluviali, licet ejus uſus non fuerit expreſſus in licentia obtenta. Sac. Congr. 21. Mart. 1699.

35. Uſus Pluvialis in Proceſſionibus Solemnibus non eſt teſtimonium, nec ſignum juriſdictionis in utente Sacerdote. Sac. Congr. ut ſupra.

36. Eccleſiaſticis quibuſcumque tum Sæcularibus, tum Regularibus interdicitur uſus Pilei in quibuſvis Procesſionibus, excepto tempore pluviæ & noctis, prout diſponit Rit. Rom. tit. de Procefs. & ut ſæpè reſolvit Sac. Rit. Congr. Clemens XI. 9. Decem. 1704.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Proceſſionibus Litaniarum cùm Majorum in die S. Marci, tum Minorum in triduo ante Aſcenſionem Domini.

1. Religioſi univerſi hora ſtatuta manè in Eccleſia congregantur. Hebdomadarius in Sacriſtia induitur Amictu, Alba, Cingulo, Stola, & Pluviali, vel ſaltem Cotta & Stola violacei coloris; & ſi aſſiſtant ei Sacri Miniſtri, Dalmaticam cum Stola, & Tunicellam ejuſdem coloris ſine Manipulis accipiunt. Deinde prævia Cruce ab aliquo Cœnobita Superpelliceato delata inter duos Ceroferarios, ad Altare Majus tecto capite procedit; ubi præmiſſa inclinatione, vel genuflexione in plano, in infimo gradu genuflectit. Cæteri verò de Choro Antiphonam *Exurge Domine* cum Verſiculis ſtantes concinunt; qua repetita genuflectunt omnes, & duo Clerici, vel Cantores Cottis induti ante ipſum Altare Majus genuflexi, devotè Litanias Omnium Sanctorum cantare incipiunt, Choro reſpondente.

2. Ubi decantatum fuerit ℣. *Sancta Maria*, tunc & non priùs aſſurgunt omnes, ac ordinatim procedunt per Clauſtra & ſepta Monaſterii, Litanias ritu ſimplici proſequentes; & interim pulſantur Campanæ. In Eccleſiam reverſa Supplicatione, recta pergunt Acholythi & Crucifer ad Sacriſtiam, & Clerus in Chorum: Celebrans autem cum Miniſtris in imo Altaris gradu genuflectit. Tùm iidem Cantores ante Aram, ut ſuprà, genuflexi Litanias ad finem perducunt, Pſalmum inde *Deus in adjutorium* alternìs cum Choro decantantes in ſecundo tono. Quo expleto Sacerdos adhuc genuflexus ex Libro a Miniſtris ſuſtento preces in cantu ſubdit, mox Orationes ſtans, prout in Breviario Romano, deinde peracta Altari debita reverentia diſcedit.

3. Si

3. Si cum Clero Sæculari ad haſce Supplicationes celebrandas convenire ſoleant Religioſi Noſtri, tunc illa ſufficiet Proceſſio, quin alia intrà domeſticos parietes peragatur.

4. Ad imitationem harum Proceſſionum dirigi poſſunt & aliæ extraordinariæ, quæ fiunt quandoque vel juſſæ, vel permiſſæ ab Ordinario ad petendam pluviam, vel ſerenitatem, ad repellendam tempeſtatem, penuriam, famem, mortalitatem, peſtem, bellum &c. additis aliis precibus & Orationibus in Rit. Rom. aſſignatis: ubi notandum ℣℣. *A peſte*, *fame*, & alios neceſſitati congruentes bis repetendos eſſe ante ℣. *Per Myſterium Sanctæ Incarnationis tuæ*: illos autem *Ut a peſtilentiæ flagello ... Ut fructus terræ dare .....* poſt ℣. *Ut omnibus Fidelibus Defunctis*. Porrò in his Proceſſionibus pœnitentiæ cauſa inſtitutis, Hymni, vel Cantica lætitiæ non dicantur. Si verò celebrandæ ſunt Supplicationes ex cauſa lætitiæ, & pro gratiarum actione, aut etiam pro Tranſlatione Solemni inſignis Reliquiæ, ordinari poſſunt ad inſtar Proceſſionis SS. Sacramenti, de qua in prima parte; ſed omninò videatur Bauldry de his Proceſſionibus fusè pertractans part. 2. cap. 15. & 16.

5. Si Proceſſio Litaniarum Majorum terminetur ad Eccleſiam S. Marci, cantetur ibi Miſſa de S. Marco, non verò de Rogationibus. S. R. C. 23. Maii 1603.

6. Non poſſunt in Litaniis inſeri alii Sancti præter ibi deſcriptos, neque tempore peſtis (vel alia ſimili occaſione) addendi ſunt Titulares & Patroni Civitatis ſine ſpeciali conceſſione. S. R. C. 22. Mart. 1631.

7. Litaniæ Majores, ſi occurrant in die Paſchatis, transferantur in Feriam tertiam ſequentem. Sac. Rit. Congr. 25. Septembris 1627. Non in Feriam ſecundam. Eadem 19. Sept. 1665.

8. Occurrente Feſto S. Marci in die Dominico, in

in Miſſa Rogationum non dicitur *Credo*, quia eſt Miſſa Ferialis. S. R. C. 25. Sept. 1688.

9. Si in die S. Marci poſt Proceſſionem in Eccleſia minori cantetur unica Miſſa, ipſa debet eſſe de Rogationibus,& ſervanda eſt Rubrica Miſſalis Romani poſita ante Miſſam Feſti S. Marci, ubi præſcribitur quòd de prædicto Sancto cantanda eſt Miſſa tantummodò, quando Proceſſio terminatur ad Eccleſiam eidem Sancto dicatam, quemadmodum cavetur in Cærem. Epiſc. libr. 2. cap. 32. & decrevit Sac. Congr. 23. Maiii 1603. S. R. C. 10. Jan. 1693.

10. Occurrente Feſto S. Marci infra Octavam Paſchæ, in Miſſa Rogationum non eſt dicendum *Credo*. S.R.C. 5. Jul. 1698.

11. Si Feſtum S. Marci occurrat in die Paſchatis, Proceſſio cum Litaniis transfertur in Feriam tertiam ſequentem juxta Rubricam particularem Miſſalis; & ſi alicubi ſit abſtinentia, vel jejunatur, ſervanda eſt conſuetudo a Regularibus. S. R. C. 14. Febr. 1705.

12. In Litaniis Sanctorum pro diverſitate Functionum & Temporum aſſignatis, & in illis pro Animæ Commendatione, poſt Nomen S. Joannis Baptiſtæ, ſtatim adjungi debet illud S. Joſephi dicendo: *Sancte Joannes Baptiſta ora pro nobis. Sancte Joſeph ora pro nobis. Omnes Sancti Patriarchæ* &c. Benedictus XIII. 19. Decem. 1726.

13. In Feſto S. Marci, vel reſpectivè in Feriis Rogationum ſi fiat de Officio Duplici vel Semiduplici, in locis, ubi una tantùm Miſſa cantatur, pro majori Populi commoditate, ut poſſit poſt Proceſſionem vacare laboribus, convenientius eſt Proceſſionem facere poſt Nonam, inde cantare Miſſam Rogationum. S. R. C. 5. Maii 1736.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Solemni Receptione Prælati.

1. SI Cardinalis S. R. E., Legatus, Patriarcha, Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, præmiſſo adventus ſui nuntio, ad aliquam ex Noſtris Eccleſiis, quæ in loco ſuæ Juriſdictionis ſit, ſolemniter ac prima vice devenerit, debito honore & reverentia excipietur. Ac primùm Altare cùm princeps, tum SS. Sacramenti eleganter pro Feſti ac Temporis varietate ornabitur, cum ſex Candelabris & totidem Cereis deſuper ardentibus. Ante Aram Majorem, necnon Sacellum SS. Sacramenti (ſi ab illa diſtinctum fuerit) parabitur Genuflexorium periſtromate, vel tapete rubro, aut violaceo exornatum juxta Feſtorum & Eccleſiæ tempora, ac Perſonarum dignitatem, cum duobus Pulvinis concoloribus ſuperiùs & inferius. Alia item apponentur Pulvinaria ſuper Tapete extenſum ad januam Eccleſiæ intrà ipſam, coloris ut ſupra, ſuper quorum uno genuflexus Prælatus adorabit ac deoſculabitur Crucem privatè delatam ſine haſta, ac reclinatam ſuper unum ex dictis Pulvinis. Præparabitur inſuper ad Eccleſiæ ingreſſum ab intùs pretioſum Baldachinum cum haſtis; ac denique mundabitur locus, & floribus, vel frondibus in ſignum lætitiæ conſpergetur.

2. Hora præſtituta, Cœnobitæ univerſi extra portam Eccleſiæ proceſſionali ritu pergent: primùm duo Acolythi ſuperpelliceati, unus cum Thuribulo & Navicula Incenſi, alter a dextris ejus cum Vaſe luſtralis Aquæ & Aſperſorio; inde Clericus Cotta pariter indutus, Crucem cum haſta elatam deferens inter Ceroferarios; nunc Religioſi quotidiano Ordinis habitu amicti; ac tandem Superior Localis Pluviali pulchro albi

 colo-

coloris ſuper Cottam & Amictum paratus. Clericus de Cruce medius inter Ceroferarios locum ſumet ad dexteram portæ Eccleſiæ: Superior verò paratus ad dexteram Ingredientium propè januam, aliquantulùm poſt ſe habens Miniſtros de Incenſo & Aqua luſtrali. Cæteri Religioſi in alas hinc inde conſiſtent.

3. Adveniente Prælato, feſtivè pulſabuntur Campanæ, uſque dum Eccleſiam ingreſſus fuerit, & debitam illi omnes reverentiam exhibebunt. Tum Superior, ut ſupra indutus, ſtans nudo capite Crucem ei ſuper tapete & Pulvinum genuflexo oſculandam offeret, ac poſteà Acolytho reddet. Exinde porriget illi ſtanti Aſperſorium cum oſculis, quod Prælatus accipiens aſperget primò ſeipſum, deinde alios. Quo facto idem Superior cum ſolitis oſculis præbebit ei Naviculam dicens: *Benedicite, Pater Reverendiſſime*, vel *Eminentiſſime*, ſi fuerit Cardinalis; & impoſito cum benedictione Incenſo in Thuribulum ab Acolytho ſuſtentum, triplici ductu ſtans thurificabit ipſum Prælatum ſtantem, facta priùs & poſteà profunda capitis inclinatione.

4. His ad fores Eccleſiæ peractis, Prælatus a dexteris Superioris localis parati incedens ſub Baldachino a dignioribus Cœnobitis delato, ad Sacellum priùs SS. Sacramenti proceſſionaliter deducetur, Organis interim feſtivè tinnientibus. Ibi, amoto tunc Baldachino, (quod poſteà reaſſumetur in proceſſione ad Altare Majus) in Genuflexorio parato orabit: quod cæteri ſimiliter facient in plano. In ipſa Proceſſione, ſi Prælatus Epiſcopali Charactere fuerit inſignitus cantabitur in primo tono Antiphona:

Sacerdos & Pontifex, & virtutum opifex, Paſtor bone in Populo ſic placuiſti Domino.

Vel Reſponſorium tono octavo:

*Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo: * Ideo jurejurando fecit illum Dominus creſcere in plebem ſuam. ℣. Benedictionem omnium Gentium dedit illi*

*illi, & teſtamentum ſum confirmavit ſuper caput ejus. * Ideo. ℣. Gloria Patri. * Ideo.*

Si verò Prælatus recipiendus non fuerit Epiſcopus, etſi Cardinalis, cantabitur ſub tono ſeptimo Reſponſorium:

*Fidelis namque, & prudens diſpenſator in magni Patrisfamilias domo conſtitutus erat: * Ut conſervis ſuis menſuram tritici erogaret. ℣. Pro ſalute & augmento Gregis ſibi commiſſi cura pervigili ſollicitus erat. * Ut conſervis.*

Si autem duo, vel plures reciperentur Prælati, etiamſi non eſſent Epiſcopi, decantabitur ſub tono octavo Antiphona:

Vos eſtis Cives Sanctorum, & Domeſtici Dei, ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.

Cum aliis Hymnis & Canticis ad libitum:

5. Ubi ad Aram Maximam pervenerit Supplicatio, Acolythi peracta genuflexione ad Abacum recedent, ubi Candelabra cum Cereis accenſis deponent. Crux Proceſſionalis ad cornu Evangelii extra Altare locabitur, verſa Crucifixi Imagine ad Prælatum. Baldachinum verò in congruo loco extra Presbyterium relinquetur. Prælatus ſuper Pulvino & Genuflexorio ante infimum gradum in medio parato orabit, & omnes Cœnobitæ cum eo hinc inde in plano. Interim verò Superior Localis, ut ſupra indutus, exhibitis ipſi Prælato ac Altari debitis reverentiis, per gradus laterales accedet ad cornu Epiſtolæ; ibique ſtans detecto capite, in anteriori parte ſuper Suppedaneum, quaſi versùs orantem Prælatum, cantabit ex Libro ſuper Altare poſito:

℣. *Protector noſter aſpice Deus.*

℟. *Et reſpice in faciem Chriſti tui.*

Cum ſubſequentibus, ſi receptus ſit Prælatus aut Legatus, Epiſcopus vel Presbyter Cardinalis. Si verò ſit Diaconus

conus Cardinalis, omiſſo Verſu præcedente, ſequentes tantùm in cantu dicet:

℣. *Salvum fac Servum tuum.*

℟. *Deus meus ſperantem in te.*

℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*

℟. *Et de Sion tuere eum.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine exaudi Orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper hunc Famulum tuum, & cunctas Congregationes illi commiſſas, Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

6. Quibus expletis, cantabitur a Choro, vel a Cantoribus Antiphona Sancti Eccleſiæ Patroni ſeu Tituli; vel etiam S.P.Franciſci cum ſuis Verſiculo & Reſponſorio. Et interim Prælatus ſurgens a Genuflexorio Altare conſcendet, illud in medio deoſculabitur, ac deinde ſe recipiet ad cornu Epiſtolæ, ubi ſtans nudo capite ad ipſum Altare converſus, Orationem ejuſdem Sancti in cantu dicet, miniſtrante *Bugia* Clerico Cotta induto. Qua finita, ad medium Altaris reverſus Pontificalem dabit Benedictionem; atque a Religioſis deducetur ad fores uſque Eccleſiæ, vel ad Cœnobium.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Solemni receptione Regiæ Perſonæ.

1. SI Imperator vel Imperatrix, Rex aut Regina, Princeps ſeu Principiſſa magnæ potentiæ ad Eccleſias Noſtras publicè ac prima vice acceſſerit, obviam ei adibunt Univerſi proceſſionaliter extra portam Eccleſiæ, ipſumque ritu ſupra enarrato excipient. Superior localis Pluviali albo indutus, poſtquàm illi ſupra Pulvinar ac Tapete genuflexo Crucem oſculandam dederit, luſtralem Aquam porriget per Aſperſorii contactum, ac deinde alios circumſtantes in genere aſperget, omiſſa thurificatione. Dum ſub Baldachino proceſsionali ritu deducetur ad Altare, cantabitur pro Imperatore Antiphona octavo tono:

Ecce mitto Angelum meum, qui præparabit viam tuam ante faciem meam.

Pro Rege Reſponſorium ſub octavo tono:

*Elegit eum Dominus, * Et excelſum fecit illum præ Regibus terræ. ℣. Glorificavit eum in conſpectu Regum, & non confundetur. * Et excelſum. ℣. Gloria Patri. * Et excelſum.*

Pro Principe magnæ potentiæ Reſponſorium tono primo:

*Poſui adjutorium ſuper potentem & exaltavi electum de plebe mea. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. * Manus enim mea. ℣. Gloria Patri. * Manus enim mea.*

Pro Imperatrice, vel Regina, ſeu Principiſſa magnæ potentiæ Reſponſorium tono octavo:

*Iſta eſt ſpecioſa inter Filias Jeruſalem. * Sicut vidiſtis eam plenam charitate & dilectione in cubilibus & in hortis aromatum. ℣. Iſta eſt ſpecioſa, quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens. * Sicut. ℣. Gloria Patri. * Sicut.*

2. Poſt Antiphonam, ſeu Reſponſoria canentur alii Hymni

Hymni vel Cantica devota, prout magis placebit, donec Superior, ut ſupra indutus in cantu incipiat ad cornu Epiſtolæ pro Imperatore:

℣. *Deus judicium tuum Regi da.*
℟. *Et juſtitiam tuam filio Regis.*
℣. *Salvum fac* N. *Imperatorem noſtrum, Domine.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto.*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Fiat pax in virtute tua.*
℟. *Et abundantia in turribus tuis.*
℣. *Domine exaudi Orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus, in cujus manu ſunt corda Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Imperatori noſtro famulo tuo N. *regimen tuæ ſapientiæ appone, ut hauſtis de tuo fonte conſiliis, & tibi placeat, & ſuper omnia Regna præcellat.*

Prætende, Domine, quæſumus, famulo tuo N. *Imperatori noſtro dexteram cæleſtis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè poſtulat, aſſequi mereatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro Rege iidem dicentur Verſiculi, mutato dumtaxat verbo *Imperatorem*, in *Regem*.

Oremus.

Deus, cui omnis poteſtas, & dignitas famulatur, da huic famulo tuo Regi noſtro N. *proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro

Pro Principe magnæ potentiæ, omiſſo ℣. *Deus judicium tuum Regi da* cum ℟. dicetur ℣. *Salvum fac Principem* cum reliquis, ut ſupra.

Oremus.

Deus, cui poteſtas & dignitas famulatur, da huic famulo tuo Principi noſtro N. *proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

Pro Imperatrice, vel Regina ℣. *Salvam fac ancillam tuam Domine* cum reliquis, ut ſupra.

Oremus.

Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, ineffabilem clementiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Eſther Reginam Iſraëliticæ Plebis cauſa ſalutis ad Regis Aſſueri thalamum, Regnique ſui conſortium tranſire feciſti; ita hanc famulam tuam Chriſtianæ Plebis ſalutis gratia ad gratiam tuam tranſire facias, ut tibi ſuper omnia jugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ tibi placita ſunt, toto corde perficiat, & dextra tuæ potentiæ illam ſemper hìc, & ubique circumdet. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Pro Principiſſa magnæ potentiæ ℣. *Salvam fac ancillam tuam Domine* cum reliquis, ut ſupra.

Oremus.

Quæſumus omnipotens Deus, ut hanc famulam tuam ubique Sapientia tua doceat, & confortet; atque eam Eccleſia tua fidelem ſemper agnoſcat. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

3. Orationibus expletis, localis Superior Sacras deponet veſtes, atque Regiam Perſonam cum ſuis Religioſis comitabitur ad Cœnobium, vel uſque extra portam Eccleſiæ, non receſſurus donec præfata Regia Perſona prorſus abierit.

CAPUT

CAPUT X.

De receptione minùs ſolemni inſignis alicujus Perſonæ.

1. CUM Perſona inſignis notæ ſive Eccleſiaſtica, ſive Sæcularis ad Eccleſias Ordinis venerit, nec prima vice, nec in publica forma, pari quidem reverentia excipietur, ſed abſimili ritu. Altare SS. Sacramenti Paramentis coloris tempori congruentis decenter ornabitur, ac ſuper illud ſex accendentur Cerei. Præparabitur item coram illo Genuflexorium cum ſuo tapete & pulvinis.

2. Superior localis cum ſuis Cœnobitis obviam ibit ei ad fores Eccleſiæ, non tamen proceſſionaliter; atque Aſperſorium luſtralis Aquæ vel tradet ad manum, vel porriget per contactum juxta qualitatem Perſonæ. Deducet illam poſteà ad Altare, & finita oratione ad Cœnobium vel Eccleſiæ limen reducet cum debitis reverentiis. Organa autem feſtivè pulſabuntur ab ingreſſu ad exitum ejuſdem. Quòd ſi Divinis operari, vel intereſſe voluerit, Rituales Leges in Miſſali & Cæremoniali Epiſcoporum, ac etiam Noſtro demandatæ ſervabuntur.

3. Poſtremò ſi præfatæ inſignes Perſonæ devotionis gratia ad Eccleſiam convenerint privatè vel quaſi privatè, tunc Superior localis, ſumtis ſibi nonnullis Cœnobitis, ingredienti luſtralem Aquam exhibebit, ut ſupra, ad Eccleſiæ januam. Exinde comitabitur illam ad Genuflexorium, ac iterum ad Eccleſiæ portam, prætermiſſo Organorum ſonitu. Quo honore proſequetur etiam exteros magnos ac conſpicuos Viros, præſertim Eccleſiaſticos.

CA-

CAPUT XI.

De Solemni Receptione ac Viſitatione Miniſtri Generalis Ordinis, & Vicarii Generalis Apoſtolici.

1. CUM primò Generalis Miniſter (idem dicendum de Vicario Generali Apoſtolico) indicato adventu ſuo, Cœnobium aliquod erit ingreſſurus, eodem ſolemni ritu ſupra in Cap. 8. enunciato excipietur a Religioſis, his ſolùm demtis. Genuflexorii tegmen cum duobus Pulvinaribus, ac ſimiliter Tapete cum Pulvinis ad fores Eccleſiæ, erit ex panno laneo vel ſerico verſicolori, non autem rubro omnino, aut violaceo. Baldachinum non adhibebitur. Sedes elegans Cameralis cum brachiis præparabitur ante latus Evangelii ſupra Altaris Suppedaneum panno rubro coopertum. Cùm poſt adorationem Crucis, aſperſionem luſtralis Aquæ, ac thurificationem ad Altare proceſſionaliter deducetur medius inter Superiorem Localem paratum, & Provincialem Diœceſanum, vel eo abſente, Socium Ordinis (niſi Major adfuerit) cantabitur in tertio Tono Antiphona:

Ecce fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper Familiam ſuam.

Vel ℟. *Fidelis namque & prudens*..., ut ſupra ſub Tono ſeptimo. Et poſt Antiphonam, vel Reſponſorium, alii concinentur Hymni, vel devota Cantica ad libitum.

2. Dictis a Superiore Locali parato in cornu Epiſtolæ Verſiculis cum Oratione *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia*..., ſurget Miniſter Generalis a Genuflexorio, & facta Altari debita reverentia, ibit ad Sedem ſuam, ut ſupra paratam, in qua ſedens Bireto Clericali & Mantelletto coopertus (cum quibus Eccleſiam ingreſſus eſt) recipiet omnes (excepto Superiore

Locali Pluviali parato) ad obedientiam per manus oſculum, Provincialem primò inclinatum, ſi adſuerit, cæteros inde ordine ſuo genuflexos; & interim feſtivo ſonitu pulſabuntur Organa. Quo facto, deſcendet Generalis ab Altari, & in Genuflexorio iterum procumbet, donec Antiphona Sancti Eccleſiæ Tituli, ſeu Patroni, vel etiam Seraphici S. Patris *Salve Sancte Pater*... cum Verſiculo & Reſponſorio fuerit a Choro decantata, & Oratio ab ipſo Locali Superiore parato in cornu Epiſtolæ; qua finita ſurget, Altari debitam reverentiam peraget, atque omiſſa Benedictione, Cœnobium a Religioſis comitatus ingredietur.

3. Quòd ſi Miniſter, aut Vicarius Generalis Apoſtolicus Viſitationis gratia acceſſerit, eodem plane ritu excipietur, ſed loco Orationis *Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus*... ſequens dicetur.

Oremus.

Deus humilium Viſitator, qui eos paterna dilectione conſolaris, prætende Societati Noſtræ gratiam tuam; ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis ſentiamus adventum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℞. Amen.

4. Præſtita ab Univerſis obedientia, atque cantata in cornu Epiſtolæ a Superiore Locali parato Oratione Sancti Eccleſiæ Patroni, vel S.P.Franciſci, Miniſter Generalis, facta Altari reverentia, extra latus Epiſtolæ in plano ſe recipiet, ubi induetur Amictu, Superpelliceo, Stola & Pluviali nigri coloris: Socius verò ac Secretarius Ordinis Cottam dumtaxat ſument. Interim Localis Superior Indumenta deponet in Abaco, Sedes Cameralis ab Altari amovebitur, feſtivum Pallium nigro obducetur, ac denique Lectica ante idem Altare Majus afferetur, aut pannus niger ſternetur.

5. Generalis Miniſter detecto capite ſtans in cornu Epiſtolæ ſuper Suppedaneum, inter Socium & Secreta-

rium

rium Ordinis, converſus ad Populum in cantu incipiet Antiphonam *Si iniquitates*; & Cœnobitæ Lecticam ſeu pannum circumdantes mox Pſalmum *De profundis* ſub Tono ſeptimo decantabunt. Ad repetitionem Antiphonæ Thus de more cum Benedictione imponet in Thuribulum, miniſtrante Socio Ordinis Naviculam ſine oſculis; deinde in cantu dicet *Kyrie eleiſon*, alii *Chriſte eleiſon*, ipſe denuo *Kyrie eleiſon*. *Pater noſter*, quod ſecretè complebitur. Interim accepto de manu Socii Ordinis Aſperſorio, ter ab Altari Lecticam ſeu pannum aſperget, ac ſimiliter thurificabit. Quo facto ex Libro ſuper cornu Epiſtolæ poſito, vel a Miniſtris ſuſtento in cantu pronuntiabit, adhibito luminis Inſtrumento:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *In memoria æterna erunt juſti.*
℟. *Ab auditione mala non timebunt.*
℣. *A porta Inferi.*
℟. *Erue, Domine, animas eorum.*
℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Domine, exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut Noſtræ Congregationis Fratres, Propinquos & Benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ Beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

6. Deinde Proceſſio dirigetur ad Cœmeterium, ſi adſit, ac

ac ita videatur Viſitatori; quo caſu ſervabitur Pontif.Rom. de ordine Viſitationis. Secùs, Miniſter Generalis dicta Oratione *Deus veniæ largitor*... mox ſubdet ℣. *Requiem æternam dona eis, Domine*, dextera ſignum Crucis versùs Lecticam, ſeu pannum producens, & duo Cantores altiori tono ℣. *Requieſcant in pace*.

7. Precibus pro Defunctis expletis, Generalis, exhibita Altari reverentia, extra cornu Epiſtolæ retrahet ſe: & ibi Pluviali ac Stola nigris depoſitis, alba induet; interim verò amovebitur Lectica ſeu pannus, & lugubre Pallium ab Altaris fronte, ut album appareat. Accedent poſtmodùm ad latera Altaris quatuor Acolythi cum Funalibus accenſis; & Sacriſta Cotta & Stola alba amictus Clavem Tabernaculi SS. Sacramenti deferet, cujus Oſtiolum Miniſter Generalis in imo Altaris gradu ſuper Cuſſino genuflexus aperiri, & Pyxidem extrahi mandabit. Qua ſuper Corporale in Altaris medio depoſita, Vicarius ℣. *Tantum ergo*... intonabit, quem Cœnobitæ per Eccleſiam hinc inde genuflexi proſequentur. Dicto ſecundo ℣. *Veneremur cernui*.... ad quem caput profundè inclinabitur, Generalis ſtans imponet ſine Benedictione Thus in Thuribulum; & flexis exinde genibus Sacram Euchariſtiam thurificabit. Subinde cum ſuis Aſſiſtentibus Altare conſcendet, Sacriſta etiam comitante; & poſtquàm Sacramentum utroque genu adoraverit, Pyxidem aperiet, vel aperiri jubebit. Ipſam ac Sacras Hoſtias reverenter ſcrutatus, ſuper iis demiſſa voce, inquiret, quæ ad diligentem Sacramenti cuſtodiam & renovationem, cultumque ei debitum ſpectant.

8. Quibus peractis, Pyxis operietur, omneſque facta genuflexione ab Altari deſcendent. Generalis abſque nova Incenſi impoſitione Sacramentum denuò genuflexus thurificabit, Cantoribus intereà Hymnum ad finem perducentibus. Quo finito, & a duobus Can-

Cantoribus genuflexis dicto ℣. *Panem de Cælo* . . . Generalis ſurgens Orationem de Sacramento cum brevi concluſione *Qui vivis & regnas per omnia ſæcula Seculorum* cantabit. Poſt hæc genuflexus Velum humerale album ſumet, Pyxidem accipiet cum Velo manus cooperiens, & ad Populum converſus dabit de more Benedictionem. Repoſita inde Pyxide a Sacriſta in Tabernaculo, aſſurget, & genuflexione facta, Baptiſterium, ſi adſit, viſitaturus ibit, inde Sacra Olea, Reliquias, Imagines, Sacrarium, Altaria, Cappellas, Sacriſtiam cum Supellectilibus, & tempore ſuo Cœnobium.

9. Peracta demùm Viſitatione, Miniſter Generalis exhortatorium ad Regularis Diſciplinæ obſervantiam habebit Sermonem, quem communis Culpa ſequetur. Tum ſalutaribus ab eo impoſitis pœnitentiis, factaque generali Abſolutione, Benedictionem ſingulis impertietur; & cùm diſcedere voluerit, ad Eccleſiam priùs accedet, ubi ſtans ante Aram maximam dicet Pſalmum *De profundis*, & Antiphonam *Si inquitates*, deinde *Pater noſter* ſecretò.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *A porta Inferi.*
℟. *Erue Domine animas eorum.*
℣. *Requieſcant in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine, exaudi Orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus cujus miſeratione animæ Fidelium requieſcunt, Famulis & Famulabus tuis omnibus hìc & ubique in Chriſto quieſcentibus, da propitius veniam peccatorum, ut

Digitized by Google

ut a cunctis reatibus abſoluti, tecum ſine fine lætentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Poſt hæc ad portam uſque Eccleſiæ a Religioſis comitatus in Nomine Domini diſcedet.

CAPUT XII.

De Receptione ac Viſitatione aliorum Superiorum Ordinis.

1. Viſitator Generalis, vel Provincialis Diœceſanus, ſeu Commiſſarius Generalis eximium Viſitationis munus effecturus, intrà Eccleſiæ Januam, non tamen proceſſionali ritu excipietur a Religioſis, præbente illi Superiore Locali Aſperſorium. Deinde ad Sacellum SS. Sacramenti, poſteà ad Altare Majus feſtivo Organorum ſonitu comitabitur, ubi accenſis priùs ſex Cereis, orabit ſuper Genuflexorio Pulvinaribus ornato. Surget inde, & ad latus Epiſtolæ Amictu & Superpelliceo cum Stola nigra indutus, incipiet in Suppedaneo versùs Populum Antiphonam *Si iniquitates....* Cœnobitæ verò hinc inde adſtantes Pſalmum *De profundis* alternatim dicent. Dum repetitur Antiphona, vel priùs, ſi non cantetur, miniſtrante Acolytho Naviculam, Thus imponet in Thuribulum cum Benedictione, deinde dicet: *Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Et accepto Aſperſorio, ter ab Altari aſperget pannum nigrum, ſeu Lecticam Mortuorum, eodemque modo incenſabit, proferens inde:

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue, Domine, animas eorum.*
℣. *Requieſcant in pace.*
℟. *Amen.*

℣. Do-

℣. *Domine, exaudi Orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus, veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam tuam, ut noſtræ Congregationis Fratres, Propinquos, & Benefactores, qui ex hoc Sæculo tranſierunt, Beata Maria ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ Beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*
℣. *Requiem æternam dona eis, Domine.*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Requieſcant in pace.*
℟. *Amen.*

Poſtmodum Stola nigra dimiſſa, aliam cum Pluviali albi coloris ſumet; ac Sacram Viſitationem ab Euchariſtia incipiens, reſpectivè ut in præcedenti Capite perficiet.

2. Viſitator a Provinciali electus cùm ad Cœnobium Viſitationis gratia acceſſerit, omiſſo Campanarum & Organorum ſonitu, excipietur a Religioſis, eorum Digniore Aſperſorium per contactum miniſtrante. Ad altare inde comitatus procedet, ubi brevi facta oratione ſupra Pulvinar in imo gradu appoſitum, Fidelium Animabus ſuffragabitur, atque Viſitationis munus ſibi concreditum reſpectivè ut ſupra aggredietur, Cereis ſuper Altare ardentibus.

3. Cuſtos viſitaturus Cuſtodiæ ſuæ Cœnobium excipietur a Cœnobitis ad Eccleſiæ oſtium, eorum Digniore luſtralem Aquam præbente. Mox ad Altare aſſociabitur, coram quo genuflexus orabit ſupra Pulvinar in infimo gradu præparatum. Cerei quatuor ſuper Altare accen-

cendentur, ſed nec Campanæ, nec Organa pulſabuntur, neque Sacram Euchariſtiam, aut Eccleſiam viſitabit; ſed precibus ad Deum fuſis, Conventum aſſociatus ingredietur, Viſitationem ſuam juxta methodum in Conſtitutionibus Urbanis præſcriptam peracturus.

CAPUT XIII.

De Communione ac extrema Unctione Religioſis infirmis adminiſtranda.

1. CŒnobita cùm extremum vitæ ſuæ diem inſtare cognoverit, primùm peccata ſua idoneo Miniſtro ritè confiteatur, dum adhuc ſana mens eſt, integrique ſenſus; deinde Sacrum ſibi afferri Viaticum opportunè petat, quod illicò Superior Localis, vel alius ab eo ſuffectus ritu ſequenti deferat. Et priùs Cubiculum Infirmi a ſordibus benè mundetur, ſuavique florum ac aromarum odore perfundatur. Paretur in eo Menſa linteo mundo cooperta, in cujus medio Crux adſit cum Imagine Crucifixi, & hinc inde duo ſaltem Candelabra. Apponantur ibidem Burſa coloris albi cum Corporali & Purificatorio, duo Vaſcula cryſtallina, unum cum vino, alterum cum aqua pro ablutione digitorum Sacerdotis, & Infirmi purificatione, Vas Aquæ luſtralis cum Aſperſorio, Liber Ritualis cum Stola alba, ſi Infirmus fuerit Sacerdos; ac denique linteum mundum ante pectus Communicandi extendendum.

2. Religioſi ſigno evocati in Sacrarium ſtatim ſe conferant, Sacram Euchariſtiam cum Cereis, vel Intortitiis comitaturi. Superior, vel Cœnobita ab eo deſignatus Amictu, Superpelliceo, Stola & Pluviali albi coloris indutus ad Altare, cæteris præeuntibus, tecto capite procedat, medius inter duos Clericos, vel Sacerdotes

Cotta

Cotta pariter amictos qui Pluvialis fimbrias hinc inde elevent. Ibi Pyxidem e Tabernaculo cum debitis genuflexionibus extrahat, atque ex ea ſuper Corporali poſita nonnullas præconsecratas particulas in alteram Pyxidem ſeu Calicem (ubi non fuerit altera Pyxis) imponat. Illam rurſus in Tabernaculo claudat, hanc verò proprio itidem operculo cum Velo parvo ſerico albi coloris coopertam deferat ad Infirmum, accepto priùs ſuper humeros Velo oblongo albo, quo ipſam Pyxidem & manus obducat.

3. Præcedat aliquis cum Tintinnabulo, inde qui Cereos & Funalia accenſa deferunt, nunc Thuriferarius cum Thuribulo fumigante, ex noviſſimo Pontificis mandato, poſtremò Sacerdos medius inter Aſſiſtentes Pluvialis fimbrias elevantes, ſub Baldachino ſeu Umbella albi coloris, ſubmiſſa voce alternìs recitans Pſalmum *Miſerere* cum aliis precibus: cæteri verò altiori pſallant voce. Infirmus interim de lecto exeat, & Religionis habitu indutus prope cubile genuflectat, ſi poſſit; ſin autem, cum Tunica vel ſaltem Caputio in lecto ſedeat. Ingrediens verò Cellam Sacerdos primùm dicat: *Pax huic domui*. ℟. *Et omnibus habitantibus in ea*. Tum Pyxidem ſuper Corporale in Menſa deponat, genuflectat, luſtrali Aqua aſpergat Infirmum & Cubiculum, dicens Antiphonam *Aſperges me*..., & reliqua præſtet ut in Rituali Romano. Sed ante Communionem veniam petat Infirmus de negligentiis & imperfectionibus ſuis, ac ex corde indulgeat inimicis. Tum majori, qua poterit, devotione & humilitate Sacrum ſumat Viaticum; moneatque Superiorem, ut tempore ſuo Extremæ Unctionis Sacramentum ſibi adminiſtretur, Abſolutio plenaria in articulo mortis impertiatur, & Animæ commendatio fiat.

4. Peracta Communione, dictaque oratione ut in Rituali, Sacerdos genuflectat, ſurgat & accepta Pyxide, ſignum Crucis cum illa efformet ſuper Infirmum,

 ni-

nihil dicens; eoque ordine, quo venerat, revertatur ad Eccleſiam, dicendo Pſalmum *Laudate Dominum de Cœlis....* cum aliis Pſalmis & Hymnis. Cùm pervenerit ad Eccleſiam, Sacramentum ſuper Altare reponat, ac dicat ℣℣. *Panem de Cœlo*, & *Dominus vobiſcum* cum ſolita Oratione de Sacramento ſub prolixa concluſione. Poſteà cum Sacramento in Pyxide Velo cooperta Populum benedicat nihil dicens; & cum debitis genuflexionibus in Tabernaculo reponat. Meminerit autem tam in acceſſu quàm reditu SS. Sacramentum thurificare.

5. Quòd ſi Infirmo pro devotione, & non pro Viatico ſacra miniſtretur Euchariſtia, tunc illi detur ante omnem cibum & potum, non aliter ac cæteris Fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ aliquid anteà ſumere licet; imò ipſis etiam Cœnobitis pro Viatico communicantibus, quantùm fieri poteſt, jejunis detur. Sed nulli adoranda dumtaxat, ſeu ottenenda quocumque prætextu deferatur. Inſuper cùm ſacra Communio pro devotione miniſtratur, omittatur ſupradicta veniæ deprecatio, &: *Accipe Frater Viaticum*, cujus loco de more dicatur: *Corpus Domini noſtri ....*

6. Periculosè tandem ægrotanti Religioſo Extremæ Unctionis Sacramentum prout in Rit. Rom. miniſtretur; & eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, cùm adhuc integra mens & ratio viget. Item Abſolutio plenaria pro Chordigeris in extremis conſtitutis tempore ſuo tribuatur, prout notatur in calce Diurni Ordinis; eique Animam agenti commendationis Officium devotè præſtetur. Nec deſint eo tempore Religioſi, præſertim Sacerdotes, qui continuè Pſalmos, Paſſionem Domini, aliaſque pias Orationes legant.

CA-

CAPUT XIV.

De Obitu ac Depoſitione Religioſi Defuncti.

1. POſtquàm Religioſus Spiritum Creatori reddiderit, eo ipſo, Campanæ ſono, pro Locorum conſuetudine, manifeſtetur (dummodo Tranſitus Defuncti de nocte non acciderit, quo caſu paulò ante Auroram dabitur ſignum) & tunc ſinguli Cœnobitæ ſignum audientes, Pſalmum *De profundis* recitent, ex corde Deo Animam ejus commendando. Lavetur inde Corpus Defuncti per Infirmarium, vel alios hujuſmodi charitatis Officium tam pium exercere volentes, aqua calida cum vino & herbis odoriferis. Quo loto ac terſo, per eoſdem induatur quotidiano Ordinis habitu, relictis pedibus nudis; ſicque indutum in Feretro pariter nudo imponatur, cum Pulvinari ſub capite Caputio operto, Corona ad manus obvoluta, & Cruce cum Chriſti Crucifixi Imagine inter manus & pectus poſita. Et ſi fuerit Sacerdos, ſtola inſuper violacea collo ei imponatur, additis quoque libris ad caput, latera, & pedes, ſi fuerit Magiſter in Sacra Theologia.

2. Duo continuè ad horam uſque Sepulturæ adſint alternatim Religioſi, qui Officium Defunctorum, aliaſve preces devotè recitent; cureturque opportunis remediis ut Corpus ſine fœtore uſque ad præſtitutum tempus Sepulturæ ſervetur: & duo ad minus Cerei ad caput & pedes illius jugiter ardeant. Suffragia item a Conſtitutionibus Urbanis, noviſſimiſque Decretis præſcripta diligentiſſimè, ac quàm primùm à Religioſis perſolvantur.

3. Conſtituto tempore, univerſi conveniant Religioſi, præeunte Cruce, ad Defuncti Cubiculum; ac

primò ter illum aſpergat Aqua benedicta Hebdomadarius Superpelliceo & Stola nigra indutus, dicens inde Antiphonam *Si iniquitates* cum Pſalmo *De profundis*, & repetitione ejuſdem Antiphonæ. Mox dirigatur Proceſſio ad Aulam Capitularem, & ante omnes procedat Acolythus cum Vaſe luſtralis Aquæ & Aſperſorio, ſubinde Crucifer, nunc Religioſi bini & bini, poſteà Hebdomadarius, tandem Defunctus a quatuor Cœnobitis ejuſdem gradus & conditionis delatus, adhibitis cereis pro qualitate ejuſdem. In ipſo itineris initio, Hebdomadarius gravi voce intonet Antiphonam *Exultabunt Domino*, & Vicarius *Miſerere mei Deus*, Choro deinde proſequente eadem gravi voce.

4. Si Capitularis Aula non adfuerit, recto tramite circum ſepta Conventus ad Eccleſiam proceſſionaliter ut ſupra deferatur; & ad illius ingreſſum repetatur Antiphona *Exultabunt Domino* ... ſtatimque cantetur Reſponſorium *Subvenite Sancti Dei*. Depoſito Feretro in medio Eccleſiæ, ita ut Defuncti pedes (ſi fuerit Clericus, vel Laicus) ſint versùs Altare Majus, & caput versùs Populum; ſi verò fuerit Sacerdos, caput econtra ſit versùs ipſum Altare, & pedes versùs Populum (quod etiam prò ſitu & loco fiat in Sepulchro, reſpectu Altaris ejuſdem); & Cereis in decenti numero accenſis circa Cadaver, ſtatim, niſi quid impediat, a Sacerdotibus & Clericis ibidem in duos diſtinctis Choros integrum recitetur Officium Defunctorum ſub Ritu duplici, prout in Rituali Romano, & Cap. VI. part. IV. hujus Cæremonialis, cum Cantu Gregoriano primi ſaltem Nocturni & *Benedictus*, ſi fuerit ſufficiens Fratrum numerus. Miſſa deinde Solemnis pro eodem Defuncto cantetur, & ſi fuerit tempus incongruum, in ſequentem potiùs diem differantur Exequiæ, ut omninò cum Miſſa ſepulturæ tradatur juxta Sacros Ca-

Canónes. Qua finita Exequiæ perſolvantur ut in Rit. Rom.

CAPUT XV.

De Organorum ſono, aliiſque Inſtrumentis Muſicis.

1. ORganorum ſonus, quo Eccleſia dilecti Sponſi laudes celebrat, atque exules filios recreat, ea lege in Divinis adhibeatur, ut laſcivus in primis non ſit, prophanus, vel ludricus, nec niſi debitis temporibus audietur. Organiſta ex Ordine Noſtro, quoad fieri poteſt, aſſumatur; quo deficiente, eligatur Eccleſiaſticus præ Sæculari, qui in hac facultate ſit verſatiſſimus, ac morum gravitate præditus. Sacri memor loci majori qua poterit modeſtia ac Cæremoniarum obſervantia ſuum exequatur munus. Et attendat ad ſonitum peculiaris Campanulæ pro Divinis Officiis ac Miſſis, ne protrahantur nimis, vel turbentur, aut in ſilentio peragantur Sacræ Actiones. Organa ita cuſtodiantur, ut clauſa ſemper, vel ſuis cortinis obducta maneant, nec niſi tempore quo pulſanda fuerint, aperiantur; & ſæpè a pulvere, teliſque aranearum mundentur.

2. In omnibus Dominicis ac Feſtis per Annum occurrentibus decet in Eccleſia Organo uti, prout etiam in Feſtivitatibus Sanctorum, etſi non de præcepto quoad Forum. In Adventu autem & Quadrageſima, ac Quatuor Temporibus (exceptis illis Pentecoſtes) ſilent Organa (dummodo Officium de Tempore celebretur). Qua tamen lege non comprehenditur Dominica tertia Adventus, quæ dicitur *Gaudete* (etiam quando infra Hebdomadam ejuſdem repetitur Miſſa) & Dominica quarta Quadrageſimæ *Lætare* nuncupata, quibus diebus Organa pulſari convenit, ſed ad Miſſam dumta-

dumtaxat Conventualem. Excipiuntur ſimiliter Feſtivitates ac Feriæ infra prædicta tempora occurentes, quæ Solemniter celebrantur. Item Feria V. in Cœna Domini ad Miſſam tantùm uſque ad *Gloria in Excelſis* incluſivè, & Sabbato Sancto ab Hymno Angelico, & deinceps; & quoties occurrit celebrare ſolemniter & cum lætitia pro aliqua re gravi. Et e converſo ceſſant in quibuslibet Actionibus mœroris ac pœnitentiæ, atque adeò in Officiis & Miſſis Defunctorum, & Tenebrarum.

3. Publicè in Eccleſiam adveniente Legato Apoſtolico, Cardinali, Primate, Archiepiſcopo, Epiſcopo, Miniſtro Generali, Provinciali, Viſitatore, aut Rege, ſeu Principe magnæ potentiæ, ac etiam Magiſtratu, & conſimilibus, pulſari convenit Organum) ſervata tamen Loci conſuetudine & ratione temporum, & dummodo SS. Sacramentum non ſit expoſitum, nec divina Officia perturbentur) quod pariter obſervatur in eorumdem receſſu.

4. In utriſque Veſperis Solemnibus feſtivè tinniunt Organa in acceſſu Celebrantis ad Altare, nec priùs ſilent, quàm Cæremoniarius ſignum dederit. Pulſantur item in fine cujuslibet Pſalmi poſt ℣. *Sicut erat*... loco Antiphonæ, quæ iterùm cantari deberet. In Hymno inſuper, & Cantico *Magnificat* alternatim, ad ℟. *Deo gratias* poſt ℣. *Benedicamus*, ad Antiphonam finalem B.M.V.; ac denique in reditu Celebrantis ad Sacrarium, donec illud ingreſſus fuerit.

5. In Matutinis ſolemnibus pulſantur etiam Organa, prout in Veſperis, ad Invitatorium, non verò ad Pſalmum *Venite*, ad Hymnos alternìs, & in fine cujuslibet Pſalmi. In reliquis autem Horis Canonicis Organa non ſolent interponi. Verùm ſi alicubi conſuetum eſſet Organa pulſari etiam inter Horas Canonicas, aut aliquas earum, præſertim ad Tertiam, & Completorium qui-

quibuſdam ſolemnibus diebus, poterit talis conſuetudo retineri.

6. In Miſſa Solemni hilari modulatione perſonant Organa, ſtatim ac Celebrans e Sacrario exit; nec ſilent, donec ad altare pervenerit, & Chorus incæperit Introitum; quo dicto alternatim pulſantur ad *Kyrie eleiſon*, *Gloria in Excelſis*, Sequentiam, *Sanctus*, & *Agnus Dei*. Tinniunt item finita Epiſtola, ſed Graduale, vel ſaltem aliquis ex eo Verſiculus cantari debet a Choro juxta uſum omnium ferè Eccleſiarum. Præteréà ad Offertorium uſque ad Præfationem excluſivè, & ad elevationem SS. Sacramenti, graviori ac dulciori ſono tanguntur. Tandem in Verſiculo ante Orationem poſt Communionem, hoc eſt ab *Agnus Dei* uſque ad prædictam Orationem, & in fine Miſſæ poſt *Ite Miſſa eſt*, uſquedum Celebrans ad Sacrarium devenerit. In Symbolo autem non eſt intermiſcendum Organum, ſed illud per Chorum cantu intelligibili ac ſimplici integrè proferendum eſt, ut præcipua Fidei Capita, quæ in eo continentur, clarè a Fidelibus audiri queant.

7. Primus Verſus Canticorum & Hymnorum, ac pariter Verſus Hymnorum, in quibus genuflectendum eſt, utì *O Crux ave*, *Te ergo quæſumus*, *Tantum ergo Sacramentum* (ipſo præſente, etiam in Tabernaculo) & ſimiles, cantantur a Choro in Tono intelligibili, non autem ab Organo. Quod ſimiliter obſervatur in ultimis Verſibus Hymnorum, & in ℣. *Gloria Patri*; etiamſi Verſus immediatè præcedens fuerit a Choro decantatus: quo caſu haud erit neceſſaria Organi interpoſitio in ipſis duobus Verſiculis. Quoties autem per Organum figuratur aliquid cantari, ſeu reſponderi, id tunc ab aliquo de Choro intelligibili voce pronuntiari debet, vel ab aliquo Cantore conjunctim cum Organo decantari.

8. Denique, ut Domus Dei verè Domus Orationis

nis eſſe videatur, ac dici poſſit, non verò ſpectaculum, alia Inſtrumenta Muſicalia præter ipſum Organum in Eccleſiis Noſtris, quantùm fieri poterit, non adhibeantur, ex Cærem. Epiſc. lib. 1. Cap. 28. num. 11. ea præſertim, quibus perſonantibus exultant Theatra, currunt Equi, & Milites diſponuntur ad pugnam.

9. Organa non ſilent, quando Miniſtri Altaris, Diaconus ſcilicet & Subdiaconus utuntur in Miſſa Dalmatica, & Tunicella, licet color ſit violaceus. S. R. C. 2. Septemb. 1741.

CAPUT XVI.

De Pſalmodia & Cantu Eccleſiaſtico.

1. DIvina Pſalmodia devota planè ſit, hilaris atque intelligibilis, ut & Pſallentium mens illius dulcedine paſcatur, & Audientium aures ejus pronuntiatione demulceantur. Vox nec elata nimis ſit, neque depreſsa, ſed media, uniformis, atque ſonora, abſque ulla inflexione, aut diſtenſione. Diebus Feſtis de præcepto, aliiſque Solemnibus, tardior ſit Pſalmodia. Tardiùs item recitetur Officium Canonicum, quàm parvum B. M. V. & Feriale Defunctorum, quàm Pſalmi Graduales & Pœnitentiales.

2. Gravitati Pſalmodiæ addatur in Inſignioribus præſertim Cœnobiis, ac ubi fuerit ſufficiens Religioſorum numerus, hilaritas Cantus, ut infirmorum animi ad devotionem excitentur. Quæ igitur in Conſtitutionibus Urbanis de tempore & modo canendi præſcribuntur, deque obligatione illum edocendi reſpectivè & addiſcendi, ab omnibus fideliter obſerventur.

3. In Cantu Gregoriano vitentur omnino alteratio, ſeu adulteratio (demtis quibuſdam licentiis) affectatio & va-

& vanitas, languor & indiſtinctio Notarum ac Temporum, celeritas etiam, atque protractio excedens: ſed Ritus Officii, Solemnitatis diei, concurſus Populi, qualitatis Notarum, ac ſimilium habeatur ratio. Eliminetur pariter a Cantu firmo repetitio, vel mutilatio verborum, niſi id exprimatur. Neque memorato Cantui intermiſceatur vox acuta & attenuata, rudis & depreſſa, criſpa & vibrans; cùm proprietas illius ſit vocum concordia, ſimplicitas ac gravitas (niſi laudabilis adeſset conſuetudo, cogeret neceſſitas, perfectuſque alliceret concentus.)

4. Supra vocales I & U Tranſitus, quoad fieri poteſt, vitetur, utpotè inſuaviores, atque ululatum ſtridoremque præ ſe ferentes; ſed Notæ iiſdem ſuperpoſitæ ante vel poſt ponantur. Quòd ſi aliæ haud occurrant Litteræ, rectiùs eo caſu ſuper I, quàm ſuper U prædictæ decantantur Notæ. Poſtremò ſi eò anguſtiarum devenerit Cantor, ut id commodè fieri nequeat, vel Littera I non inſit, ſed U dumtaxat; tunc vel non curet, ſi duæ tantùm, aut tres extiterint Notæ, vel easdem mutilet, ſi plures fuerint.

5. Eadem Notarum ante vel poſtpoſitio ſervetur, occurrente Brevi Syllaba, etiamſi adſint Litteræ I & U; minùs enim dedecet illas Notas ſupra dictas Vocales canere, quàm ſupra Brevem, ne ſic Longa reddatur. Quin, ubi præfata Brevis Syllaba unica fuerit Longa, vel Brevi Nota ſignata, ſuper anteriorem tunc Syllabam dicta reponatur Nota, & Syllabæ Brevi una concedatur Semibrevis, celeriorque fiat Tranſitus. Denique ultimæ Syllabæ plurimis non decantentur Notis, ſed vel ſuper penultimam, vel, ſi ea fuerit Brevis, ſuper antepenultimam reponantur.

6. Prima Cantionis Nota longior protrahatur, prout etiam penultima Clauſulæ nedum finalis, ſed etiam intermediæ. Verba quædam gravia & devota, ut *Te ergo*

Aaaa *quæſu-*

quæſumus, *Et Incarnatus eſt*, *Venite adoremus*, *& procidamus ante Deum*, *Simul adoratur* & ſimilia, cum gravitate ac decore, ſolemniorique vocis modulatione decantentur. Ab oppoſito Verſus, Hymni & Cantica, cum exultatione, gratia ac vivacitate proferantur. Pſalmorum intonatio a Cantoribus integra peragatur, ideſt cum Clauſulis, ut conſuetus vitetur error. Notæ a parte rotundæ, a nonnullis *fractæ* nuncupatæ, duplici æquivalent. Ubi inter Cantilenam reperiuntur lineæ perpendiculares, pauſetur aliquantulùm, nuſquam verò ſi verborum ſenſum, eòque minùs verba ipſa dividant. Qui plura deſiderat, adeat Patrem noſtrum Frezza, alioſque hac in facultate peritos. Sciantque Univerſi præfatum Gregorianum Cantum quocumque Anni tempore ac die adhiberi poſſe in Divinis ac quotidianis Officiis, excepto ultimo Triduo Hebdomadæ Majoris in Horis Diurnis.

7. Figurato pariter Cantu in Eccleſiis Noſtris uti fas eſt, modò fractus non ſit, mollis, & effeminatus. Tempore tamen Adventus & Quadrageſimæ in diebus ferialibus, & a Dominica Paſſionis incluſivè uſque ad Paſcha excluſivè (iis dumtaxat exceptis diebus, in quibus Organa pulſari poſſe diximusin Cap. præced.) præfatum Cantum adhibere non convenit; quemadmodùm nec in Miſſis & Officiis Defunctorum, aliiſque conſimilibus mœroris Functionibus: ſed utendum Cantu firmo, & quidem ſimplici ac preſſo. *Cærem. Epiſc. lib.* 1. *cap.* 28. *& lib.* 2. *cap.* 20.

8. Armonicæ tandem Muſices concentus etiam permittitur, diebus præſertim Feſtis ac Solemnibus; ea tamen lege, ut ſingula, quæ a Romanis Pontificibus Joanne XXII. in Extrav. *Docta Sanctorum Patrum* lib. 3. de vita & honeſt. Cleric. cap. unico, Alexandro VII. Conſtit. 36. incip. *Piæ ſollicitudinis* edita die 23. April. 1657. Benedicto XIII. in ſua Lateran. Synodo ann. 1725. tit. 15. cap. 6., Benedicto XIV., necnon a Sacra Congregatione Viſi-

Viſitationis Apoſtolicæ 30. Julii 1665. ſapienter circa Muſicæ abuſus ſancita fuerunt, exactè ſerventur. Maximè ut Muſicæ Stylus Eccleſiaſticus ſit, gravis & devotus; ut nihil niſi latino idiomate cantetur, & quidem ea dumtaxat, quæ in Breviario, vel Miſſali Romano in Officiis de Proprio, vel de Communi, pro currenti cujuſque diei Feſto, vel Sancti Solemnitate præſcribuntur, vel quæ ex Sacrá Scriptura, aut aliquo Sancto Patre deſumta fuerint, prævia tamen in hoc caſu approbatione Sac. Rit. Congr. Ut Crates in Orcheſtra ita altæ ac ſtrictæ apponantur, ut Cantores videri nequeant. Ut in Officiis Defunctorum, ac ſimilibus, necnon Tempore Adventus & Quadrageſimæ (exceptis ut ſuprà diebus) præfata non adhibeatur Muſica; quin tamen prohibeatur gravis ille Cantus Muſicalis abſque Inſtrumento, etiam Organo.

9. Muſica autem tumultuoſa cum Buccinis ac Theatralibus Inſtrumentis, ab Aula Dei, quantùm fieri poteſt, eliminetur, ut potè Religioſæ Profeſſioni, ac Majeſtati Loci parùm conſona. Sed loco illius, gravis ea, dulciſona, ac devota introducatur Muſica, qua Romæ in Pontificio Sacello Divina celebrantur Officia.

10. Ad Cantores tandem & Muſicos quod attinet, Viri ſint, quoad fieri poterit, Religioſi, vel Eccleſiaſtici, quorum mens cum voce concordet; quique humiliter, diſtinctè, modeſtè ac ſapienter debitas Deo Laudes perſolvant, ut Auditorum animi ad pietatem, Reique Divinæ contemplationem erigantur. Fœminæ autem nullo pacto ad cantandum in Eccleſiis admittantur juxta Sacros Canones.

11. Muſica non decet in Officio Quadrageſimali præſertim cum Inſtrumentis, & ſi eſt occaſio alicujus ſcandali. Sac Congr. 27. Mart. 1601.


CAPUT XVII.

De Tono Horarum, Abſolutionum, Benedictionum, Lectionum, Prophetiarum, & Martyrologii.

1. **V***Erſus* Domine labia mea *in principio Matutini, &* Converte nos *ad Completorium ſic ſolemniter decantantur, eodem vocis Tono reſpondente Choro.*




Do mi ne la bia mea ape ri es. ℟. Et os me um
Converte nos Deus ſalu taris noſter. ℟. Et a verte



annun tia bit laudem tu am.
i ram tu am a nobis.

2. *Verſus autem* Deus in adjutorium *in principio cujuslibet Horæ Canonicæ rectiùs ſic intonatur.*



De us in ad ju to ri um me um intende. ℟. Domine,



ad ad ju vãn dum me fe ſti na.

3. *Abſolutiones, & Benedictiones ad Nocturnos ſequenti cantantur Tono, cum earumdem diviſione in geminas partes.*

Exau-


Digitized by Google




Exaudi D. J. C.... & miſere re nobis, qui cum Pa-



tre..... ſæ cu lo rum. ℟. A men.



Ju be Domne be nedicere. Benedictione perpe tua



bene di cat nos Pa ter Æter nus. ℟. Amen.

4. *Tonus Lectionum erit ut infra.*



De I ſa i a Propheta. Conterriti ſunt in Sion Peccatores.

Sic de cæteris punctis firmis: quæ tamen diverſo enunciantur modo, ſi in Monoſyllabam, vel Accentum acutum deſinant, ut hic demonſtratur.



Panis e i da tus eſt. Exi bit Lex de Sion. Sæ cu-




lo rum. Amen.

Punctum verò interrogativum, & clauſula ſic canuntur.




Quis ha bi ta bit ex vo bis? Tu au tem Do mi ne

mi-




mi ſe re re nobis. ℟. De o gra ti as.

5. *Eodem vocis tenore proferuntur Prophetiæ, & Lectiones in Officio Defunctorum, ac Hebdomadæ Majoris, excepta clauſula, ut infra.*




Et requi e vit.... ab u ni ver ſo o pe re quod pa tra rat.
Aut i de ò vi vit, ut per il lum bo nus ex er ce a tur.
Et ſi ma ne me quæ ſi e ris, non ſub ſi ſtam.

6. *Lectiones tandem de Scriptura in Menſa ſic decantari ſolent.*




Jube Domne be ne di ce re. Men ſæ cœ le ſtis par-



ti ci pes fa ci at nos Rex Æ ter næ Glo ri æ.

Quo Tono univerſa cantantur puncta firma, niſi Monoſyllaba adſit, vel Accentus acutus, ſeu vox Hebraica; tunc enim dicuntur ut ſupra, quemadmodum & punctum interrogationis. Nec clauſula variatur ſive in Tono, ſive in verbis.

7. *Quoad Martyrologium idem omnino ſervatur, ac in Lectionibus Matutini. Sed in Vigilia Nativitatis Domini canitur, prout in ipſomet Martyrologii exordio notatur, nimirum:*




An no a Cre a ti o ne Mundi, quando in prin ci pi o...

Et


Digitized by Google

Et reliqua , uſque ad verba illa : In Bethlehem Judæ , *in quibus extollitur vox ad quartam ſuperiorem hoc modo :*



In Bethlehem Ju dæ.... ex Ma ri a Virgine factus Homo.'

Verſus autem ſequens altiùs , & in Tono Paſſionis dicitur ſic :




Nativitas Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſecundùm car nem.

Quod ſequitur , in Tono Lectionis conſueto legitur .

CAPUT XVIII.

De Tono Capitulorum & Verſuum .

1. C*Apitula cùm præcedentia , tum ſubſequentia Hymnos in Divinis Officiis ſic intonantur .*




O al ti tu do di vi ti a rum.... vi æ e jus ! ℟. Deo gratias.

Quòd ſi ultima dictio fuerit Monoſyllaba , aut Accentus acutus , tunc concluduntur in Fa , Re , Fa , *ut dictum eſt de Lectionibus , ſed* Deo gratias *reſpondetur in Tono conſueto . Si autem in medio , vel in fine Capitulorum occurrat interrogativum , cantantur pariter ut Lectiones in* Mi , Mi , Fa .

2. *Verſiculi in fine cujuslibet Nocturni , & poſt Hymnos ſic canuntur in Feſtis Duplicibus juxta Ritum Romanum .*


Ora

Digitized by Google



Ora pro nobis Be a te Pater Franciſce.

3. *In Semiduplicibus idem ſervatur modus: hoc tamen habito diſcrimine, quod, omiſſa prima pauſa, mox declinatur vox ad* Re, *ut in ſequenti exemplo videre eſt.*




Spe ci e tu a, & pul chri tu di ne tua.

4. *In Simplicibus & Ferialibus uno ſpiritu abſque ulla interſpiratione decantantur, tali pacto.*



Os ju ſti me di ta bi tur ſa pi en ti am.

5. *Verſiculi autem Commemorationum, etiam in Duplicibus & Semiduplicibus, Precum, Litaniarum, Proceſſionum, Exequiarum, Benedictionum &c. Tono ſequenti proferuntur.*



Glo ri a, & ho no re co ro na ſti eum, Do mi ne.

Verùm ſi in Monoſyllabam deſinant, penultima deprimitur Nota ad Re; *ultima verò extollitur ad* Fa, *tali modo.*



An ge lis ſu is man da vit de te.

6. *Tandem Verſiculi in Officiis Defunctorum, & Triduo Hebdomadæ Majoris uniformi Tono cum declinatione, & alteratione ultimæ Notæ ſic intonantur.*

Aver-



A ver tan tur re tror ſum, & e ru bes cant.
Au di vi vo cem de Cœlo di cen tem mi hi.


CAPUT XIX.

De varia Hymnorum intonatione.

1. *TAmetſi Hymni Horarum ſub Tono Hymni Laudum regulariter intonentur; attentis nihilominus quibuſdam exceptionibus, majorique Tyronum commodo, placuit hîc earum ſaltem initium Notis obſignare juxta accuratiorem Ritum.*


2. *Tempore itaque Adventus, Quadrageſimæ & Paſsionis, cùm in Dominicis, tum Feriis, ad omnes Horas cantantur Hymni, ut infra, dummodo Officium ſit de Tempore.*

In Adventu. *In Quadrageſima.*




En clara vox redargu it. O Sol ſalu tis intimis.

Tempore Paſsionis.



Ve xil la Re gis pro de unt.


3. *Tempore Paſchali, etiam in Feſtis Sanctorum (proprium tamen non habentibus Tonum) intonantur Hymni ſuper.*




Ad Re gi as A gni da pes.

Etiamſi Feſtum celebretur ſub Ritu ſemiduplici. Quæ regala locum pariter habet in ſubſequentibus Tonis.


4. *In Nativitate Domini uſque ad Epiphaniam. In Feſto item Omnium Sanctorum & per Octavam ſuper*




5. *In Epiphania, ac per ejuſdem Octavam ſuper*




6. *In Aſcenſione Domini uſque ad Pentecoſten. Item in Feſto SS. Nominis Jeſu, Transfigurationis, Quinque Vulnerum D. N. J. C., & Stigmatum S. Patris Franciſci ſuper*



7. *In Pentecoſte & per Octavam, excepta Tertia, in qua dicitur* Veni Creator *ſub proprio Tono, ſuper*




8. *In Feſto SS. Trinitatis ſuper*



9. *In Solemnitate Corporis Chriſti, & B. M. V., ac per earumdem Octavas ſuper*

O Glo-



O Glo ri o ſa Vir gi num.


Etiam in Feſto Exaltationis SS. Crucis; in ejuſdem verò Inventione ſub Tono Paſchali.

10. *In Feſtis Angelorum ſuper*




Æ ter ne Re ctor ſi de rum.

11. *In Feſtis Apoſtolorum, Evangeliſtarum, unius vel plurimorum Martyrum, & aliorum proprium Tonum, vel idem non habentium Metrum; ſuper*




Æ ter na Chri ſti mu ne ra.

12. *In Feſtis Confeſſorum Pontificum & non Pontificum, Virginum & non Virginum ſuper*




Je ſu Co ro na Vir gi num.

13. *In Feſtis Sanctorum Primi, vel Tertii Ordinis S.P.N. Franciſci, ac per Octavas ſuper*




O Di vi A mo ris Vic ti ma.

14. *In Feſtivitatibus Sanctarum Secundi, vel Tertii Ordinis S. P. Franciſci, ac infra Octavam ſuper*



Vic trix ge men tem de ſe rit.

15. *In Simplicibus, Vigiliis, & Feriis per Annum.*



Nunc San cte no bis Spi ri tus.

In Dominicis autem per Annum, ut in Pſalterio.

16. *Hæc Tonorum varietas intelligitur dumtaxat quoad Hymnos Horarum, ut dictum eſt; in Feſtis enim & Dominicis ad Veſperas, & Laudes, ſemper decantantur Hymni ſub Tono, & Notis propriis, niſi Tempus, vel Solemnitas aliqua occurrat, quæ proprio gaudeat Tono. Quòd ſi Officium fiat a Capitulo, Tonus Hymnorum Veſperarum & Completorii erit illius Feſtivitatis ſequentis, niſi Veſperarum antecedentium Tonus eſſet proprius, & ſubſequentium communis. Inſuper ſi duæ ſimul dentur Octavæ, ſervetur Tonus Octavæ prædominantis.*

CAPUT XX.

De intonatione Pſalmorum, & Canticorum.

1. IN *Feſtis Duplicibus Pſalmi ſic intonantur.*

Primus Tonus.




Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Secundus Tonus.



Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Tertius Tonus.



Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Quar-


Digitized by Google

Quartus Tonus.




Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Quintus Tonus.




Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Sextus Tonus.




Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Septimus Tonus.



Di xit Do mi nus Do mi no me o.

Octavus Tonus.




Di xit Do mi nus Do mi no me o.

In ſubſequentibus Verſiculis initiales Notæ omittuntur.

Tonus irregularis.




In e xi tu Iſ ra el de Æ gyp to, Do mus Ja cob de



Po pu lo bar ba ro.


2. *Intonatio Pſalmorum cum Monoſyllaba, vel Accentu acuto.* Secun-

Secundus, & Octavus Tonus.




Me men to Do mi ne Da vid.
Do mi ne pro ba ſti me, & cognoviſti me.

Quartus Tonus.




De us in No mi ne tu o ſal vum me fac.
In convertendo.... captivita tem Si on.

Quintus Tonus.



Memento Do mi ne Da vid.
Do mi ne pro ba ſti me, & cognoviſti me.


Sextus Tonus.





In con ver ten do Do mi nus cap ti vi ta tem Si on.
Do mi ne probaſti me, & co gno vi ſti me.

3. *Cantica* Magnificat, Benedictus, *&* Nunc dimittis, *utpote ex Evangelio depromta, ſolemniori decantantur Tono, ut infra. Verùm primi Verſiculi* Magnificat *præ ſyllabarum inopia intonatio dumtaxat indicatur, integram eam ſervando pro ſubſequentibus Verſiculis, quibus regulam præbebit Canticum* Benedictus. *Quoad* Nunc dimittis, *cùm Antiphonæ* Salva nos *tertii Toni ſemper ſuccedat, excepto Sabbato Sancto, & diebus ſequentibus, in tertio pariter Tono, ut Pſalmus* Dixit *in Duplicibus, intonatur.*


Ma-









4. *Canticum denique Zachariæ in* 1. 3. 5. & 6. *Tono eadem vocis modulatione intonatur, qua cæteri Pſalmi; in reliquis autem, ut ſequitur.*







5. *Pſalmi in Semiduplicibus, Simplicibus, & Feriis parciori intonantur ritu, excluſis nimirum initialibus Notis, earumque nexu, ut patet ſequentibus exemplis.*

Dixit

1. 2.



Dixit Dominus Domino meo. Dixit Dominus Domino meo.

3. 4.




Dixit Dominus Domino meo. Dixit Dominus Domino meo.

5. 6.



Dixit Dominus Domino meo. Dixit Dominus Domino meo.


7. 8.



Dixit Dominus Domino meo. Dixit Dominus Domino meo.

6. *Nonnulli, & quidem optimè, ut exactam Rituum proportionem obſervent, Pſalmos uniformi Tono in Simplicibus, & Feriis decantant, addita dumtaxat varietate in clauſula, ut in primi Toni exemplo, loco omnium hîc poſito demonſtratur.*


1.




Dixit Dominus Domino meo: ſede a dextris meis.

7. *Quod verò attinet ad Monoſyllabas, & Accentus acutos in Officio Semiduplici, Simplici, & Feriali occurrentes, illud ſingulare obſervandum venit, quod nempe in ultima etiam Syllaba nullus admittitur Notarum nexus, unde ſi in Duplicibus ſic cantatur.*

Deus





8. *Cantica tandem Evangelica ad perfectam Rituum obſervantiam, ea vocis modulatione intonantur in Semiduplicibus, qua alii Pſalmi in Duplicibus, cùm in primo, tum in reliquis Verſiculis. In Officio verò Simplici & Feriali, ad normam ſubſequentium Verſiculorum in Duplicibus concinuntur.*


CAPUT XXI.

De Tonis Orationum.

1. *Duo ſunt Orationum, ſeu Collectarum Toni, ſolemnis unus, alter ſimplex; ſeu unus Feſtivus, & alius Ferialis. Solemni Tono utendum in Feſtis Duplicibus, & Semiduplicibus in Matutinis, Miſſis, & Veſperis; altero ſimplici in Ferialibus, & Feſtis Simplicibus, ac pro Defunctis, & in aliis, quæ occurrunt extra Matutinum, Miſſas, & Veſperas, etiamſi diebus ſolemnibus recitentur. Hoc autem ſolemnem inter & ſimplicem Tonum eſt diſcrimen ex priſco Ritu, & praxi Cappellæ Papalis; quod ſolemnis duas tantùm habet variationes, quarum prima eſt* Fa, Mi, Re, Fa, *& dicitur Punctum principale, & fit in fine primæ clauſulæ* Orationis, *quæ gemino puncto a ſequenti clauſula ſolet deſignari ſecundùm rectam Ortographiam. Secunda variatio eſt* Fa, Mi, *& dicitur Semipunctum, & peragitur in fine ſecundæ clauſulæ ſequentis, quæ pariter vel gemino puncto, vel pun-*

ēto & virgula conſtat. Reliquum uniformi Tono completur, etiamſi diverſæ occurrant clauſulæ: verumtamen in antepenultima dictione Notæ Fa *paulò graviùs, ac tardiùs ſuſtentari debet, & coronari, ut ajunt.*


2. *Concluſiones etiam earumdem Orationum in Tono ſolemni diverſimodè variantur, prout ipſæ concluſiones diverſo conceptæ ſunt modo. Aut enim dicitur* Per Dominum noſtrum, *aut* Qui vivis & regnas. *Primo caſu fit ſemipunctum, ſeu variatio per unicam Notam* Fa, Mi *in fine primæ clauſulæ, nempè* Tuum; *punctum verò principale, ſeu variatio per duas Notas deſcendendo, & redeundo ad eundem Tonum, videlicet* Fa, Mi, Re, Fa, *fit ad* Sancti Deus *in fine ſecundæ clauſulæ. In tertia verò & ultima clauſula nulla fit variatio, excepta aſpiratione, ſeu coronatione in quarta dictione, prout de Oratione reſpectivè dictum eſt. Secundo caſu, cùm ſcilicet dicitur* Qui vivis & regnas, *fit tantùm punctum principale ad particulam* Sancti Deus, *& coronatio quartæ Notæ finalis. Quod totum apparet ex propoſitæ Orationis modulatione.*



tuum




tuum; qui tecum vivit, & regnat in unitate ejuſdem




Spi ri tus Sancti De us. Per om ni a ſæcula ſæculorum.

3. *Tonus verò Simplex & Ferialis adhibendus, ut ſupra dictum eſt, in Feſtis Simplicibus, Feriis, Miſſis Defunctorum, & ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium quocunque die, nullam habet variationem, ſed æquali voce tota decantatur Oratio; & loco puncti principalis ac ſemipuncti fit tantùm pauſa & reſpiratio, & Nota coronata in fine utriuſque clauſulæ finalis, ut patet in ſequenti modulationis exemplo.*




Deus, qui inter Apoſtolicos Sacerdotes Famulum tuum



Ponti fi ca li feciſti dignitate vigere: præſta quæſumus;




ut e o rum quoque perpetu o aggregetur conſorti o.



Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum;




qui tecum vi vit, & regnat in u ni ta te Spi ri tus



Sanƈti Deus. Per om ni a ſæ cu la ſæ cu lo rum.

4. *Alterius ſpeciei reperitur Tonus Ferialis, in eo dumtaxat a præcedenti diſsimilis, quod in fine Orationis, ejuſque concluſionis deprimitur vox per tertiam, hoc eſt, a* Fa *ad* Re *in ultimis ſyllabis, ut pariter ex proximo alio exemplo conſtat.*



Prætende Domine Famulis tuis dexteram Cœleſtis auxi-



lii: ut te toto corde perquirant; & quæ dignè poſtulant,



conſequi mereantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum

5. *Prædictus autem Tonus adhibetur in Orationibus Litaniarum, Benedictionum, Proceſsionum, Aſperſionis Aquæ luſtralis, Exequiarum, poſt Antiphonas finales B. M. V., in oratione* Dirigere *ad Primam, aliiſque hujuſmodi caſibus extra Officium & Miſſam, in quibus Orationes brevi terminantur concluſione. Quòd ſi plures decantentur Orationes ſuper præſenti Tono, in ultima tantùm fit deſcenſus de* Fa *ad* Re, *reliquis ſuperioribus in Tono ſupraſcripto æquali voce perſiſtentibus. In quocumque autem Tono advertatur, ut voce gravi & competenti, interpoſita aliqua mora in fine cujuslibet clauſulæ, præſertim finalis, cum decore & devotione recitentur Orationes.*


CA-

CAPUT XXII.


De Intonatione Benedicamus *&* Ite Miſſa eſt.

1. **E***Tſi Verſiculorum* Benedicamus *&* Ite Miſſa eſt *Intonatio obvia per ſe , & plana ſit , quippe qui ex primis* Kyrie *Miſſalibus regulariter deſumuntur ; attamen pro majori Cantorum commodo hic eorundem uſitatiorum ſaltem deſcribitur modulatio , reliquos permittendo praxi cujuslibet Chori .*


In Feſtis Solemnibus .




In Feſtivitatibus Beatæ Mariæ Virginis .



In Feſtis Angelorum .




In Duplicibus .




In


In Semiduplicibus & Dominicis per Annum.




In Simplicibus & Feriis per Annum.




In Adventu & Quadrageſima.




In Paſchate.




In fine Horarum & Completorii.



In fine Proceſſionum.



Pro Defunctis.




CAPUT XXIII.


De Intonatione Gloria, Credo, *Epiſtolæ & Evangelii*.

1. **H***Ymnus* Gloria in Excelſis, *nec non Symbolum Apoſtolorum eadem profectò modulatione vocis a Sacerdote præcini deberent, qua Chorus illa proſequitur; Verùm uſus ubique ferè invaluit, ut ſic intonentur:*


In Duplicibus.




In Semiduplicibus.



In Feſtis Beatæ Mariæ Virginis.



In Simplicibus. *Symbolum.*




2. *Epiſtola uniformi decantatur Tono, abſque ulla varietate, ſeu elatione, aut flexione vocis; ſalva tamen puncti interrogativi, Monoſyllabæ, & Accentus acuti conſueta modulatione. In antepenultima ſyllaba punctum firmum præeunte fit quædam aſpiratio, ſeu* Notæ *coronatio, quemadmodum & in clauſula finali, ſed majori* gra-

gravitate & mora, per unam ſaltem integram periodum, in ſignum concluſionis Epiſtolæ, ut hìc oſtenditur.




Le ¢ti o Epi ſto læ B. Pau li A po ſto li ad Ro ma nos.
Fra tres non ſunt.... quæ re ve la bi tur in no bis.
Ex pe ¢tan tes Redem pti o nem corpo ris no ſtri.



Numquid omnes Do ¢to res?.... E le git Da vid.
Numquid omnes Prophetæ?... Sæcu lorum, A men.
Pro phe ta es tu?.... Suppor ta te me.

3. *Tonus tandem Evangelii infraſcripta, ex Romano more, canitur modulatione, cum clauſula disjuncta, non verò connexa. Punctum cum interrogatione, Monoſyllaba, vel Accentu acuto, eodem quo ſupra profertur modo. Punctum verò finale ſic habeatur, ut duæ ad minus ſuperſint dictiones quatuor, vel quinque ſyllabarum ex una & altera, quæ ſuper eadem Nota cantentur, cum aſpiratione, ſeu coronatione penultimæ, ut hìc notatur.*



Dominus vobiſcum. Sequentia.... ſecundùm Matthæum.
In illo tempore... cum Lampadibus.



Jeſus, qui vocatur Chriſtus. *Non*. Qui vocatur Chriſtus.

CA-

CAPUT XXIV.

De Tono Lamentationis & Paſſionis.

1. T*Hreni Jeremiæ Prophetæ hac flebili voce juxta Romanum Ritum decantari ſolent in Triduo Hebdomadæ Majoris.*




Haud abſimili canitur Tono Oratio Jeremiæ Recordare Domine, *demtis Litteris Hebraicis.*

2. *Tonus Paſſionis in tres dividitur partes, his inſinuatas Litteris* ✠. C. S. *ideſt* Chriſti, Chroniſtæ &


Synagogæ. *Chroniſta, ſeu Cantor, aut Textus, vel Evangeliſta, ut aliis placet, voce media Paſſionem ſic exorditur.*

Duo Puncta. *Punctum firmum.*




Qua vocis modulatione decantat pariter punctum firmum & geminum in decurſu Paſſionis occurrens, ni immediatè Chriſti, vel Turbarum pars ſubſequatur; tunc enim ſic ſe habet.

Textus ad Chriſtum.




Ad Turbas.



Verba autem illa Emiſit Spiritum, *vel his ſimilia decantat ad inſtar puncti finalis; & reliqua proſequitur Diaconus Miſſæ in Tono conſueto Evangelii.*


Punctum finale.




3. *Qui Perſonam Chriſti gerit voce gravi, ac per tertiam depreſſa Chroniſtæ ſic reſpondet.*

Duo


Duo Puncta.




Punctum firmum.




Punctum Interrogativum.



Tonus alterius Periodi punctum firmum, vel interrogativum ſubſequentis.





Breve Reſponſum cum Puncto.



4. *Synagoga tandem, ſeu Turba voce acutæ proxima, ac per quartam elata partem ſuam ſic intonat.*


Duo Puncta. *Punctum firmum.*






Vel ſic. Ne for te tu mul tus fi e ret in Po pu lo.

Punctum Interrogativum.



Quid vultis mihi dare, & e go eum vobis tra dam?



Vel Vo bis tra dam? *Vel* Vo bis tra dam?

CAPUT XXV.

De Tono Confeſſionis, Litaniarum &c.


1. SI *quando concini occurrat* Confiteor, *ut in Miſſa Solemni ante Communionem, Diaconus in cornu Epiſtolæ profundè inclinatus versùs Celebrantem manibus junctis Confeſſionem dicit in Tono ſequenti.*




Con fi te or Deo Omnipotenti, Be a tæ Ma ri æ ſemper



Vir gi ni, Be a to Mi cha e li Ar chan ge lo, Be a to



Jo an ni Ba pti ſtæ, Sanctis Apoſtolis Petro & Pa u lo,




Be a to Pa tri Franciſco, omnibus Sanctis, & Tibi,

Pater


Pater: qui a peccavi nimis co gi ta ti o ne, ver bo,
& o pe re: mea culpa, mea culpa, mea ma xi ma
culpa. I de o precor Be a tam Ma ri am ſemper Vir-
gi nem, Be a tum Micha e lem Archangelum, Be a-
tum Jo an nem Baptiſtam, Sanctos Apoſtolos Petrum
& Pau lum, Be a tum Pa trem Franciſcum, omnes
San ctos, & Te, Pater, o ra re pro me ad Do-
mi num De um No ſtrum.
Tonus Litaniarum.
Ky ri e e le i ſon. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.
Chri ſte e le i ſon.

Pater,


Pater de Cœlis De us, miſerere nobis. Propitius eſ to,
Sancta - Ma ri a, o ra pro nobis.
Par ce nobis Domine. Peccatores, Te rogamus, audi nos.
Agnus De i, qui tollis peccata Mundi, parce nobis,
Domine. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos. Ky ri e
e le i ſon. Ky ri e e le i ſon.
Aſperſio luſtralis Aquæ.
Infra Annum.
Tempore Paſchali.
Aſ per ges me. Vi di A quam.
Sabbato Sancto.
Lumen Chriſti. De o gra ti as. Lu men Chri ſti.
De o gra ti as. Lu men Chriſti. De o gra ti as.

Tempo-


Tempore Pœnitentiæ.
O re mus. Flectamus ge nu a. Levate. De us qui....
Ante Proceſſionem.
Pro ce da mus in pa ce. ℟. In Nomine Chriſti, Amen.
Antiph. ad Immacul. Concept. B. M. V.
Cantores.
Chorus.
Tota pulchra es, Ma ri a: Tota pulchra es Ma ri a:
Cantores.
Et ma cu la o ri gi na lis non eſt in te:
Chorus.
Et ma cu la o ri gi na lis non eſt in te:
Cantores.
Chorus.
Tu glo ri a Je ru ſa lem: Tu læ ti ti a Iſ ra el:
Cantores.
Tu ho no ri fi cen ti a Po pu li no ſtri:

Tu



Reſponſorium S. Antonii de Padua.




nes, & ca nt. ℣. Pe re unt pe ri cu la, ceſ ſat & ne-
ceſ ſi tas, narrent hi qui ſen ti unt, dicant Pa-
du a ni. * Cedunt Mare. ℣. Glo ri a Pa tri,
& Fi li o, & Spi ri tu i San cto.
* Ce dunt Ma re.

F I N I S.



ADDITAMENTA
SEU CORRECTIONES
HUIC CÆREMONIALI NECESSARIÆ.

PAg. 4. versùs finem num. 1. ubi dicitur – *Dicto Offertorio defertur &c.* ſic legatur -- Dicto Offertorio defertur a Credentia per Subdiaconum, ſeu Cæremoniarium (non *per Acolythum*) Pyxis cum Hoſtiis conſecrandis, ſerico Velo albo tecta, quam Diaconus reponit ſuper Corporale, quaſi in medio Altaris. Et, cùm Celebrans dicturus eſt *Suſcipe Sancte Pater*, idem Diaconus Pyxidem detegit, & aliquantulum elevat, ſtatimque poſt Oblationem ſuper Altare deponit a tergo Calicis, & cooperit. Ac iterum cùm Celebrans prolaturus eſt verba Conſecrationis, illam quaſi ante Calicem trahens diſcooperit, & poſt elevationem Hoſtiæ tegit, & loco congruo collocat. – Similiter corrigitur Pag. 6. lin. 2., & Pag. 65. prope finem num. 3., ubi dicitur Pyxis deferenda ad Altare *per Acolythum*.

Pag. 5. num. 4. ubi legitur – *Quod etiam facere poteſt &c.* dicatur - Quod facere debet &c.

Pag. 6. versùs finem num. 3. ubi legitur - *Mox Diacono & Subdiacono ante Linteum &c.* ſic legendum videtur cum Cærem. Epiſc. Lib. 2. Cap. 29., & cum Merati part. 4. tit. 8. Finita Confeſſione, dataque Abſolutione, cui Diaconus adhuc inclinatus reſpondet *Amen*, tunc & non priùs, genuflectunt Miniſtri ante linteum, ſi Communionem ſunt accepturi: aliàs ſtant Diaconus a dextris, & Subdiaconus a ſiniſtris Celebrantis. Et ideo corrigitur Pag. 7. prope medium, & Pag. 89. num. 25. ubi miniſtranda mandatur Purificatio Presbyteris &c. a Diacono Miſſæ ad partem Epiſtolæ.

Pag.

Pag.12. Cap.8. agitur de Oratione 40. Horarum ; verùm cùm nonnulla ibi deſiderentur, ſervanda proponitur (quantùm fieri poterit) Inſtructio Romana ſuper hac re jam pluries edita.

Pag.18. in fine addatur – Dicto *Veneremur cernui*, & non priùs, aſſurgens Celebrans Thus imponit in Thuribulum abſque benedictione ; & flexis exinde genibus Sacramentum de more incenſat.

Pag. 21. prope medium num. 2. expungatur illud – *Acolythus*.

Pag. 22. in prima linea, ubi dicitur - *ſupra Albas*, legatur - ſupra Cottas.

Pag.22. in principio, & Pag.26. prope finem num.4. ubi dicitur Baldachini haſtas eſſe deferendas a Sacerdotibus Pluviali indutis, vel ſaltem Superpelliceo, omittatur illud – *Pluviali*, & dicatur – *Superpelliceo tantùm*, ex Decret. S. R. C. 15. Sept. 1736. quia hoc ſoli Epiſcopo Celebranti convenit, ex Cærem. Epiſc. Lib.2. Cap.25. & 26.

Pag. 33. num. 5. ubi habetur – *In Miſſa, quæ coram &c.* legatur - In Miſſa, quæ coram Epiſcopo Diœceſano celebratur, Liber, finito Evangelio, ei deoſculandus defertur. Quòd ſi cum Epiſcopo adeſſent alii Prælati exteri, ſeu etiam ipſo majores, ut Archiepiſcopus, aut Cardinalis, vel alii in Locis ſuæ juriſdictionis, tunc majori, ſeu digniori omnium dabitur oſculandus Liber Evangelii. Et ſi eſſent plures æquales, nulli ipſorum; nec ipſe Celebrans deoſculabitur. Cærem. Epiſc. Lib.I. Cap. 30. n.3.

Ibidem num. 10. poſt illa verba – *capi poſſit*, addatur – Decentius tamen erit, ſi nec Pelvis, nec Ampullæ, neque Manutergium ad *Lavabo* Altari ſuperponantur ; ſed a Miniſtro prædicta manibus ſuſtineantur.

Pag.36. num.35. Poſt illa verba – *dicuntur de Nativitate*, addatur – niſi habeant propriam ; tunc enim dicitur Præfatio propria, & *Communicantes* de Nativitate. Cle-

Eeee 2 mens

mens XI. part. 3. ſui Bullar. Conſt. 20., & S. R. C. 25. Septemb. 1706., & 1714.

Pag. 37. num. 4. lin. 9. expungatur illud – *Elevans*. Et in fine poſt illa verba – *profunde ſe inclinat*, addatur – Eſt tamen magis conforme Rubric. General. Miſſal. quòd Sacerdos, expleta Præfatione, ſtans erectus, manus disjungens eas cum oculis aliquantulum elevet, ſtatimque oculis devotè demiſſis, junctas manus ſuper Altari ponat, ac profundè inclinatus, ſecretò incipiat tunc & non prius *Te igitur*.

Pag. 39. num. 5. circa medium ubi dicitur - *ut adaptet Miſſale*, addatur - (hæc tamen inclinatio ſufficit ſi ſit ſimplex, vel ad ſummum mediocris).

Pag. 43. num. 8. ubi dicitur de Acolythis, quòd *ſedeant & ipſi*. Et Pag. 55. num. 5. *Cæremoniarum Magiſter non ſedebit.... Acolythi autem conſidebunt*. Et Pag. 102. in fine num. 1. ubi dicitur - *niſi ſedeant ad Gloria*. Not. quod regulariter nec Cæremoniarius, nec Acolythi ſedere debent, ſaltem in Miſſa: in Veſperis autem, aliiſque Officiis id eis permitti poterit. Et ſi ſedent Acolythi, a fortiori ſedere debebit Cæremoniarius. Ita Gavantus, Merati, Arnaudus, Corſettus, Catalanus, & praxis Baſilicarum Urbis.

Pag. 51. 58. 59. 71. & alibi quædam tribuuntur Acolytho, quæ fieri debent a Cæremoniario, ſi adſit, ut tradere Librum Subdiacono & Diacono, ipſoſque comitari a ſiniſtris; amovere Cuſſinum cum Miſſali de Altari tempore Thurificationis; thurificare Sacramentum, & cetera hujuſmodi.

Pag. 69. num. 11., & Pag. 93. num. 10. ubi dicitur de Subdiacono Patenam tenente, quòd non aſcendat Altare ad dicendum cum Celebrante *Sanctus*, eſt intelligendum quando adeſt Presbyter Aſſiſtens, ut in Cappella Pontific. hic enim tunc, & non Subdiaconus dicit *Sanctus*

ctus ſimul cum Celebrante ex Cærem. Epiſc. Lib. 2. Cap. 8. num. 67., aliàs ſemper aſcendit Subdiaconus, ut ſatis apertè Rubric. Miſſal.

Pag. 75. num. 5. ubi legitur - *Diaconus autem ſtabit &c.* dicatur - Diaconus autem ſtabit quaſi medius inter Celebrantem & Subdiaconum.

Pag. 77. num. 5. abradantur illa verba - *ſi ingens non fuerit Fratrum numerus, eos aſpergit ſigillatim*. Et num. 7. poſt illud - *inclinatione*, addatur - Congruum tamen eſt, ut Provinciali Diœceſano, abſente Generali; ſimiliter Superiori locali, abſente Provinciali, Celebrans Aſperſorium, ſaltem per contactum miniſtret.

Pag. 81. num. 7. ubi dicitur - *Subdiaconum Miſſale deferentem &c.* Not. quod Miſſale deferendum ſemper eſt ab ipſo Presbytero Aſſiſtente, ex Bauld. p. 1. a. 2. c. 3., & praxi Urbis. Ad eumdem etiam ſpectat Naviculam Incenſi Celebranti miniſtrare, priuſquàm e Sacrario exeat; ſecus ſpectat ad Diaconum, ut pag. 84. num. 1.

Pag. 82. num. 12. poſt illa verba - *ſalutat in plano Crucem*, ſubjungatur - eoque ordine, quo venerat, revertitur in Sacrarium.

Pag. 83. num. 21. ubi dicitur - *unico tantùm ductu*, legatur - duplici ductu.

Pag. 88. num. 19. poſt illa verba - *inde duplici ductu*, addatur - vel unico pro qualitate Perſonarum. Item ibidem poſt illa - *& in loco ſuo ſtat &c.*, ſubjungatur - niſi Libro aſſiſtere neceſſum ſit.

Pag. 93. num. 13., Pag. 73. num. 9. circa medium, & Pag. 96. num. 12., ubi de Cæremoniario, vel de Acolytho deducente Subdiaconum deferentem Pacem in Choro, & poſteà in medio Altaris ab eodem Subdiacono Pacem recipiente; ita eſt accipiendum, ſeu intelligendum, quòd alteruter eorum juxta opportunitatem deducat in Chorum Subdiaconum, qui poſteà in reditu ad Altare

Pacem primò det Cæremoniario utpote digniori: hic autem dabit primo ex Acolythis, a quo deinde recipiunt cæteri ordine ſuo.

Pag. 94. num. 14. ubi legitur – *ſtabit a latere &c.* legatur – ſtabit ad ſiniſtram Celebrantis ſuper Suppedaneum converſus ad Populum, junctis manibus, uſque ad finem Communionis.

Pag. 96. num. 11. ubi ſermo eſt de Cæremoniario deducente Diaconum, addatur – Melius tamen eſt quòd ipſe Acolythus, non verò Cæremoniarius, qui tunc Libro aſſiſtere debet, deducat Diaconum ad incenſandum Chorum, juxta dicta Pag. 68. num. 7., Pag. 88. num. 19., Pag. 100. num. 9.

Pag. 102. num. 1. poſt illa verba – *ſemper incedunt poſt Thuriferarium*, addatur – ſi iſte Thuribulum deferat. Unde corrigitur Pag. 104. num. 10. ubi dicitur quòd ad Veſperas Ceroferarii e Sacriſtia ad Altare procedent eodem modo, quo in Miſſa.

Pag. 102. num. 13. in fine poſt verba – *de Veſperis Solemnibus*, addatur – Et quidem melius, nam prædictus modus incenſandi in Veſperis nequit ad praxim deduci, utpote oppoſitus Decretis, & conſuetudini Ordinis.

Pag. 104. num. 11. ubi dicitur – *Candelæ non extinguentur*, corrigatur – Candelæ extinguentur juxta Cærem. Epiſcop. lib. 2. cap. 3. num. 2.

Pag. 105. num. 14. in fine poſt illa verba – *Omnium primi diſcedent*, ſubjungi debet – dummodo Thuriferarius non deferat Thuribulum.

Pag. 106. num. 4. ubi dicitur – *poterunt deferri*, dicatur – deferentur.

Pag. 110. num. 1. in fine, ubi dicitur - *locorum qualitatem*, dicatur – dierum & Miſſæ qualitatem, prout in Rubricis. Ibidem legatur – Suppedaneum, vel etiam Gradus Altaris convenienti tegentur panno.

Digitized by Google

Pag. 134. num. 53. ſic emendetur Parenteſis illius Decreti - (Feſtivis, exceptis Feriis ſecundis & tertiis Paſchæ & Pentecoſtes)

Pag. 176. num. 59. lin. 1. poſt illud verbum - *Hoſtiam*, addatur - premet aliquantulum, & illam reverenter &c.

Pag. 178. num. 62. poſt illa verba - *Jeſum Chriſtum Filium tuum*, addatur - cum inclinatione capitis.

Pag. 193. num. 11. lin. 2. poſt illa - *ac pergit*, ſubjungatur - ad Abacum, Inſtrumentum ſumit &c.

Pag. 195. num. 14. circa medium poſt illa verba -- *Populo impartitur*, mox ſubnectitur -- ſignat ſe dextera extenſa ſigno Crucis, & formulæ &c.

Pag. 254. num. 5. poſt illa verba -- *poſt Defunctorum Laudes*, addatur -- ubi mane tempore congruo celebrantur eorum Vigiliæ, vel poſt Primam, juxta Rubr. Miſſ.

Pag. 260. num. 1. prope medium ubi genuflectendum mandatur ad ea verba: *Et nos Beata*... addatur -- Juxta tamen accuratiores Expoſitores omittitur hæc genuflexio. Ac ſimiliter pag. 371. num. 7. ad illa verba -- *O Salutaris Hoſtia*...

Pag. 274. num. 19. prope finem ubi dicitur -- *& in utroque caſu &c.* legatur -- & in neutro caſu Candelæ accenduntur ſecundùm Cærem. Epiſc. lib. 2. Cap. 16. num 17.

Pag. 319. num. 4. in principio ſic legatur - quatuor nempe Amictus, Albæ, Cingula & Planetæ, quarum tres ſint ante pectus plicatæ, prima pro Diacono, ſecunda pro Subdiacono Miſſæ, & tertia pro alio Subdiacono Crucem in Proceſſione delaturo.

Pag. 323. num. 12. in principio ubi dicitur - *dum privatè legit* tradidit ſpiritum, *genuflectit*, addatur - poteſt etiam non genuflectere, ut dictum eſt in Dom. Palmarum.

Pag. 367. lin. 4. expungantur illa verba - *aut tertiam.* Et linea ultima poſt -- *Feſtum duplex*, addatur, vel Semiduplex.

INDEX

INDEX
PARTIUM ET CAPITUM HUJUS CÆREMONIALIS.

PARS PRIMA

De iis, quæ pertinent ad cultum SS. Euchariſtiæ.

CAPUT

I.	*De conſervando ac renovando SS. Sacramento.*	Pag. 1.
II.	*De conficiendo SS. Euchariſtiæ Sacramento.*	4.
III.	*De Communione Generali in Miſsa Solemni.*	5.
IV.	*De Communione particulari infra Miſſam.*	9.
V.	*De particulari Communione extra Miſſam, & in fine.*	9.
VI.	*De Defectibus in Communione præſtanda occurrentibus.*	11.
VII.	*De Sacerdote ad Communionem miniſtrandam deputato.*	11.
VIII.	*De exponendo SS. Sacramento in Oratione Quadraginta Horarum.*	12.
IX.	*De modo exponendi SS. Sacramentum, & precipuè infra Octavam Corporis Chriſti.*	17.
X.	*De obſervandis in Miſſa Solemni cùm SS. Sacramentum eſt expoſitum.*	19.
XI.	*De Proceſſione SS. Sacramenti in Eccleſiis Noſtris Parochialibus, & de Expoſitione ipſius, quæ fit aliquando pro Infirmis, vel aliis neceſſitatibus.*	20.
XII.	*De Proceſſione SS. Sacramenti Feria V. in Cœna Domini.*	25.
XIII.	*De Proceſſione SS. Sacramenti Feria VI. in Paraſceve.*	28.

PARS SECUNDA

De iis, quæ pertinent ad Sacrificium Miſſæ privatum & Solemne.

CAPUT

I.	*De modo legendi Miſſam privatam.*	31.
II.	*De quibuſdam obſervationibus in Miſſa privata.*	32.
III.	*De manuum conjunctione, extenſione, elevatione, & converſione ad Populum.*	36.

IV. *De*

Digitized by Google

IV. *De Inclinationibus.* 38.
V. *De ordine genufleƈtendi, & ſtandi in Miſſa privata.* 39.
VI. *De ordine genufleƈtendi, ſedendi, & ſtandi in Miſſa Solemni.* 40.
VII. *De præparandis in Miſſa Solemni, & ingreſſu Sacerdotis cum Miniſtris ad Altare.* 44.
VIII. *De obſervandis in Thurificatione Altaris in Miſſa Solemni.* 49.
IX. *De Reliquiarum, ſeu Imaginum Sanƈtorum incenſatione in Miſſa Solemni, & quando ibi adſit Tabernaculum SS. Sacramenti.* 52.
X. *De Introitu, Kyrie eleiſon; & Gloria in Excelſis in Miſſa Solemni.* 54.
XI. *De Epiſtola, quæ cantatur in Miſſa Solemni, & Evangelio.* 56.
XII. *De Offertorio in Miſſa Solemni, & de incenſatione Oblatorum uſque ad Canonem.* 63.
XIII. *De Canone in Miſſa Solemni uſque ad finem.* 70.
XIV. *De Communione & aliis uſque in finem Miſſæ.* 74.
XV. *De Aſperſione Aquæ benediƈtæ in Dominicis.* 76.
XVI. *De Miſſa Solemni Miniſtri Generalis, & de Presbytero Aſſiſtente.* 79.
XVII. *De Officio Diaconi in Miſſa Solemni.* 84.
XVIII. *De Officio Subdiaconi in Miſſa Solemni.* 90.
XIX. *De Magiſtro Cæremoniarum & ejus Officio.* 95.
XX. *De Officio Thuriferarii in Miſſa Solemni, & in Veſperis.* 98.
XXI. *De Ceroferariis.* 102.
XXII. *De Miſſa quæ cantatur ſine Miniſtris.* 105.
XXIII. *De Miſſæ celebratione coram Prælatis.* 107.
XXIV. *De prima Miſſa novi Sacerdotis.* 108.
XXV. *De Miſſa Solemni pro Defunƈtis.* 109.
XXVI. *De Abſolutione pro Defunƈtis.* 114.
XXVII. *De nonnullis obſervationibus circa Miſſas Defunƈtorum.* 119.
XXVIII. *De quibuſdam Decretis ſuper Miſſas Defunƈtorum.* 125.
XXIX. *De Ritu Mortuos ſepeliendi.* 134.
XXX. *De Ritu ſepeliendi Parvulos.* 139.
XXXI. *De Cæremoniis in Choro ſervandis, dum dicitur Miſſa Solemnis.* 141.
XXXII. *De Sacroſanƈto Miſſæ privatæ Sacrificio.* 144.
XXXIII. *De Ritu miniſtrandi Miſſæ privatæ.* 188.
XXXIV. *De quibuſdam Decretis Sac. Rit. Congr. ſuper celebratione Miſſarum, aliiſque Sacris Aƈtionibus.* 199.
XXXV. *De Decretis ſuper Miſſas Votivas.* 224.
XXXVI. *De nonnullis Decretis ſuper SS. Sacramentum.* 230.

XXXVII. *De*

XXXVII. *De Menſuris propriis ſacræ Suppellectilis in ordine ad Miſſam cum Solemnem, tum privatam.* 236.
XXXVIII. *De nitore & munditia prædictæ ſacræ Suppellectilis.* 245.

PARS TERTIA.

De Ritibus ſervandis in quibuſdam præcipuis Diebus & Feſtis infra Annum occurrentibus.

CAPUT

I. *De Tempore Adventus.* 252.
II. *De Vigilia Nativitatis Domini.* 257.
III. *De Natali Domini.* 260.
IV. *De Feſtis infra Octavam Nativitatis Domini.* 264.
V. *De Epiphania Domini, aliiſque Feſtis uſque ad Purificationem B. M. V.* 266.
VI. *De Feſto Purificationis, ſacraque Actione eo die peragenda.* 268.
VII. *De eodem Feſto Purificationis in Eccleſiis minoribus.* 275.
VIII. *De Feria IV. Cinerum.* 279.
IX. *De Tempore Quadrageſimali ad Dominicam uſque Palmarum.* 284.
X. *De Dominica Palmarum.* 289.
XI. *De eadem Dominica in Eccleſiis minoribus.* 297.
XII. *De Feria V. in Cæna Domini.* 299.
XIII. *De Altarium denudatione.* 305.
XIV. *De Mandato, ſeu Lotione pedum.* 307.
XV. *De eadem Feria V. in Eccleſiis minoribus.* 313.
XVI. *De Feria VI. in Paraſceve.* 317.
XVII. *De denudatione & adoratione Crucis.* 324.
XVIII. *De Miſſa Præſanctificatorum.* 330.
XIX. *De eadem Feria VI. in Eccleſiis minoribus.* 339.
XX. *De Sabbato Sancto.* 342.
XXI. *De Cerei Benedictione, Prophetiis, & Litaniis.* 349.
XXII. *De Miſſa & Veſperis hujus Sabbati.* 355.
XXIII. *De eodem Sabbato Sancto in Eccleſiis minoribus.* 358.
XXIV. *De Paſchate uſque ad Aſcenſionem Domini.* 362.
XXV. *De Aſcenſione Domini uſque ad Feſtum SS. Corporis Chriſti.* 367.
XXVI. *De Communi Sanctorum.* 374.
XXVII. *De celebrandis per Triduum ex Indulto Apoſtolico Solemniis Beatificationis alicujus Servi Dei.* 376.

PARS

PARS QUARTA.

De iis, quæ Divinum Officium cùm Solemne, tum privatum concernunt.

CAPUT

I.	*De ornatu Eccleſiæ, & præparandis in ea ante adventum Celebrantis.*	379.
II.	*De Veſperis Solemnibus.*	386.
III.	*De Veſperis Solemnibus coram SS. Sacramento.*	398.
IV.	*De Matutino Solemni.*	402.
V.	*De Matutinis Solemnibus Tenebrarum, cæteriſque Horis Canonicis.*	409.
VI.	*De ſolemni Officio Defunctorum, die præſertim Generalis eorum Commemorationis.*	416.
VII.	*De publica ac quotidiana Divini Officii recitatione.*	428.
VIII.	*De privata Horarum Canonicarum recitatione.*	439.
IX.	*De Lectione Martyrologii ad Primam.*	439.
X.	*De Officio parvo B. M. V. Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus.*	443.
XI.	*De Diſciplina in Choro ſervanda.*	446.
XII.	*De Cæremoniis in Choro obſervandis tempore Divini Officii.*	448.
XIII.	*De Decretis Sac. Rit. Congr. Divinum concernentibus Officium.*	455.

PARS QUINTA.

De quibuſdam aliis Eccleſiaſticis Actionibus & Miniſtris.

CAPUT

I.	*De eximio Concionatoris Officio.*	498.
II.	*De Sacriſta, ejuſque Officio.*	503.
III.	*De Vicario Chori.*	508.
IV.	*De Sacris Benedictionibus.*	510.
V.	*De Sacris Reliquiis, ac Imaginibus.*	513.
VI.	*De Proceſſionibus.*	518.
VII.	*De Proceſſionibus Litaniarum cùm Majorum in die S. Marci, tum Minorum in triduo ante Aſcenſionem Domini.*	526.
VIII.	*De ſolemni receptione Prelati.*	529.

IX. *De*

IX. *De ſolemni receptione Regiæ Perſonæ.* 533.
X. *De receptione minùs ſolemni inſignis alicujus Perſonæ.* 536.
XI. *De ſolemni receptione, ac viſitatione Miniſtri Generalis Ordinis, ac Vicarii Generalis Apoſtolici.* 537.
XII. *De receptione, ac viſitatione aliorum Superiorum Ordinis.* 542.
XIII. *De Communione & Extrema Unctione Religioſis miniſtranda.* 544.
XIV. *De Obitu ac Depoſitione Religioſi Defuncti.* 547.
XV. *De Organorum ſono, aliiſque Inſtrumentis Muſicis.* 549.
XVI. *De Pſalmodia & Cantu Eccleſiaſtico.* 552.
XVII. *De Tono Horarum, Abſolutionum, Benedictionum, Lectionum, Prophetiarum, & Martyrologii.* 556.
XVIII. *De Tono Capitulorum ac Verſuum.* 559.
XIX. *De varia Hymnorum Intonatione.* 561.
XX. *De Intonatione Pſalmorum & Canticorum.* 564.
XXI. *De Tonis Orationum.* 569.
XXII. *De Intonatione Benedicamus & Ite Miſſa eſt.* 573.
XXIII. *De Intonatione Gloria, Credo, Epiſtolæ, & Evangelii.* 575.
XXIV. *De Tono Lamentationum & Paſſionis.* 577.
XXV. *De Tono Confeſſionis, Litaniarum &c.* 580.
Additamenta, ſeu Correctiones huic Cæremoniali neceſſariæ. 586.

ERRATA GRAVIORA SIC CORRIGE.

Pag. 6. lin. 23. lege *inter medium*. p. 8. l. 5. *excutiendo*. p. 10. l. 11. dele *genufle-ctens*. l. 16. vulgò *Sacrario*. p. 28. l. 5. *obſerata*. l. 27. dele *Navicula cum Thure*. p. 32. lin. 2. *Per omnia ſæcula ſæculorum*. p. 37. l. 18. dicens *in unum*. p. 38. l. 19. *demiſſo*. p. 76. l. 11. *exeunt*. p. 102. l. 12. *Chori*. pag. 114. l. 21. *remanebit*. p. 129. l. 27. *infra Octavam*. p. 133. l. 33. *impediantur*. p. 136. l. 13. & p. 137. l. 11. *dona ei*. p. 145. l. 33. *feneſtella*. p. 146. l. 32. *accipiet*. p. 148. l. 7. *itaut poſteà Cinguli*. p. 149. l. 14. *illis*. p. 150. l. 18. *extremitates*. p. 150. l. 27. *in Altari*. p. 150. l. 31. *ſiniſtrum*. p. 152. l. 31. *prætermittet*. p. 153. l. 18. *vertendo*, dele *non*. p. 154. l. 25. *itidem conjuncti*. p. 157. l. 15. *tunc*. p. 158. l. 30. *poſitis*. p. 159. l. 31. *reſpondebit*. p. 160. l. 28. *erectis*. p. 167. l. 31. *Hymnum*. p. 177. l. 23. *Miniſtro*. p. 181. l. 28. *retenta ſiniſtra*. p. 183. l. 28. *accedens*. p. 188. l. 29. *qui*. p. 231. l. 21. *Funalibus*. p. 233. l. 23. *depoſitione*. p. 234. l. 27. *feneſtellam*. p. 236. l. 10. *conformare*. l. 17. *faciliùs*. p. 255. l. 9. *color Paramentorum*. p. 256. l. 2. *etſi*. l. 5. *Temporum*. l. 11. *pro Octava*. p. 262. l. 37. *prima & ſecunda*. p. 265. l. 17. *fit*. p. 269. l. 21. *præcedit*. p. 280. l. 15. *digniori de Clero*. p. 281. l. 34. *ad finem*. p. 287. l. 26. *lotionis*. p. 292. l. 23. *alios* ℣℣. p. 294. l. 30. *inde* dele *hinc*. pag. 297. lin. 2. dele *vel ſola Alba*. p. 298. l. 28. *Diaconis*. p. 299. l. 3. *cantet*. l. 25. *Reliquiarum*. p. 316. l. 14. *denudatis*. p. 319. l. 9. *delatoribus*. l. 34. *coloris*. p. 320. l. 9. *Manipulos inde*, & l. 28. *habentes*. p. 342. l. 26. *Altare*. p. 365. l. 3. *Cap. VII.* p. 366. l. 28. *cantantur*. p. 370. l. 25. *tantùm*. p. 387. l. 17. dele *Verſuſque concinent*. p. 405. l. 10. *viridi*. p. 414. l. 33. *Candelabrum*. p. 429. l. 23. *Stallis*. p. 435. l. 29. *reperitur*, dele *non*. p. 545. l. 7. *oſtendenda*. p. 549. l. 6. *audiatur*.

Digitized by Google

005672117

Digitized by Google